DISPUTATIO SCHOLASTICA DE DIVINA PROVIDENTIA, VARIIS PRAELECTIONIBUS, ...

Samuel Rutherford

Digitized by Google

14
0 K
29

M Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu
III. 14. 9

III 13 B
III 10 B

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DISPUTATIO SCHOLASTICA DE DIVINA PROVIDENTIA,

Variis Prælectionibus, quod attinet ad ſumma rerum capita, tradita S. Theologiæ Adoleſcentibus Candidatis in Inclytâ Academiâ *Andreapolitanâ*, in quâ adverſus *Jeſuitas*, *Arminianos*, *Socinianos*, de Dominio DEI, actione ipſius operoſâ circa peccatum, concurſu primæ cauſæ, prædeterminatione & contenditur & decertatur.

Adjectæ ſunt Diſquiſitiones Metaphyſicæ de Ente, Poſſibili, Dominio DEI in entia & non entia, & variæ Quæſtiones quæ ad uberiorem & exquiſitiorem cognitionem Doctrinæ de Providentiâ Divinâ imprimis conducunt.

Studiis & induſtriâ *Samuelis Retorfortis* S. Theologiæ Profeſſoris in celebri & Inclytâ Academiâ *Andreapolitanâ*.

JOBI. Cap. XXIII. verſ. 8, 9.

Ecce ſi antrorſum eo, non adeſt: ſi vero retorſum, non animadverto eum.

Cum ipſe agit ad ſiniſtram, non tamen video, operit (ſe) ad dexteram, nec tamen reſpicio.

ROM. XI. 33.

Ως ἀνεξεραύνητα τὰ κρίματα αὐτοῦ, καὶ ἀνεξιχνίαστοι αἱ ὁδοὶ αὐτοῦ

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

EDINBURGI,
Excudebant Hæredes *Georgii Anderſoni*, pro *Roberto Brouno*, ſuntque venales in latere plateæ Boreali, haud multum ſupra crucem, ad inſigne Solis. Anno DOM. M. DC. XLIX.

Authoritate Commissionariorum Ordinum Parliamenti Regni Scotiæ *cautum est* Roberto Brouno Bibliopolæ Edinburgensi *ne quis præter ipsius voluntatem atque consensum in annos tredecim in hoc Regno ullâ ratione excudat, aut alibi extra Regnum* Scotiæ *excusum inferat, vendatve Librum qui inscribitur*, Disputatio Scholastica de Divinâ Providentiâ Samuelis Retorfortis. *Quod si quis contemptâ authoritate ullo pacto præsumpserit hunc supradictum tractatum, vel totum vel partem intra dictum temporis intervallum vel typis mandare vel alibi impressum in has oras importare & vendere confiscatione librorum omnium, multâque insuper pecuniariâ mille marcarum Monetæ Scoticanæ damnas esto.*

LOTHIAN,

I. P. D. D. COM.

Adoleſcentibus S. Theologiæ Candidatis aliiſque Chriſtianis lectoribus Gratia & pax.

Si inſtituti, ſi conſilii mei rationem in capeſſendâ Profeſſionis hujus provinciâ (Adoleſcentes lectiſſimi, fratres dilectiſſimi) expectatis, in diſputatione inaugurali rationem reddidi, vobiſque ſatisfacere conabor. Pænorum proverbium eſt, *oportet agrum imbecilliorem eſſe quam Agricolam*; Unde volunt non luctandum cum *Spartâ* viribus impari, ſacro Miniſterio, licet non eâ quâ debui, tamen quâ potui diligentiâ intentus in remotiſſimis fere hujus regni oris ad mare Hybernicum degebam, *procul* (Ethnici loquuntur) *à Jove, procul à fulmine*, id eſt, extra aleam Epiſcopalis furoris latitare videbar, quanquam ſpes me fefellit. Onus hoc humeris meis impar, & Cathedram hanc doctorali purpura quam meo ingenio digniorem, & Cothurno Academico quam mea gracili avenâ aptiorem & accomodatiorem ſemper exiſtimavi. At forte, uti *Tullius, Sicut illi ipſi Philoſophi etiam in illis libellis quos de contemnendâ gloriâ ſcribunt, nomen ſuum inſcribunt, in quo prædicationem, nobilitatemque deſpiciunt, prædicari ſe ac nominari volunt*: Ita etiam ἀνωφελίας & tenuitatis ſuæ prædicatio eſt ſuperbia aſtuta & eſt quoddam ſui deprimendi genus doloſe faſtuoſum & turgidum, *etiam Sapientibus* (ut ait *Tacitus*) *cupido gloriæ noviſſima exuitur*. Sed *bene dormit, qui quam male dormiat, non ſentit*. Nimis alto alto ſomno ſopitus eſt, qui ſuæ ἀδοξίας neque conſcius neque pertæſus eſt. Agebatnr enim annus fere decimus quintus, ex quo ego, dum ad hoc munus vocarer, palæſtræ Academicæ epicedium ſcripſiſſem & pulveri diſputandi polemico nuncium remiſiſſem. Quorſum ego itaque in arenam hanc gladiatoriam

descenderem? Aut cur hac tam fragili & sutili cymba, nullis (ut ita loquar) literarum velis, remigio nullo instructus in hoc pelagus me dederem? ego enim in desuetudine disputandi, si non consenui, at saltem rubiginem & marcorem contraxi.

Verum enim vero est hoc mihi non mediocri solatio quod testem habeam in cœlis me non libidini meæ lenocinandi, non famæ aucupandæ, non rei familiari turpiter inserviendi studio & ardore in hanc provinciam involasse. Hoc quicquid est oneris scribere, animas & concreditum gregem pascendi necessitas vetuit, mea retardavit, Rusticitas, ingenii hebetudo interdixit. Sed quid ego agitatus consiliorum & cogitationum molestâ reciprocatione animi haberem? exigui, quod mihi admensus est Dominus, talenti erogandi officium, ad stadium hoc ingrediendum incitavit, Academiæ invitatio obluctantem suasit, obedientiæ venerandæ Synodo Nationali religio persuasit & impulit. In quo munere utinam conscientiæ satisfacere potero quod laudandum, CHRISTO ejvsque Ecclesiæ commodis inservire, quod obnixè orandum, sed Calumniæ obsequi, nunquam potero, quod animosè contemnendum.

In disputatione hâc intet Scyllam nefandæ θεομαχίας quam nostris *Pontificii, Sociniani, Arminiani* falso imputarunt, & Charybdin Epicurismi & DEI Providentiæ oscitantiæ quod arctè tenent accurateque defendunt Adversarii, velificari & cursum dirigere imprimis adnitor. Naviganti prærierunt viri Magni, imprimis meus *Bradwardina* (Si non major sit quam ut meus dici possit) clarissimus *D. Twissus*, *Paulus Baynes* Disputator nervosus, & *Gisbertus Voetius*, solidæ eruditionis (& quod non est dissimulandum, cum obscurari non possit) veræ pietatis, nec non ingenii solertiæ nomine professorum jam in Reformatis Ecclesiis gloria & decus eximium, quod cum dispendio famæ præstantissimorum qui nunc in *Academiis* fulgent, servorum DEI dici nollem.

Mihi scopus & labor est in hoc qualicunque & tantillo tractatu detegere genium & ingenium *Jesuitarum* & *Arminianorum*, quibus nihil prius, nihil in votis antiquius, quam ut DEUM in æternum celebrandum *Jehovam excercituum in consilio mirificum, in opere glorioſum* è solio providentiæ deturbarent, & quod alibi dictum, liberæ creaturæ voluntati & *Contingentiæ* novo *Jesuitarum* Idolo & deastræ spuriæ aras, preces, vota, sacrificia, & encomia religiosa instituerent, utinam

penes

penes me esset gloriæ providentiæ & opulentissimæ gratiæ succenturiari, debitum agnosco, sed unde me ære debitoque levem, non habeo.

Adjeci nonnulla Metaphysicæ contemplationis forte parerga, quæ tamen usui esse possunt, in presente disputatione.

Vobis autem (Adolescentes spectatissimi) dilectus studiorum gnaviter faciendus, neque permittendum ut per oceanum (si sic loqui liceret) chartaceum librorum, quorum nullus modus, finis nullus est, animus vagetur. *Periginari est interdum errare, nusquam est, qui ubique est.*

Sæculi hujus ægrotanti & senescenti ingenio, antiqua placent, antiqua non placent, nova arridenti, nova sordent. Ita noster Poetarum hujus sæculi facile Princeps. Buchanan. in Baptista. in Prologo.

Nam si vetustam fabulam quis proferat,
Turbant molesti, tussiunt & nauseant.
At si novam quis attulit, tum protinus
Vetera requirunt, comprobant, laudant, amant.

Sexcentariæ aut millinariæ gloriæ studio tabescimus, scilicet, ut vina, sic Doctorum scripta, dies aut annus reddit meliora; at tempus veritatem patefacit, non creat, plerisque doctis vitæ finis gloriæ principium est, aliis autem eâdem urnâ clauditur vita & nominis celebritas, & dierum extrema periodus est ventosæ famæ sepulchrum. *Redde mihi mundo Pythagoram* (inquit *Petrarcha*) *reddam tibi illius ingenii contemptores, redeat in Græciam Plato, renascatur Homerus, revivisca Aristoteles, revertatur in Italiam Varro, resurgat Livius, reflorescat Cicero, non modo segnes laudatores invenient, sed mordaces etiam & lividos detractores.* Et raræ & insolitæ merces sua novitate sunt vendibiliores, Quicquid domi est, vile est, quod est obvium, illud sordet. Affectus veritati officit, præjudicium eam non modo obscurat, sed sepelit. Unde Ethnicis cœcutientibus decantatum illud, *Sapere & amare vix Jovi contigit.* Verum enim vero veritas nuda quam pulchra, quam formosa, quam incunda &, *animo imperabit sapiens, stultus serviet.* Qui sunt puro corde videbunt DEUM & mysteria Regni DEI. Vobis autem nihil prius habendum quam ut Theologiam ad solidam vitæ Christianæ praxin transferatis, nulli contraversiæ impensius studendum, nulli loco Communi gnavius elaborandum, nulli denique Themati

Themati velis remisque obnixiùs annitendum, quam vitæ sanctimoniæ; hæc eruditionis omnis prora, & puppis est, hæc omnis sacræ literaturæ anima, & medulla, Cætera nauci non sunt: librorum conficiendorum non est modus, non finis, operosa lectio carni & ingenio torturæ est: ut profecto avidum est hominis ingenium & sepulchro voracius, at DEUM revereri ejusque mandata religiose observare, sapientiæ veræ utramque facit paginam. Pietas, pietas (inquam) omnis Theologiæ fanioris est furculus, propago, sanguis, quid velitationes disputatorum, aliud quam cortex, & cutis? credendum (Adolescentes) non disputandum, diligendum, non contemplandum sed proh dolor! Academiarum disquisitiones Aranearum telâ subtiliores indies gliscunt, sed friget, languet, tantum non exspirat fides secundum pietatem, spinosas & Dædalæas quæstiones, quæ vel in sole maculas quærunt, quotidie nectunt *Doctores*, sed quanti sit conscientia obediendi DEO pauci sciunt, pauciores in pretio habent, eam vero ad verbi DEI normam componere & excolere pauciſſimi satagunt: hoc autem nomine vinea CHRISTI in *Magna Britannia*, quam custodibus locavit, longe amplius debet vinearum omnium *Domino* quam ulla in orbe terrarum habitabili Ecclesia, eo quod *exercitus* Anglorum & Scotorum *qui insequuntur in Cælo Regem illum Regum equo albo insidentem* longe numerosiores sunt, quam in omnibus Ecclesiis Reformatis in orbe Christiano, neque hoc quicquam amplius esse arbitror, quam inchoatam expletionem vaticiniorum de ultimis terræ finibus & insulis (quarum *nostra Britannia prima est* acceleberrima) CHRISTO à Patre jure hæreditario dandis, adeo ut *Britaniam*, id est, *Angliam* & *Scotiam*, (quibus parvam in *Hybernia* Sororem, auctiorem longè futuram, adjungere licet) fore laudem totius orbis terrarum, coronam gloriæ & Cidarin Regiam in manu JEHOVÆ interpidè credam ita enim SPIRITUS SANCTUS prædixit, *Psal.* 2. 8. *Psal.* 72. 10. *Psal.* 92. 1. *Esai.* 24. 15. *Esai.* 49. 1. *Esai.* 42. 4. 10. *Esa.* 51. 5. *Esai.* 60. 9. *Zepha.* 2. 11. Unde omnes hostes nostri, id est, execranda turba Malignantium, & Sectariorum in Anglia, *Familistarum*, *Antinomorum*, *Antiscripturariorum*, *Enthysiastarum*, *Arrianorum*, *Socinianorum*, *Arminianorum*, &c. eorumque copiæ pereant & deleantur necesse est. Vestrum itaque est hoc unum agere, sit animus, sit cura CHRISTUM scire. O quantopere interest S. Theologiæ Candidatorum

rum diliciari, capi, allici, imò inebriari suavitate, excellentiâ & incomparabili supereminentiâ *Domini Nostri* IESU CHRISTI; quam suave nomen, quam pulchra facies, quam dulcia & flexanima eloquia. Creatura è nihilo congenio educta, est plane nihili; CHRISTUS omnia; lutea & fragilis Regum dignitas, ille Rex Regum: homo spirans fabula, subridens & moriens vanitas, lutum vitali ad paucos dies colore quasi bracteatum, CHRISTUS solus sapiens, Pater æternitatis, antiquus dierum, Rex ævorum: pulchrum Cœlum, speciosa sidera, splendidissimus Sol; sed pulchrior & speciosior IESUS, per quem condita sunt omnia: pietati itaque & amori CHRISTI sacramentum dicamus, serviamus, tenacius inhærebit amor CHRISTI. Fortè hîc *animi arbitrio amor sumitur, non ponitur*: Cætera defluunt, non aliter quam per cribrum aqua: nihil aliis rebus vanius, nihil fragilius, animæ immortali statuminandæ totus hic mundus est basis lutea, rancida, cariosa. Conferantur cum CHRISTO quotquot excelluerunt animi dotibus, silent *Prophetæ*, obmutescunt *Apostoli*, ne fari valent *Martyres* DEI, dum loquitur CHRISTUS.

Quem decorat lepor, & roseis effusa labellis
Gratia ——.

Comparentur cum illâ increatâ sapientiâ DEI Patris umbratiles scintillulæ creatæ gloriolæ & quotquot nominis celebritate inclaruerunt, Delirat *Plato*, mentitur *Aristoteles*, *Cicero* balbutit, hæsitat, nescit latinè loqui, *Demosthenes* mutus & elinguis obstupescit, virtutis viam ignorat *Seneca*, nihil canit *Homerus*, malè canit *Virgilius*. *Ubinam est Disputator, ubinam Scriba, ubi Disputator? nonne infatuavit Deus sapientiam hujus mundi?* Accedant ad CHRISTUM qui virtutis gloriâ fulgent, *Aristides* virtutem mentitur, *Fabius* cespitat, à viâ justitiæ deviat: *Socrates* ne hoc quidem scit, se nihil scire, *Cato* levis & futilis est, *Solon* est mundi & voluptatum servus & mancipium, non legislator: *Pythagoras* nec Sophos nec Philosophus est: *Bias* nec mundi nec inanis gloriæ contemptor: *Alexander Macedo* ignavus est: *Græcia* frustrà gloriarur septem Sapientibus, nec *Roma* jactitet sese habere *Lælium*, non *Scipionem*, non *Augustum*. Nec glorietur *Mantua* se *Maronem*, nec *Sulmo Ovidium* genuisse. *Cyrus* non est *Persis* gloriæ, aut honori: *Themistocles* Athenis non fulget: *Agesilaus* non est *Lacedæmoniis* splendori: at longè aliter Sponsa de CHRISTO verissimè canit. *Dilectus*

meus

meus candore & rubore excellit, vexillarius est è myriade, caput ejus insigne aurum defæcatissimum, capilli ejus crispis discriminibus nigri. oculi ejus ut columbarum, loti in ipso lacte eleganter siti, Genæ ejus similes areolæ aromaticæ adultis plantis unguentariis, labia ejus liliis stillantia myrhynum liquidum, &c, *Denique totus est desideratissimus.* Et *Paulus. Est Imago DEI invisibilis & primogenitus omnis rei conditæ, per eum condita sunt omnia, estq; ipse ante omnia & omnia per eum consistunt, estque caput Corporis, id est, Ecclesiæ, estque principium & primogenitus ex mortuis ut inter omnes primas teneat. In ipso habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter. Est Hæres omnium, effulgentia gloriæ Patris & Character personæ ipsius, Alpha & Omega, Principium & finis, qui erat, qui est, qui futurus est.* Nihil est tam Angusti animi quam opibus inhiare, CHRISTUS est unum illud necessarium: magnæ fortunæ vir bonus sese subducit, non captivum se dedit. Qui honore & gloriâ, qui regnorum & diadematum splendore affluunt fœlicitatem mentiuntur non possident, qui victoriis & belli gloriâ inclaruerunt, pararunt, tumulo nomina & titulos, vulgò fabulam, sibi umbram & fumum. Alia commorandi, in hoc tiguriolo. spatiolâ vi eripiuntur, alia quasi furto subducuntur. Turpe est neque crastino dominari, neque hodierno diei manus injicere, cum morte dividimus hunc ipsum diem: exeundum, CHRISTUS via est: sapiendum, CHRISTUS veritas: vivendum, CHRISTUS vita. Nihil non faciendum, sudandum, currendum. vigilandum, ut cum eo in æternum beati vivamus. Hodiè non vivere imprudentia, sarcinas non colligere mira oscitantia est, & nos die crastino victuros sperare longè stultissimum: nisi CHRISTO potiamur, nihil præstamus, si illo fruamur, nos in æternum beatos. Hue vires intendite, concertate, brevi aderit DOMINUS, merces ipsius secum, reddet unicuique prout opus ipsius erit. Vigilate, orate, in Æternum vivite, & Valete.

Vester in CHRISTO omni officiorum nexu devinctissimus
Frater, *S. R.*

Index Capitum.

Caput I.

Quid sit Providentia. pag. 1.

Cap. II. *Quid sit natura* DEI *voluntatis permissivæ & voluntatis signi & beneplaciti: Remonstrantes Arminiani ad partes vocantur.* p. 3.

Cap. III. *De scientiæ Mediæ novo figmento.*

An Scientia Media salvet DEI *Providentiam in gubernatione rerum contingentium: examinantur effugia Jesuitarum* Hyero. Fasoli, Roderici *de* Ariaga. Did. Ruiz. Pet. *de* Arubal. Vazquez. Gammachæi *& aliorum.* p. 12. 13

Cap. IV. *Scientiam Medium* DEI *Dominium evertere.* p. 28.

Cap. V. *Argumenta* Didaci Ruiz, Fasoli, Petri *de* Arubal, Alex. Pesantii *& aliorum pro scientia Media contendentium ad partes trahuntur.* p. 50.

Cap. VI. *De naturâ permissionis.* p. 67.

Cap. VII. *Septem quæstiones de permissione agitandæ.*

Q. 1. *An permissio sit nuda non violentatio seu non necessitatio voluntatis; ut volunt Jesuitæ,* Pennottus, Pesantius, Ruiz. *& Arminiani?* 2. *An permissio & impeditio peccati fiant à* DEO *tantum suasorio modo?* p. 73

Cap. VIII. Q. 3. *An posità permissione* DEI *sequatur peccatum*

peccatum necessariò saltem necessitate consequentiæ, licet non nexu causalt. p. 80.

Cap. IX. Q. 4. *An permissio peccati sit absoluta ex libero DEI beneplacito dependens, an vero conditionata nitens creationi voluntatis creatæ causantis illam permissionem?* Gabr. Pennottus. Did. Ruiz, Theodorus Smising, Iac. Arminius *& alii ad partes vocantur.* p. 86. 87.

Reliquæ quæstiones discutiuntur. ibidem.

Cap. X. *An admittendum sit aliquod fatum Christianum?* p. 99.

Cap. XI. Tho. Iacksoni. Angli *de fato & necessitate sententia examinatur.* 118. 119.

Cap. XII. *De variis gradibus seu speciebus necessitatum juxta* Jacksonum. *de* PROV. 23. *examinantur ejus rationes.* p. 126. 127.

Cap. XIII. *Quomodo quidam respodeant locis quæ pro Scientiâ Mediâ militare videntur, & an prædeterminatio evertat eam Scientiam, de actualissimâ DEI voluntate in quâ scit futura contingentia.* 138. 139.

Cap. XIV. *Jesuitæ* Francisci Annati *impugnatoris* D. Gul. Tuissi *Rationes pro Scientia Media è Scripturis malè intellectis enodantur. Res per solam DEI voluntatem ab æterno è statu possibilium ad statum futuritionis transisse, voluntatem creatam non esse causam mysterii altissimi electionis & Reprobationis, non evolvi rationem per Scientiam Mediam.* p. 164.

Cap. XV. *Quomodo* Annatus *propugnet Scientiam Mediam negando, omnem DEI, circa peccatum, voluntatem.* p. 186

Cap. XVI. *An* Evangelici *ex Scripturis rectè demonstrent DEUM velle ut eveniat peccatum se permittente. Locus* Gen. 45. *de Josephi venditione expenditur & vindicatur.* p. 189

Cap.

Cap. XVIII. *An*, Quia Deus impios ad diem mali condidisset *& ad peccatum permisisve ordinasset, sequatur inde DEUM esse peccati Autorem? item loc. ad* Rom. 9. 17. ad hoc ipsum excitavi te &c. *& Locus.* 1 Pet. 2. 8. *expenditur & vindicatur: ad partes vocantur* Bellarmin. Ruiz. Lo. Mæratius, Arubal, Fasolus *&* Arminiani? p. 211.

Cap. XVII. *An aliis Scripturis, Rectè Euangelici demonstrent DEUM velle ut eveniat peccatum se permittente? expenditur & vindicatur locus de CHRISTO, definito DEI consilio & præscientiâ, crucifixo Actor* 2. 23. c. 4. 27. p. 159.

Cap. XIX. *An DEUS ita sit agens principale, dum Diaboli & impii homines peccant, ut ipse tamen sit immunis ab omni labe peccati, instrumenta tamen peccati reatu duntaxat inquinentur?* p. 247.

Cap. XX. *An peccatum sit pœna peccati? An DEUS velit peccatum quatenus est pœna peccati? ad partes vocantur* Bellarminus, Did. Ruiz. Leo. Lessius, Gabr. Pennotus, Lod. Mæratius, Phil. Gammachæus, *nec non* Arminiani. p. 261. 262.

Cap. XXI. *DEUM non nudâ permissione indurare, de modo indurationis, ad partes vocantur* Jesuitæ *&* Arminiani. p. 287.

Cap. XXII. *An liberum DEI Beneplacitum sit prima Regula omnis bonitatis moralis in creaturis?* p. 312.

Cap. XXIII. *Probatur aliis argumentis DEUM velle peccatum fieri se permittente.* p. 356. 357.

Cap. XXIV. *Idem probatur aliis etiam argumentis.* p. 358.

Cap. XXV. Durandi *&* Lodo. a Dola *negantium concursum DEI immediatum cum omnibus causis secundis.* 2. *Concursum DEI generalem determinabilem à causâ secundâ aseren-*

ſeventium ſententia profligatur. p. 371.

Cap. XXVI. *An prædeterminatio Phyſica, quâ* DEUS *premovet voluntates ad actus entitativos Phyſicos peccati, faciat* DEUM *Authorem peccati? An ſit fatum, An* Manæchiſmus? *An concurſus* DEI *generalis & indifferens* DEUM *ſocietate ſceleris verè liberet juxta Doctrinam* Jeſuitarum & Arminianorum; *ad partes vocantur*; Did. Ruiz, Ariaga, Suarez, Raynaudus, Jac. Arminius *&c.* p. 383. 384.

Cap. XXVII. Roderici Ariagæ, Suarezii, Theoph. Raynaudi & Guliel. Gibieuf. *Rationes contra* DEI *prædeterminationem ad actus materiales peccati diſcutiuntur, item &* Jac. Arminii, Nich. Grevenhovii & Did. Ruizii. *rationes, quatenus ipſam actum peccati à malitiâ non diſtingui contendunt.* p. 439. 440.

Cap. XXVIII. *Refulgere ſpecialem* DEI *Providentiam determinatricem actuum peccati eoſque individuantem.* 2. Arminianorum & Jeſuitarum *concurſum generalem ex ipſorum Doctrinâ,* DEUM *ſcelerum nexu implicare.* 3. *Defenditur diſtinctio, qua actionum malitia à voluntate creatâ non à* DEO *ortum habere oſtenditur* p. 478.

Cap. XXIX. Calvinum, Bezam & *noſtros loquendi formulas Scripturis conſentaneas uſurpare & ſenſu quidem orthodoxo; nec cum Libertinis conſpirare.* 2. *Objectionibus* Jac. Arminii & Jeſuitarum *occurritur.* p. 478.

Cap. XXX. Patres, Doctores, Scholaſticos à *nobis ſtare de actuoſâ* DEI *Providentiâ circa peccatum.*

Diſqui-

Disquisitiones Metaphysicæ quę nonnihil lucis fortassis adferre possunt Doctrinæ de Providentiâ.

Quæstio I.

AN ens sit prius simpliciter non ente? p. 531.
Q. II. *An* DEUS *sit causa Dominans entium & non entium?* p. 532.
Q. III. *An* DEUS *sit origo & causa possibilium & impossibilium.* p. 538.
Q. IV. *An aliquod sit impossibe, nisi quatenus à* DEO *originaliter sit impossibile.* p. 540.
Q. V. *An ex hypothesi quod prima causa non esset, possibile vel impossibile foret in rerum natura.* p. 545.
Q. VI. *An possibile sit aliquid reale.* p. 557.
Q. VII. *Quali scientiâ & voluntate complectitur* DEUS *possibilia.* p. 559. 560.
Q. VIII. *An* DEUS *necessitate naturæ, an liberè Providentiam in omnia exerceat?* p. 565.
Q. IX. *An liberum* DEI *beneplacitum sit causa essentiarum, graduum essentiæ & formarum specificarum, in naturalibus, moralibus, supernaturalibus & artefactis.* p. 563. 564.
Q. X. *An Creator Creaturæ injuriam irrogare queat, & quale jus habeat* DEUS *in creaturas.* p. 573.
Quatenus justitia essentialiter DEO *inest.* p. 584. *& seq.*
An decretum DEI *tollit potentiam à causa secundâ.* p. 586, 587. *&c.*
An absolutè posse agere vel non agere sit de essentiâ libertatis. p. 587. 589.

An actus liber sit contingens. p. 589. 590.
Quali scientiâ DEUS *futura conditionata complectitur.* p. 590. 591.
An creaturæ possunt agere sine primâ causâ concurrente? an concursu prævio an simultaneo prima secundam causam moveat? de insaniâ Jesuitarum in hâc re. p. 592. 593, 594. *seq.*
An Adamus *libere peccavit, quia remotâ predeterminante motione* DEI *peccavit?* p. 597.
An sit ullum futurum contingens & quid sit, ex Disputatore *anonymo.* p. 597, 598, 599.
An ordinabilitas ad bonum per se peccato conveniat. p. 604.
De voluntate signi. p. 611.
De conflictu in DEI *voluntate falso nobis imputatâ,* p. 613.
De voluntate approbante & beneplaciti, examinatur Disputator qui ait DEUM *velle omne possibile.* p. 615.

Loca

Loca Scripturarum vel explicata vel illustrata.

GEn. 1. 1. *Esto Lux.* Disq. Metaph. q. 1. Pag. 533.

Gen. 4. 5. Cap. 5. Pag. 65.

Gen. 12. 14. & Cap. 31. Vers. 29. Ca. 5. p. 84. Gen. 24. 50. in disq Meta. 376.

Gen. 21. 1. Cap. 10. pag. 111. & loca Paralel.

Genes. 22. 2. *Immola mihi filium*, Cap. 22. pag. 319, 320, 321, 322. & seq. & locus Paralel. Deut. 13. Cap. 22. pag 323.

Gen. 45. *Josephi* venditio. & Cap. 47. 7. *Misit itaque me DEUS ante vos*, Cap. 16. pag. 191, 192, 193. Gen. 48. 10.

Exodus.

EXod 7. 34. *Ego obdurabo cor Pharaonis ut multiplicem signa mea*, Cap. 17. pag 209, 210.

Exod. 14 4 *Ego obfirmo cor.* Cap. 21. p. 306, 307. Exod. 34. 3, 4, 7. in disq. Metq. 10. pag. 582, 583.

Deuter. 8. 3. *Homo non vivet pane*, &c. disq Metaph. 585, 586.

1Sam. 2. *Filii Eli non auscultarunt voci Patris*, & loci Parallela. 1Reg. 11. Esai. 10 24, 25. Esai. 14. 21. Jere. 50. 6, 7. Cap. 20. pag. 274. Deut. 2. 30. *Noluit Sihon*, Cap. 21. 304, 305. Josh. 11. 20. *A Jehova quod obfirmarent cor*, C. 21. p 304, 305.

1 Sam. 23. 9, 10. *Dixitque David, O Jehovah Deus Israelis, an dedituri sint me Keilitæ*, Cap. 13. pag. 138, 139. 140. & seq. Item Cap. 14. pag. 172, 173. & Cap. 14. pag. 183. & seq.

2 Samuel.

2 SAm. 12. 11, 12. *Sic dit Jehovah, Ecce ego suscitaturus malum contra te è domo tua, & accipiens uxores tuas ante oculos tuos tradam proximo tuo: qui cubabit cum iis coram sole isto*, Cap. 10. pag. 267, 268, 269. & seq. & loca Parallel.

2 Sam. 16. 10. *Maledicit, quia Deus jussit*, Cap. 10. pag. 269, 270. & seq.

1 Regum.

1 REgum 22. 20. *Quis pelliceat Achabum ut ascendat & corruat*, Cap. 20. pag. 272, 273.

1 Chronicorum.

1 CHroniconum 28. 9. *Si exquæsiveris eum, præsto eris tibi*, Cap. 26. pag. 425, 426.

2 Chronicorum.

2 CHronioorum 32. 21. *Ezechiam dereliquit Jehovah*, Cap. 20. pa. 273. & Cap. 24. pag. 361.

Nehemiah.

NEhemiah 1. 10. *Populus quem redemisti*, Cap. 4. pag. 29.

Job.

JOb 1. 12. *Ecce in manu tua*, Cap. 6. pa 76, 77, 78.

Job. 26. 13. *Obstetricante manu ejus formatus est coluber oblongus*, & loca Parallel. Job. 36. 27. & Cap. 37. & Psal. 118. 15 Math. 6. 13. Quod Deus immediatè determinet omnes causas secundas. Cap. 25. pag. 371, 372.

Psalmorum.

PSalmo 22, vers. 17, 18, De perforatione manuum & pedum CHRISTI, & de contingentibus à DEO absolutè decretis. Cap. 10. pag. 123, 124. & loca Parallel.

Psal. 39. 9. *Tacui quia tu fecisti.* Cap. 24. pag. 358, 359, 360.

Psal. 118. vers. 18. *Dominus me afflixit, sed ne morti non tradidit*, & loca Parallela. De moderamine, quo utitur Deus, in suis affligendis, Cap. 26. pag. 361, 362.

Proverbiorum

Proverb. 16. 4. *Jehovah omnia fecit propter semetipsum*, & loca Parallel. Rom. 17. 36, 37. Apocalyp. 4. 11. Cap. 14. pa. 171. 172. & Cap. 18. pag. 211, 212, 214. & seq. Item Cap. 18. pag. 220, 221. & seq.

Esaias.

ESai. 1. 14. *Novilunia vestra odit anima mea*, & loca Parallel. Cap. 22. pa. 351. 352.

Esa. 10. 5. *Abest virga & baculus furoris DEI*, & loca Parallel, ubi hostes vocantur *Nguacula conducta*, *calix aureus in manu DEI*, *rete DEI*, Cap. 29. pa. 247, 248, 249. & seq.

Esa. 10. 15. *An gloriabitur securis*, Cap. 24 pag. 360, 361

Esai 29. 10. *Nam perfudit vos Jehovah spiritu soporis alti*, & loca Parallel. Cap. 20. pag. 273, 274. & seq. Esa. 41. 11. Cap. 21. pag. 304.

Esa. 41. 24 *Annunciate quæ futura*, disq. Met. pag. 599.

Esa. 45. 12. *Exercitui eorum præcepi*, in Disq. Metap. Quest. 2. pag. 533.

Loca Novi Testamenti.

Matthæi.

MAth. 11. 20. *Væ tibi Chorazin*, Cap. 5. pag. 50, 51. & Cap. 14. pa. 176.

Math. 11. 21. *Si Tyrii vidissent*, Cap. 14. pag. 174, 175. & seq.

Math. 11. 26, 27. & Cap. 13. *Quia videndo non videbitis, & audiendo non audietis*, & loca Parallel. De judiciali obduratione, & Exod. 7. *Ecce ego obdurabo*. Cap. 21. pag. 287, 288, 289, 290, 291. & seq.

Joannis.

IOanis 3. 16. & alia loca Parallel. quod actus puniendi sit voluntarius in Deo, Ca. 22. pa. 355, 356. Disq. Met. qp 585.

Ioan. 8. 44 Cap. 4. pag. 45, 46.

Ioan. 12. 39. *Obduravit corda ne videant.* Cap. 21. pag. 317. & seq.

Actæ.

ACt. 2. 23. *Hunc definito consilio DEI traditum, ut facerent quæcunque manus tua & consilium tuum prædestinaverit, ut fierent.* Cap. 4. pag. 27. & Act. 14. 16. Cap. 8. pag. 83.

Ad Romanos.

ROm 1. 26. *Tradidit eos DEVS sordidis suis affectibus.* & loca Parallel. de judiciali obdurantione. Cap. 20. pag. 273, 274, 275.

Rom. 3. 9. & loca Parallel. de impotentiâ præstandi legem Dei. Cap. 29. pag. 518.

Rom. 9. 17. *Propter hoc excitavi te*, Ca. 18. pag. 214, 215, 218, 219.

Rom. 9. 17. Cap. 18. pag. 222, 223, 224, 225, 226, 227, 228, & seq. Item. Cap. 18. pag. 233, 234, 235.

Roman. 9. 19. *Quis restitit voluntati?* Cap. 2. pag. 10.

Rom. 9. 22. *Quod si DEVS volens ostendere iram.* Cap. 18. pag. 234, 235.

Rom. 11. 23. *Potens est DEVS eos insere:* & loca Parallel. Cap. 4. pag. 29. & Cap. 9. pag. 93, 94.

Rom. 11. 35. *Quis prior dedit ei?* & loca Paralel. Esa. 40. 14, 15. Cap. 26. pag. 424, 425.

1 Cor.

1 COr. 15. 38. *DEVS dedit corpus ut voluit.* Disq. Metaph. Quest. 9 pag. 566.

2 Thessalon.

2 THessal. 2. 11. *Propterea immisit Deus iis spiritum erroris*, Cap. 20. pag. 273 274. & seq.

Jacob.

JAcob. 4. 15. *Si Dominus voluerit.* Cap. 13. pag. 157, 158. & seq.

1 Pet.

1 PEt. 2. 8. *Ad quod constituti erant.* & locus Parallel. Jud. vers. 4. *Præscripti ad hanc damnationem*, Cap. 18. pag. 239, 237. & seq.

Index Rerum & Verborum.

A

Actio libera non pendet à permissione Dei, secundum Adversarios, Cap. 4. pag. 43.

Circa *Actiones* Dei destinantis hominem ad interitum, distinctiones, cap. 18. pag. 212.

Actio destinandi creaturas ad interitum, non est actio Dei juridica, & forensis. cap. 18. p. 218.

Quatenus *Actio* instrumenti, magis causæ principali, quam instrumentariæ, tribuenda sit: & quas patiatur exceptiones, cap. 18 pag. 251, 252, 253. & seq.

Actio Dei & *Sabæorum* eripientium bona *Jobi*, eadem physicè, non moraliter, cap. 19. pag. 254.

Actio tota in concreto, non tribuitur causæ principali & instrumentariæ, secundum omnes in concretione rationes involutas, Cap. 19. p. 256.

Actio instrumenti, quod nullâ obligatione tenetur, non tribuenda est principali causæ, quæ nexu omnis obligationis solvitur, Cap. 19. p. 259.

Actionum moralium, ratio naturalis, non est prima, non regula regulans, sed secunda, & regula regulata, Cap. 22. p. 316.

Deum *Actionis* causam esse, & non difformitatis conjunctæ, tenent *Aquinas*, *Cajetanus*, *Ferrariensis*, *Driedo*, *Alvarez*, Cap. 26. p. 401, 402.

Ab *Actione* materialis peccati, non inchoatur peccatum, Cap. 26. pag. 430, 431.

Actio materialis odii Dei, ut sic, non est quidditativè malus usus liberi arbitrii, Cap. 26. p. 427, 428, 433.

Actio Dei circa peccatum, qualis est *Bellarmino*, Cap. 29. p. 516.

Actio physica & moralis in voluntatem, Deo tribuitur, à *Bellarmino*, ibid.

Impossibilis est *Actio* causæ secundæ, sine *Actione* causæ primæ, Disq. Meta. p. 592.

In

In eodem *Actu* hæc quinque concurrunt, 1. Impeditio physica, 2. Permissio, 3. Concursus Dei, 4. Impeditio moralis, 5. Morails suasio, Cap. 6. p. 72.

Non *Actus* sed actus anomia, pœnale quid, Cap. 19. p. 250.

Actum unum & eundem, esse & peccatum, & pœnam, & causam peccati, contra *Jacob. Arminium* ostenditur, Cap. 21. p. 309.

Actus omnes entitativi, in linea physica, & de se, sunt indifferentes. nec intrinsecè boni, vel mali? Cap. 22. p. 315.

Actus colendi Deum, entitativè est quid indifferens, Cap. 22. pa. 322, 323.

Actus omnes simplices sunt ex se ἀδιαφορους, & indifferentes, Cap. 22. p. 323.

Actus entitativus, quatenus indifferens, Cap. 22. p. 325, 326.

Actus entitativus ab anomia, seu malitia, in omnibus actibus, etiam intrinsecè malis distinguitur, Cap. 22. p. 335.

Omnis *Actus* etiam in peccatis extrinsecè malis, ut in blasphemia, & odio Dei, ut præscindit à malitia, est entitativè bonus, & moraliter indifferens, id est, nec bonus nec malus, Cap. 22. p. 335.

Actus entitativus imperatur, vel vetatur à Deo liberè, quatenus liberè creat creaturam rationalem, cum coinsculptâ obligatione ad Deo obediendum, Cap. 22. p. 336.

Suadere *Actum* entitativum, mente præscindendo à malitia, quatenus involvat hominem reatu, vel liberat ab eo, Cap. 26. p. 413, 414.

Actus entitativi præcisa ratione malitiæ, non sunt bona opera, Cap. 26. pag. 422. Egent tamen concursu Dei. Ibidem.

Actus materialis qui est in blasphemia, & odio Dei, prout abstrahit ab objecto, puta Deo, non includit malitiam Cap. 26. p. 423.

Actus & in genere, & in specie, imperatur vel vetatur, Cap. 26. p. 431, 432.

Quatenus *Actus* imperetur, & vetetur, Cap. 27. p. 443. 444.

Actus formaliter prohibetur, Cap. 27. p. 465.

Actus in communi, & hic actus in individuo, à Deo est volitus, Cap. 28. p. 472, 473.

Actus odii Dei entitativus, quatenus prohibitus, C. 28. p. 476, 477.

Actus ut à creatura deficiente & legi subdita, reatui involvit creaturam: Deus autem supra legem eximitur, Cap. 28. p. 476, 477.

Actus quomodo prior potentia, Disq. Metaph. Qu. 2. p. 537. & Disq.

Disq. Metap. Qu. 9. p. 363, 364. Quo pacto, *Actus* liber sit contingens, Disq. Metaph. p. 589.

Quomodo ex *Antecedente* absolutè necessario, sit consequentia non absolutè necessaria, Disq. Met. p. 589.

Approbans voluntas, Cap. 2. p 3, 4, 5. Vid. voluntas.

Augustini sententia, de actuosâ Dei circa peccatum providentiâ, C. 13. p. 523, 524.

De *Auxilio* sufficiente, & efficace, Jesuitæ deludunt nos in sua doctrina, Cap. 9. p. 97.

B.

Bona moraliter, vel rationabilia, antecedenter ad Dei voluntatem quænam sint: ex *Bradwardina*, Cap. 22. p. 332, 333, 334.

Bonitas Dei in concurrendo duplex, Cap. 28. p. 472.

C.

Calvini phrases de Providentia Orthodoxæ. C. 29. p. 478. 479.

Cameronis sententia, an Dei voluntas sit prima regula bonitatis moralis, à me non depravatur. C. 22. p. 317. 318. 319.

Causa deficiens Physica, quatenus est causa, cui effectus moraliter imputabilis; quatenus non. C. 8. p. 85.

Causa cur omnia sunt futura, vel nunquam futura, sola est actualissima Dei voluntas. C. 13. p. 146.

Causæ omnes à Deo determinantur. C. 14. 164.

Causa decreti Dei, in incarnatione Filii Dei, est in hominibus & quidem absolute: secundum Jesuitas, & Arminianos. C. 18. p. 245.

Causa actus, non est idcirco causa malitiæ. C. 27. p. 452. 453, 454.

Quatenus Deus est *causa* moralis, quatenus Physica; quatenus subjecta legi, quatenus non. C. 27. p. 457. 458.

Qui est *causa* actus materialis peccati, est causa peccati, examinatur assertio: & rejiciuntur rationes Adversariorum. C. 27. p. 458. 459.

Causa prima prius natura concurrit, quam secunda: differentiæ concursuum. C. 28. p. 468. 469.

Qui est *causa* causæ, est causa causati: examinatur. C. 29. p. 481. 482. 483.

Ratio formalis, propter quam creatura est *causa* peccati, & rea: ex

Scholasticis. C. 29. p. 482. 483. refutantur de ea re *Molina, Suarez, Richard. Feildus.* C. 29. p. 483. 484. 485.

Quod Deus non sit *causa* peccati, ex nostris: refutantur objectiones Adversariorum. C. 29. p. 485. 486. 487. 488.

Id quô posito, aliud necessario sequitur, est *causa* illius quod sequitur, vel quod est causa antecedentis, est etiam *causa* consequentis: examinatur. C. 29. p. 504. 505. & quomodo Deus non sit *causa* peccati, stante hoc axiomate. ibid.

Deus *causa* peccati, à Bellarmino statuitur. C. 29. p. 517.

Deus *causam* secundam ad agendum, præmoveat necesse est; & impium est hic comminisci duos simultaneos & collaterales influxus, Dei, & creaturarum. disq. Meta. p. 592.

Certitudo crucifixionis per agentia libera, nulla in Deo, secundum placita Adversariorum C. 17. p. 208.

Complacentia Dei, Physica, fertur in actum, & moralis displicentia, in ἀνομίαν actus. C. 6. 72.

Deum *concurrere*, est Deum causis secundis vim & potentiam impertiri, juxta Durandum & Lodivic. à Dola: quæ sententia confutatur. C. 25. 361. 362. 363. & seq.

Concursus indifferens, aut concomitans, evertit dominium Dei. C. 3 p. 24.

Concursus Jesuitarum, & Arminianorum, est indifferens, generalis, determinabilis à causis secundis, ita ut à causâ secundâ, non à Deo, ejusve libertate, pendeat, quod effectus potius sit, quam non sit. C. 25. p. 374. 375. & seq. qui *concursus* arguit imperfectionem in Deo, confusionem consiliorum Dei, tollit necessitatem orandi, promissiones & comminationes aufert. C. 25. p. 475. 476. 477. pugnat cum gratitudine, cum particulari Dei providentiâ, fortunam stabilit e dominium Dei evertit, &c. C. 25. p. 377. 378. 379. 380. solvuntur contrariæ objectiones. C. 25. p. 382. 383.

Concursus generalis, cum sit causativus, atque infert Deum esse causam peccati, atque concursus prædeterminans. C. 26. p. 389. 390. 391.

Concursus prædeterminans, quomodo connaturaliter voluntatem gravidam & parturientem suaviter faciliter: non violenter cogat. C. 26. p. 391. 392.

Concursus generalis, infert Deum non esse causam, in actibus bonis, & supernaturalibus C. 26. p. 393. quomodo sit causa per se ibidem.

Concursus prædeterminans, non pugnat cum sapientiâ, bonitate, & justitiâ Dei. C. 26. p. 395. 396.

Concursu generali stante, cogitur Deus, munere causæ universalis influere in actum entitativum peccati: ex Jesuitis. C. 26. p. 396.

Concursus primæ causæ, non fluit ex amore, & voluntate salvandi omnes, & singulos. C. 26. p. 416. 417. Neque ex demerito hominum, ibid. falsum est Deum quantum ex se, non tribuere *Concursum* ad actus materiales peccati. ibid.

Concursum prædeterminativum, tollere pleraque absurda, ex dominio creatæ libertatis fluentia. C. 26. p. 417. 418.

Deus non *concurrit* ad actum entitativum, cum repugnantiâ, odio, aut coactione: ut Jesuitæ volunt. C 27. p 435.

Concursus potentialis, & conditionatus, rejicitur. C. 27. p. 435. 436. tollit dominium Dei, & adstruit dominium creaturæ, in salvationem, damnationem, perseverantiam, apostasiam, & numerum electorum, & reproborum. ibid.

Concursus universalis, *à Jesuitâ Suarezio*, quomodo à prædeterminativâ, distinguatur. c. 27. p. 442. 443. 444.

Concursus universalis, causativus est. c. 27. p. 452. 453.

Concursus DEI, non est actualis, sed in præparatione & potentiâ, ut ait *Rainaudus*. c. 28. p. 471 472.

Identificatio *Concursus* DEI, cum actione, non maculat concursum: nec munus primæ causæ. c. 28. p. 475.

Consideratur distinctio *Concursus* DEI, ad intra, seu præparatio: & *Concursus* externus, sive ad extra. c. 28. p. 474. 475.

Concursus sive influentia positiva, & negativa, Juliani, & Pelagii refutatur. c. 29. p. 415.

Connexiones sapientes, & justas, statuunt Jesuitæ, antecedenter ad DEI decretum. c. 3. p. 18.

Connexio objectiva rerum, absque omni consequentiâ Logicâ, nulla est, antecedenter ad DEI voluntatem. c. 3. p. 19. 20.

Connexiones omnes, à Deo decretæ sunt. c. 3. p. 29.

Connexiones rerum, essentialiter cohærentium, c. 22. p. 330.

Creabile nihil est, prius, quam Creator, nec aliquid creatur, quia est creabile. disq. Metaphy. q. 2. p. 536.

Quia Deus libere *Creat*, potuit, citius, vel serius creasse, ibid.

Consequentia à voluntate Dei, quæ valida, quæ non. c. 1. p. 5. 7. 8

Consequentia à promissionibus, quatenus valida. c. 13. p. 15. 16.

Consequentia ex natura rei, & non logicalis, est figmentum Jesuitæ. c. 3. p. 21. 22.

Consequentia in contingentibus, est valida, non in se; sed vi determinationis Dei, c. 3. 22. 23.

Conservatio providentialis, quid. c. 1. p. 2. 3.

Consilio Dei perfecto, media sub disjunctione repugnant. c. 16. p. 194.

Contradictionem an involvat? Creaturam rationalem, non obedire Creatori. c. 22. p. 329.

Contradictio in creatis, nulla est, antecedenter ad Deum, ejusque decretum, disq. Metaph q. 5. p. 547.

Contradictoria à nobis credi, & Deum non esse, non potest à Deo mandari, aut Deum odisse. disq. q. 9. p. 569. 570.

Convitia Shimei, non permissionem, esse formaliter peccatum, cum responsione *Bellar.* & *Arminii*, Cap. 10. p. 270, 271.

Hoc ipso quod aliquid est *Creatum*, fundat relationem inter *Creatorem & creaturam*, Dominum & servum, & obedientiam aliquam, cum debitâ obedientiâ, Disq. Metaph. Qu. 10. p. 579.

D

DEus *Decernere* non potest, ut essentia, & essentiatum, inter se cohæreant, Cap. 22. p. 322, 323.

Decretum, de futuris contingentibus absolutum. C. 3. p. 14.

Decreto prædeterminante, tolli rerum naturas, & activam vim persuadendi, arguit *Ruiz*, sed malè, C. 5. p. 53.

In *Decreto* prædeterminante, Deus concatenavit conditionatum, etiam in iis, quæ nunquam futura sunt, C. 5. p. 55.

Decreti necessitas, & liberæ voluntatis eadem, Cl 5. p. 57.

Decreti efficacis negatio, aut mediorum, non magis obstat providentiæ, quam negatio congrui decreti, C. 5. p. 59.

Decretum Dei determinans ad futuritionem absolutam, supponitur decretum, de rei possibilitate; ad futuritionem possibilem, sufficit, Cap. 5. p. 64.

De *Decreti* Dei consociatione, cum rebus contingentibus, positiones, Cap. 10. p. 113.

Decretum Dei, de futuris contingentibus, quomodo est absolutum, quomodo conditionatum, Cap. 10. p. 115. *Decreta*

Decreta omnia, esse sub disjunctione, *Tho. Jacksonus* Anglus *Arminii* Sectarius, Cap. 10. p. 116.

Quasi vero, Deus *Decreto* suo immutabili, omnia non determinasset: *Jacksonus* & *Arminiani* fortunæ, possibilitati, vagæ contingentiæ, omnia relinquunt, Cap. 11. p. 122.

A Deo, ejusque *Decreto* æterno, & invincibili providentiâ, omnia & singula, quæ suo demum tempore eveniunt, determinari, Scriptura abundè demonstrat. *Ibid.*

Decreti divini objectum, statuit *Jacksonus* esse, possibile tantum, Cap. 11. p. 125.

Respectu *Decreti* Dei, quædam esse magis, quædam minus necessaria, falsò statuit *Jacksonus*, Cap. 12. p. 126.

Dei *Decreta*, nostræ actiones, nec alterant, nec mutant: sed contra, Dei decreta, nostras actiones alterant, Cap. 12. p. 128.

Decreta Dei, è minus fixis, & mutabilibus, fingit *Jacksonus*, ad fixa, & simpliciter peremptoria, & irrevocabilia in tempore, cum actionibus creaturarum bonis vel malis, adolescere, Cap. 12. p. 130.

Decretum electionis, ut luna, necessariò, secundum *Jacksonum*, incrementi & decrementi capax est, Cap. 12. p. 132.

Decreta Dei, omnia temporanea, ortui & interitui obnoxia, fingit *Jacksonus*, Cap. 12. p. 134.

In *Decreta* Dei, tria heterodoxa, & fœdissima absurda, impingit *Jacksonus*, Cap. 12. p. 135.

Decreto Dei æterno, omnia determinata sunt, quasi libro inscripta Cap. 12. p. 135.

Decretum Dei, quatenus non est conditionatum, Cap. 14. 172.

Decrevit Deus, multas connexiones hypotheticas, quarum extrema connexa, nunquam decrevit, Cap. 14. pag 173.

De Decretis absolutis, per nostram sententiam, locus relinquitur nullus expostulationi cum Deo: & misera in fatalem providentiam, seu potius fortunam, erit querela damnatorum, stante scientia media. Cap. 14. pag. 180.

Decretum liberum, secundum Jesuitarum placita, in Deo non est imaginabile, de collocandis hominibus in tali rerum ordine, quo possit ut supremus, & absolutus Dominus, & figulus, de suo opere prout ei libitum est, disponere,: cum omnes rerum ordines futuritionem habeant, ante omne Dei decretum. Cap. 14, pag 181, 182.

A Deo

A Deo ejusque *Decreto*, est objectiva terminatio, fundamentaliter, quod causatur entitatem, ac proinde cognoscibilitatem, non minus quam causatio. Cap. 14. pag. 185.

Dei *Decreto*, impii sunt instrumenta, inservientia, non moralia non proprie dicta, sed physica, & impropria. Cap. 19. pag. 260.

Decretum efficax, circa peccatum, & decretum Dei effectivum, longe differunt. Cap. 27. pag. 446.

Decreto positivo Deus scit, omnia non futura. disq. meta. q. 5. pag. 548.

Decretum Dei tollit potentiam modalem nou physicam, disq. meta. pag 586.

Quod *Decretum* & voluntas creaturæ, in unam punctum conspirent disq. meta. pag. 588.

Decreta concatenatio extremorum, quæ nunquam in rerum natura sunt futura, arguit perfectissimam in Deo providentiam : neque irrita sunt talia decreta disq meta. pag. 591.

Decretorum Dei immutabilitatem negant *Sociniani*, disq. Metap. q. 10. p. 580.

DEI invitationes, quid revelent, Cap. 2. p. 9. Quid tristitia, obtestatio, preces, Ibid.

DEI voluntas non est suspensa circa peccatum, Cap. 2. P. 11.

DEI intentio non terminatur simpliciter, in interitum hominis, Cap. 18. p. 213.

DEI voluntatem primam justitiæ suæ regulam, ad extra, Nostri statuunt. disq. metaph. q. 10. p. 584.

Dependentia creaturæ rationalis à Creatore, quatenus necessaria, Cap. 22. p. 329.

Quo modo *DEVS* nos non deserat, nisi nos prius deseramus illum, Cap. 26. p. 425.

Desertio qualis Deo tribuenda in primo peccato, C. 29. p. 517. 518.

Quomodo *Adamus Desertus*, peccet, Ibid.

Quomodo *Determinationem* peccati, *Arminius* Deo adscribendo, Deum authorem peccati faciat, Cap. 16. p. 198.

Determinatio ad materiale peccati, citra subjectionem ad legem, liberat Deum à culpâ, Cap. 27. p. 442, 443.

Determinata veritas, aut falsitas nulla ante Deum ejusque decretum, disq. metaph. Qu. 5. p. 547.

DEVS peccatum impedire non potest, juxta Jesuitas, C. 4. p. 34.
DEVM, quædam nolle facere, quæ antea facturum se receperat, imò juraverat, quia res extra Deum mutatæ sunt, C. 12. p. 131.
DEVM creaturas simpliciter, & creaturas liberas, ad interitum destinare: differunt, Cap. 18. p. 214.
DEVM, non in ambiguum, sed in certum, & determinatum finem, hominem condidisse, Cap. 18. p. 217.
DEVM velle interitum hominis, etsi ex præscientiâ id velit, nec potest præscientia eventus minuere, sed potius augere & intendere volitionem eventus, Cap. 18. p. 220.
DEVS non habet se purè negativè, circa expulsionem à beatitudine: locus ad *Rom. 9. 17. Ad hoc ipsum excitavi te, Pharaoh*, expenditur & vindicatur, Cap. 18. p. 223.
DEVS non potest ostendere gloriam potentiæ, justitiæ & justitiæ vindicatricis, per nudam permissionem, citra peccatum permissum; glossa verò Adversariorum, gloriæ divinæ justitiæ, & misericordiæ ostensionem subjicit, non supremi figuli, sed vasis lutei, lubrico arbitrio, 18. p. 228.
DEVS largitur multa beneficia, eo fine ut cedant iis in quos conferuntur, in exitium longè gravius, Cap. 18. p. 226.
DEVS intendere potest patefactionem potentiæ suæ, & justitiæ, & dare τὸ esse homini, eo fine ut sic patefiat gloria justæ ultionis; quando illud esse datum, cedit in exitium creaturæ, nulla Dei datoris, sed solius creaturæ culpa & vitio, Cap. 18. p. 227.
An *Deus* ad peccandum, præordinat, c. 18. p. 229.
Deus eandem determinatam gloriam justitiæ, non aliam, quam assequitur, intendit, c. 18. p 233.
Deum, in consiliis capiendis, pendulum, ancipitem, ignarum, somniant, Adversarii. c. 18. p. 234.
Deum, complacentiâ permissivâ, præordinare ad peccatum: quatenus est pœna peccati, c. 18. p. 236.
Deum ad peccatum prædestinare, quatenus patres negant, c. 18. p. 237.
A *Deo* quosdam, præ aliis, ad miserias longe atrociores condi, c. 18. p. 245.
Deum, velle omnes in peccato pœnalitates, & dum existit, & antequam existit, peccatum, c. 20. p. 277.

****

Quo

Quo pacto *Deus* non induret, c. 21. p. 301.

Deus solâ mediorum indulsione, non indurat, c. 21. p. 302.

Deus non negative tantum, indurat, ibid.

Deus sui odium in complexo, imperare non potest, c. 23. p. 328.

Extra *Deum* nullæ sunt rationes, quæ ipsum movent, aut circumscribunt, ad agendum ad extra: vel ad plures convertendos, vel salvandos; quam ipsi visum est, c. 27. p. 438.

Deus an author peccati, quia negat gratiam necessariam, ad vitandum peccatum, c. 29 p 518.

Deus est omne, actu, quod est, nihil potentiâ, disq. Meta. q. 5. 550. 551.

Deus amando omnipotentiam, coadamat possibilia infinita, ad intra: non ad extra, disq meta q. 7. p. 560.

Quatenus *Deus* sui odium, imperare queat. disq. metaph. q. 10 p. 582.

Diaboli, jam peccant, c. 2. p. 7.

Diabolus, non efficacius influit in actum entitativum, quam Deus, c. 26. p. 412. 413.

Diabolum non intendere malitiam actus, sed ipsum actum, falsum est, c. 26. p. 413.

Creaturam rationalem *Diligere* Creatorem, est ita necessarium, ut Deus eum actum vetare nequeat, c. 22 p 331.

Dispensabilia præcepta quæ, c. 22. p. 329 330. 332.

Dispensabilia præcepta quæ, c. 22 p. 340. 341.

De *Dispositionibus* immensis, aptis ad voluntatem flectendam, ubi Raynaudi effugium tollitur, c. 4 p 45.

Dominium Dei, in numerum prædestinatorum, & reprobatorum, evertitur per scientiam mediam, c. 3. p. 26.

Dominium Dei, penitus evertitur, per Jesuitarum, & Arminianorum dogmata, c. 4. p. 28. 29. 30. & seq.

Dominium in actus liberos Deo ascribit Scriptura. Ibid.

Omnes possibiles rerum ordines qui præsciri possunt à Deo, asserunt Dei scientiam & decretum, & tollunt *Dominium* Dei, stante Scientiâ Mediâ, Cap. 4. p. 30, 31.

Non est Deo *Dominium* in numerum Electorum, juxta Jesuitas, Ibid.

Dominium Dei, in esse, & in vitam hominum, astruunt Jesuitæ, in

tæ, in liberum arbitrium verò pernegant, Cap. 4. pag. 31, 32.

Non est Deo *Dominium* in circumstantias, quia antecedunt Dei decretum & scientiam, ut res contingenter futuræ, Cap. 4. pag. 33, 34.

Qui persuadere potest, non habet *Dominium* in liberum arbitrium, neque qui infallibiliter præscit, Ibid.

Annihilatio voluntatis non sufficit ad destruendum Dei *Dominium*, in voluntatem, quatenus est libera, sed quatenus est ens creatum, Cap. 4. p. 34, 35.

Consolatio nulla est à *Dominio* Dei, quod Deus posset res à lapsu immunes custodire, & sistere inculpatos, coram Deo Patre; si hoc non nisi annihilando voluntatem, facere potest, Ibid.

Dominium quod astrunnt Jesuitæ, tollit fiduciam, spem & orandi consolationem, Ibid.

Dominium malè definitur à Jesuitâ *Ruiz*, Cap. 4. p. 35, 36.

Effugium *Ruiz* de *Dominio*, quod Deus posset absolutum *Dominium* conferre in homines & Angelos, Cap. 4. p. 36, 37.

Dominium in actum liberum qua tale, ignorant, vel se ignorare dissimulant Jesuitæ, Ibid.

Dominium cum laxa permissione Jesuitica, non est *Dominium*, Ca. 4. p. 37, 38.

Pro *Dominio* miserlæ creaturæ, Jesuitæ ferventius, quam pro absoluti & independentis Dei nostri dominio, contendunt, Cap. 4. p. 41.

Dominium Creatoris deprimentis, & dominium creaturæ extollentis, *Lod. a Dola* effugia everruntur, Cap. 4. p. 43.

Dominium Raynaudi, quod Deo tribuitur in actus liberos refutatur, Cap. 4. p. 45

De *Dominio* Dei in voluntatem liberam, *Ægidii Conink* effugium explodituf, C. 4. P. 46.

De *Dominio* Dei in voluntatem liberam, *Hyer. Fasoli* Jesuitæ Neapol. effugium tollitur, C. 4. p. 47.

Dominium Dei in liberas creaturas, est nudum nomen & vanus titulus, C. 27. P. 436, 437.

Absoluto Dei *Dominio* alia subest ratio, quam sola voluntas pura Dei, non minus quam justitiæ Dei strictæ, Disq. Metaph. q. 10. Pag. 583.

E.

Efficacia agendi in malis actionibus duplex, Cap. 29. Pa. 478, 479.
Efficax procuratio peccati duplex, C. 29. P. 486, 487.

Entia triplicia sunt, 1. quædam spectant ad essentialem mundi constitutionem, 2. quædam ad integritatem simpliciter, 3. quædam ad integritatem accidentalem, C. 23. P. 532.

Ens prius est non ente, disq. Neta. q. 2. P. 532.

Ente primo sublato, nihil entis, veri, possibilis. falsi, boni, mali, esset, disq. Meta. q. 5. 547.

Ente primo non existente, convelleretur hoc primum principium, (impossibile est idem ens simul esse, & non esse,) disq. Metape. q. 5. p. 556, 557.

Jesuitæ supponentes omnes *Enunciationes* de futuris contingentibus esse etiam ante Deı decretum determinatæ veritatis, petunt principium, quia sunt *Enunciationes*: at hoc imprimis falsum, quia multæ enunciationes sunt possibilis tantum veritatis, C. 5. P. 66.

Essentiæ rerum creatarum, non sunt æternæ, Disq. Mtaqh. disq. 6. p. 557, 558.

Euangelium quatenus est nuda voluntas approbans, non habet adjunctum Spiritum, Cap. 2. p. 8.

Eventuum malorum efficacia, Deo ascribi nequit: secundum Adversarios, Cap. 16. p. 197.

Excæcatio eadem est, quæ est à Deo & peccatore, contra qnod statuit *Arminius*, Cap. 21. p. 308.

Existentia vel non existentia rerum & actionum, non est objectum voluntatis signi: sed beneplaciti, Cap. 2. p. 8.

Existens. obedientia, aut non existens, quatenus laudatur aut præmio afficitur, Cap. 2. p. 10.

F.

Fatum quadruplex, Cap. 10. p. 100.
Fati Astronomici error, Cap. 10. 104.

Fati Astronomici, & prædeterminationis physicæ, vastæ differentiæ, Cap. 10. p. 106.

Inter *Fati* Astronomici & Mathematici Patronos & Nos, discrimina, Cap. 10. p. 107, 109, 110.

Fato duriſſimo & inſuperabili, Jeſuitæ & Arminiani Deum conſtringunt, Cap. 10. p. 108.

Fatum quartum, Cap. 10. p. 110.

De *Fato Jacksonus* cum ſuis *Arminianis* ignorat, quid ſit voluntas ſigni, quid beneplaciti, Cap. 11. p. 118.

Fatum Platoni quid, ex *Jackſono*, Cap. 11, p. 119.

Fatum Plato potius ridet; & mulieribus ſententiam de fato aſcribere viſus eſt in Gorgia. Mulieribus (inquit) credendum, ὁτί τὸν ἐκφυγόν. Quod nemo *Fatum* effugere poſſet, Cap. 11. p. 119.

Jackſonus, *Fato*, id eſt, ſapientiſſimo Dei decreto, præmia & pœnas includit, omnia alia entia providentiâ & decreto excludit quaſi penes cæcam fortunam eſſet rerum omnium gubernatio, C. 11. p. 120.

Fatum nullum eſt, in prædeterminatione ad actus entitativos peccati, Cap 26. p. 396, 397, 398.

Fatum Auguſtino, à *Pelagianis*, ſicut Nobis à *Jeſuitis* objicitur Ca 30. 524, 525, 526.

Finis alius eſt moralis, alius phyſicus, Ca. 18. P. 215.

Finis alius eſt creationis, & opificii, alius finis Dei, opificis & Creatoris. Ibid.

Diſcutitur illud (qui vult finem vult media ad finem) Ca. 18. Pag 232.

Finis operis, & Finis operantis, in De i creatione, quatenus intentus. Ca. 26. P. 428, 429.

Fortunæ poſſibilitati, & vagæ contingentiæ, *Jackſonus* & *Arminiani* omnia relinquunt: quaſi vero Deus, non omnia ab æterno determinaſſet, immutabili ſuo decreto, Ca. 11. P. 122.

Fortuna in ſolio collocatur, per otioſam providentiam Adverſariorum, Ca. 24. P. 364, 365, 366, 367. Quid Fortuna, Ca. 24. 363, &c.

Futura contingentia ſunt à parte rei determinata, idque ab æterno diſjunctivè non copulativè, Ca. 10. P. 114.

Futura conditionata, Deus in ſuo decreto præſcit, faceſſat ergo ſcientia media, Ca. 13. P. 148.

Deus *Futura* omnia in ſua voluntate præſcit, ex Bradwardina Ca. 13. P. 153.

Deum circa *Futura* conditionata connexa, & ſi extrema connexa nunquam extiterint, voluntatem habere, ex promiſſionibus & com-

& comminationibus, tum Legis, tum Evangelii, probatur, Ca. 13 Pag. 153.

Deus Futura conditionata in suo decreto præscit, secundum nobiles Scholasticos, Ca. 13 P. 163.

Futura non sunt intrinsece & à se *Futura*, vel non *Futura*, antecedenter ad Deum, aut citra primum ens. disq. meta. q. 5. p. 551.

De futuris contingentibus quomodo decretum est absolutum, quomodo conditionatum, Ca. 10. P. 115.

Futuritio peccati, non pendet à voluntate Dei conditionatâ, juxta Jesuitas, Ca. P. 33.

Ad *futuritionem* absolutam, supponitur decretum Dei determinans, ad futuritionem possibilem, sufficit decretum de rei possibilitate, Ca. 5. P. 64.

Futuritio quid, disq. meta. q. 6. P. 559.

Futurum, & possibile, differunt, Ca. 2. P. 14.

Futurum est à Dei voluntate futurum. Ca. 3, P. 24. 25. est æternum neque unquam incepit esse, Co. 3. P. 25, 26.

Nihil *Futurum* Deus cognoscit absque decreto *futuritionem* causante, Ca. 5. P. 59.

Omne *Futurum* actu, est à decreto Dei actuali non possibili tantum, Ca. 14. P. 174.

Adversarii negant omne *Futurum*, dum negant futuri causam esse Dei decretum, aliamve habere, quam præsentis actionis causam, disq. meta. P. 598.

Futurum, non est mere nihil, disq. meta. P. 598.

Disputator negat *Futura*. quia nescit quid sit futurum ibid. & ait *Futurum* esse præsens, non futurum. disq. meta. P. 600.

Et ægre fert ullam rerum necessitatem, quæ orta sit à Dei decreto. P. 601 & causam actionis præsentis reddit, pro futuri causa. Ibid. ejusque argumentum adversus futuritionem peccatorum æternam, æquali robore militat contra futuritionem omnium rerum, P 602.

G.

Pennotus asserens Deum Adamo utenti *gratia* sufficiente, conferre aliam gratiam, secundum præscientiam efficacem, refutatur, Ca. 9. P 95.

De auxilio gratiæ sufficiente, & efficace, Jesuitæ deludunt nos, in sua Doctrina, C. 9, P. 97.

Gratia efficax, non est causa actus supernaturalis *Arminio*, sive materialiter, sive formaliter consideretur, Ca. 29. P. 506, 507.

DEVS ex *Gratia*, non ex justitia, sponsorem dedit, Disq. Meta. q. 10. P. 585.

H.

Hircocervus, quomodo sit ens impossibile, quomodo non. disq. meta. q. 4. P. 54.

Homines creatos esse, ut pereant, quatenus negat *Augustinus*. Ca 18. P. 217.

Libertas Dei quatenus intervenit, inter essentiam, & essentiatum, & quomodo *Homo* libere creatur, animal, & necessario necessitate naturæ, sit animal rationale, nempe in relatione ad Deum liberè creantem, liberè sit & liberè est animal rationale & in relatione ad partes internas, & Metaphysicas. necessitate naturæ est animal rationale, disq. Meta. q. 9. P. 593, 594, 595.

Hypotheseis liberæ Jesuitarum, nec per Omnipotentiam anteverti aut impediri possunt, C. 4. P. 40.

I.

Idem simul esse & non esse, est impossibile: est principium, quod prius obtinet veritatem in DEO, quam in creaturis, disq. Metap. q. 1. P. 531

Idem potentiâ, & actu, quomodo idem, Disq. q. 9. P. 565.

Jesuitarum sententia, de Scientiâ Mediâ, exploditur, Cap. 3. P. 12, 13.

DEUS non potest *Impedire* peccata, *Impediendo* quo minus malitia sequatur actum, hoc posito quod actus sit Lege DEI vetitus, Ca. 26. P. 420.

Abrahamum mactare filium, *Imaginis* DEI pars desiit esse, DEO ita jubente, C. 22. P. 320.

Impedire peccatum, quomodo DEO tribuatur, ab *Arminio*, Ca. 29. P. 516.

Ex *Arminianis* DEUS non potest efficaciter *Impedire* peccatum: C. 29, P. 515.

Impeditio peccati, quam *Arminiani* comminiscuntur, est efficax procuratio ut fiat peccatum, C. 7. P. 78.

Impeditio

Impeditio merè suasoria Arminianorum, profligatur, C. 7. P. 79.

Corvini Impeditio peccati Arminiana secundum nullam præscientiam, refutatur, C. 9. P. 94.

Impeditio Ethica, seu moralis peccati, ab *Arminio* asseritur, physica negatur, impugnatur *Arminius* de hâc re, C. 29. P. 496.

Impossibile omne est originaliter à DEO, disq. Meta. q. 4. P. 540, 541.

Impossibile simpliciter nihil est incomplexum, sed complexum in creatis, Disq. Metaphy. q. 4. P. 541.

Impossibile primum in DEO est. Ergo est origo omnis impossibilitatis in creatis, disq. Metap. q. 4. P. 543.

Impossibile simpliciter nihil, si tollatur primum ens, disq. Meta. q. 5. P. 552, 553, 554.

Impossibilitas nulla infertur voluntati, ex prædeterminatione physicâ, C. 26. P. 407, 408.

Imputabilitas, qua tribuitur effectus Deo, longè alia est ab eâ quâ nobis imputatur effectus, C. 8. P. 86.

Deus *Independens* Dominus actuum, etiam internorum, C. 8. P. 469, 470.

Individuatio actus entitativi peccati, à speciali providentiâ, C. 28. P. 470, 471.

Deum ita *Indurare* ut indurationem nollet, ut peccatori indifferens sit, obdurari vel non obdurari, & neminem reprehendi debere nisi in nostrâ indifferenti potestate sit, obduratio, vel emollitio, *Pelagiani. Jesuitæ* & *Arminiani* docent, C. 21. P. 292.

Indurandi modi, quos assignant *Jesuitæ, Arminiani, Pseudo-lutherani*, sunt contra veritatem & Sanctorum preces, C. 21. P. 298.

Indurationem non intendi à Deo, sed obedientiam, non esse justum, quia non est peccatum juxta, ac peccati pœna, Jesuitæ & Arminiani concordes cum Pelagianis sunt, C. 20. P. 294.

Indurationem à Dei beneplacito, & non à nostro libero arbitrio dependere; fatale esse clamant *Jesuitæ, Arminiani*, & *Pelagiani*, C. 22. P. 296!

Induratio permissiva & otiosa in Deo, quam commenti sunt Adversarii subjectum nullius comminationis est, neque est in Scripturâ, C. 21. P. 306.

Instrumentorum distinctio, quorum quædam à principali causâ, totam

totam impulsionem recipiunt, quædam non, C. 19. p. 256.
Simultaneus Dei & creaturæ *Influxus* evertit dependentiam creaturæ à Creatore, in agendo, disq. meta p. 594. Et infert duo prima principia, Ibid. Scientiam Dei evertit, p. 595.
Nec Deus efficit ut causa secunda agat, stantibus *Influxibus* simultaneis. Neque *Influxus* Dei est qualitas permanens inhærens causæ secundæ, disq. Meta. P. 595
Adamus liberè peccavit, etsi subtractus fuerit *Influxus* Dei, sine quo non potuit non labi, Disq. Meta. P. 597.
Instrumenta alia nescientia & passiva, alia scientia & activa, Ca. 19. P. 258.
Instrumenti actio, Vid: actio.
Impii *Instrumenta* sunt, inservientia DEI decreto, Vid: decretum, C. 19 P. 260.
Quare *Instrumenta* DEI sunt homines peccantes, C. 29. P. 479.
In *Intellectu* DEI, nihil prius, disq. Meta. q. 7. P. 560.
Intentio permittendi efficax, & inefficax, C. 28. P. 473, 474.
Justa triplicia sunt, quædam priora naturaliter, divinâ voluntate, 2. quædam posteriora, 3. quædam mixta, C. 22. P. 339, 340, 341.
Justitia punitiva, inest DEO liberè, non necessitate naturæ, C. 22. P. 345, 346, 347, 348, 349.
Justitiam punitivam, liberè inesse DEO, solvuntur contrariæ objectiones, C. 22. P. 351, 352, 353.
Evasio quorundam dicentium, *Justitiam* relativam esse in DEO naturalem, etsi eam non semper exerat, disq. Meta. q. 10. P. 582.
Justitia DEI, quatenus in liberam voluntatem refertur, dis. Met. q 10. P. 584.
Quatenus & quomodo *Justitia* correctiva quæ refertur ad creaturas, non sit essentialiter in Deo, disq. Meta. q. 10. P. 585.

L.

LEx non revelat nobis decretum Dei de eventu. c. 2. p. 6, 7.
Lex ante decretum qualis, disq. meta. q. 10. p. 588
Liberi actus, ideo fiunt, quia eos fieri DEUS decrevit. c. 3. p. 13
Influxus Omnipotentiæ, non evertit actus *Liberos*. c. 4. p. 20. 30
Libertas Dei. causa est actuum, intrinsece bonorum: quia est causa, existentiæ, creaturæ rationalis. c. 22. p. 322.

Libertinorum Doctrina, blasphema, , quod Deus sit Autor peccati, c. 29. p. 579, 480, 481.

Liberum Dei beneplacitum, est prima regula omnis bonitatis moralis, in creaturis. c. 22. p. 312. 313. & seq.

Liberum Dei beneplacitum, est causa bonitatis c. 22. p. 314.

Liberum Dei beneplacitum, quatenus causa creatæ moralitatis. c 22. p. 327, 328, 329.

Liberum Dei beneplacitum, esse regulam creatæ rectitudinis moralis, in genere, & in hoc, vel illo actu, quatenus verum: & solvuntur contrariæ objectiones. c. 22. p. 343, 344.

Liberum Dei beneplacitum, quatenus est causa essentiarum, rerum omnium, disq. meta. q. 9. p. 563, 564.

Essentia *Libertatis* creaturæ, pessime à Jesuitis & Arminianis definitur, disq. meta. p. 587.

M.

Mala esse, & *Malum* permitti, non est simpliciter malum. C. 13. P. 144.

Mala quatenus sunt prohibita, ex Durando. C. 22. P. 329, 330.

Malitia est separabilis, ab omni actu. Ca. 26. P. 306.

Malitia non est accidens per se, conveniens actui. Ca. 26. P. 401. aliud est hominem formaliter causari actum, & causari *Malitiam* ibid.

Inter *Malum* culpæ, & pœnæ, differentia. Ca. 20. P. 265.

Mandatum Dei, quid revelet. Ca. 2. P. 9, 10. Vide Dei

Mimechismus nullus est, in prædeterminatione physica, ad actus entitativos peccati.

Media sub disjunctione, perfecto Dei consilio repugnant. Ca. 16. P. 194.

Media, quatenus antecedenter ad Dei decretum, sunt Media. disq. meta. q. 10. P. 585.

Meritum quatenus consequitur actum. Ca. 28. P. 478.

Mors Christi absolute necessaria *Jacksono*, attamen libera fuit, quod *Jacksono*, & *Arminianis*, contradictorium est. Ca. 12. P. 133.

Mors Christi, hæc eadem numero, quam per hæc eadem numero mala instrumenta perpessus est, unico, absoluto, & fixo decreto

creto ſtatuta eſt non conditionate, & ſub disjunctione, ut cum *Corvino*, *Arminiani* ſtatuunt. Ca. 17. P. 205.

Mœreri DEUM, ad actum entitativum, contra ſanctam ſuam intentionem contendunt Adverſarii. Ca. 26. P. 399, 400.

N.

QUædam eſſe magis *Neceſſaria*, quædam minus neceſſaria, reſpectu DEI decreti, falſo ſtatuit *Jacksonus*. Ca. 12. P. 126.

Æque *Neceſſaria* ſunt omnia, reſpectu Divini decreti. Ca. 12 Pag. 127.

DEUS non *Neceſsitate* naturæ agit ad extra, ut, in ſui amorem inclinat, Ca. 22. P. 325.

Quatenus Deus *Neceſſitate* naturæ odio habet peccatum. Ca. 29 P. 489. 390.

Quænam *Neceſſitas* ex decreto fluat. Ca. 29. P. 506, 507.

Neceſſitas naturæ, duplex in Deo quoad ſubſtantiam actus, & quoad agèndi modum. diſq. meta. q. 8. P. 561, 562.

Neceſsitate naturæ non punit Deus peccatum. diſq. meta. q. 8.

Neceſsitate naturæ, homo eſt animal, rationale, & libere etiam, ſit animal rationale. diſq. meta. q. P. 564, 565, 566.

Neceſsitate nulla, Deus concluditur, ad res extra ſe, tali vel tali eſſentiæ perfectione, aut gradu creandum. diſq. meta. q. 9. P. 567, 568.

Neceſsitas ex decreto, non convenit rei decretæ per ſe, & ſemper. diſq. meta. P. 597.

Non-ens dupliciter ſumitur, pure negative, & pure contradictoriè. diſq. meta. q. 5. 347.

Non-ens nihil negaret, neque ens creatum, neque increatum, ſi non eſſet primum ens. diſ. meta. q. 5. P. 549.

O.

OBdurandi modus, ex patribus, preſertim ex Græcis inanis. Ca. 21. P. 287.

De *obdurationè* Adverſarii, *Pelagii* effugia arripiunt. Ca, P. 291.

Objectiva terminatio, eſt a Deo, ejuſque decreto, P. 185. Vide decretum.

Obligario vitandi actum entitativum, quatenus concedenda, Ca 27. P. 465. 466.

Odisse Deum fieri posset, citra omnem malitiam. Ca. 22. P. 337.
Ordinabile ad bonum per se, convenit peccato. dis. meta, p. 604.
Quomodo Deus in tempore & ab æterno ordinet peccatum. Ibid.

P.

TRes *Parcæ*. Ca. p. 102.
Passiones bonas Christi Crucifixi, non malas actiones crucifigentium, à Deo decerni quæ est responsio *Bellar. Suarezi*, & *Mesneri*, exploditur. Ca. 17. p. 201.
Peccatum non est violatio voluntatis beneplaciti Ca. p. 10.
Peccatum & interitum creaturæ, Deus æque intendit, antecedenter stante scientiâ mediâ: ac si negaret commentum hoc. Ca. 5. p. 6.
Peccatum à DEO impediri non posse, *Smising* ingenuè fatetur; ideoque peccatum DEI domininm. ut conversionem & non-conversionem plurium quam convertuntur aut non-convertuntur, voluntatis DEI providentiam effugere, C. 9. P. 93.
Peccata à Deo permittente & decernente, provenire. Argument. (1.) à Sacrâ Scripturâ, C. 16. P. 191. Contra hoc assertum vide sex exceptiones, C. 16. P. 192, 193, 194, 195, 196, 197.
Peccata juratorum Christi hostium à Deo decerni fatetur *Arminius*, C. 17. P. 204.
Peccata Deo permittente decerni, ex Scriptuta probatur, C. 17. P. 209.
Peccati ingressus in omnes *Adæ* posteros, probat Deum velle peccatum fieri, se permittente, volente & ordinante, C. 18. P. 211.
Quatenus *Peccatum* est ordinabile ad Dei gloriam, C. 18. P. 230.
Peccatum permittere intendit Deus, antequam sit, vel peccatum, vel peccati permissio, C. 18. P. 241.
Peccati in se, & peccati qua est medium declarandæ gloriæ Dei distinctio, nec non distinctio vindicatur, C. 19. P. 247.
Peccati usum, nullo modo ejus ortum, Deum velle, quæ est evasio Adversariorum, refellitur, C. 19. P. 248.
Peccatum causæ instrumentariæ, non verò causæ principali, nempe Deo, imputandum est, C. 19. P. 252 253, 254, 255.
Peccati in se, & in relatione ad Dei Legem, qua peccatum est, (quæ est Euangelicorum distinctio) & peccati, qua pœna est peccati, in relatione ad peccantem, cui est malum pœnale, vindicatur, C. 20. P. 261.

Peccatum, quot modis sit pœna peccati, C. 20. P. 262.

Peccata & flagitia præfractorum, in censum peccatorum venire, negant *Remonstrantes*, & *Arminiani*, Cap. 20. P. 266. Pontificii quidam paulo aliter sentiunt, qui credunt nonnullos profligatissimos homines, omnibus gratiæ auxiliis ita privari, ut inconvertibiles relinquantur; sed minimè negant talium peccata, in censum aut numerum peccatorum venire: aut tales reatu non involui, Ibid.

Peccatum esse *peccati* pœnam, idque formaliter ex Scripturis, & rationibus inde deductis, probatur, C. 20. P. 276.

Peccatum formaliter esse *peccati* pœnam, non verò permissionem *peccati* esse pœnam: ex loc. 2 *Sam.* 12. 11, 12. qui locus probat Deum, per incestum *Absolonis*, *Davidem* punire, C. 20. p. 268.

Peccatum esse *peccati* pœnam probatur, simulac objectiones *Molinæi* & *Ruiz* in contrarium tolluntur, C. 20. P. 276.

Peccata, quæ sunt intrinsece *peccata*, Deus non potest velle, sed *peccata* quæ extrinsecè peccata vult: si credimus *Ruiz*, Cap. 20. P. 277.

Hoc *Peccatum*, potius quam illud, Deus vult (inquit *Ruiz.*) Ergo vult peccatum simpliciter, C. 20. P. 278.

Quatenus *Peccatum* & injuria Deo irrogata potest esse, & est, & ultio & injuria, C. 20. P. 279.

Peccatum quatenus est malum quid omni punito, C. 20. P. 280.

Peccatum, & pœna differunt: quatenus sunt diversi conceptus quidditativi peccati & pœnæ, C. 20. P. 281.

Rationes *Vasquezii* statuentis *Peccatum* non esse pœnam peccati, evertuntur, C. 20. P. 282.

Peccatum Deus potest velle, propter bonum longè eminentissimum: fatentibus Jesuitis. C. 20. P. 286.

Peccatum quo sensu Deo opponatur, C. 22. P. 312.

Peccatum, aliquid universi plenitudini & splendori conferre, Cap. 23. P. 356, 357.

In omni *Peccato* sunt actus & inordinatio, seu malitia, quomodo distinguantur, adversus *Jacobum Arminium*, C 27. P. 461. 462, 463, 464.

Peccatum nullum in mundo, nulla deformitas, respectu primæ causæ, C. 29. p. 490, 491.

Peccatum & *peccati* existentiam, quomodo Deus odio habet, aut velit, C. 29. p. 491, 492.

Peccatum

Peccatum non habet rationem boni honesti, & sic non est volibile, sed boni utilis, quomodo Deus permissivè illud vult, Ibid.

Quomodo verum sit illud, melius est *peccatum* fieri, seu existere, quam non fieri, C 29. p. 493, 494.

Peccati & *peccati* existentis, non est eadem bonitas & malitia, C. 29. p. 494, 495.

Peccati eventus non est idem cum peccato, Ibid.

Deus non vult *peccatum* ut bonum eveniat, ex *Calvino*, C. 29. p. 500

Peccatum quatenus habet rationem boni, apud Deum decernentem, C. 29. p. 500, 501.

Peccatum qua malum, non permittitur à Deo, Ibid.

Peccatum qua *peccatum*, quomodo sit objectum divinæ permissionis, C. 29. p. 502.

An *peccatum* qua *peccatum* sit medium, à Deo volitum, Ca. 29. pag. 503.

Quatenus *peccatum* appeti potest, C. 29. p. 508.

Peccatum conjunctum cum bono excellentiore, quam id quod privativè tollit, C. 29. p. 509, 510

Falsum est *peccatum* esse majus malum, quam declaratio gloriæ Dei est bonum, C. 29. p. 510, 511.

Quatenus *peccatum* est inconveniens intellectui Dei, & sapientiæ, C. 29. p. 511.

An *peccatum* sit essentialiter malum Deo, Ibid.

An *peccatum* turbet ordinem universi, & sic non sit appetibile, C. 29. p. 512.

Peccati causa Deus statuitur, à Scholasticis nonnullis, & Adversariis, quod Nos execramur, ut impium dictu, C. 30. p. 527, 528.

Peccatum est pœna *peccati*, teste *Augustino*, C. 30 p. 524, 525.

Permissio necessariò infert peccatum, ex Pontificiorum sententiâ, C. 2. p. 11, 12.

Permissio peccati certitudinem habet, citra commentitiam hanc scientiam mediam, C. 5. p. 58.

Permissio quid, C. 6. p. 67.

Permissionis sex considerationes: item quatenus *permissio* positivam Dei voluntatem includit, C. 6. p. 67, 68, 69, 70. Item *permissio* opponitur effectioni actus, vel impeditioni, C. 6. p. 69.

Permissio legalis seu moralis, & physica, c. 6. p. 68.

Permittitur vel intellectus, vel voluntas, ca. 6. p. 70.
De *permissione*, septem quæstiones discutiendæ, ca. 7. p. 73.
Permissio Jesuitis est merus usus liberi arbitrii, Ibid.
Qualem *permissionem* Adversarii Deo affingunt, ca. 7. p. 76.
Permissio homini & diabolo tributa, in Scripturis, non est indifferentia voluntatis liberæ, fixata à providentia Dei prædeterminatrice: qui possunt peccare, vel non peccare, ut autumant, ca. 7. p. 77.
Permissio Arminiana ponit in Deo voluntates contrarias, c. 7. p. 79.
Permissio non rectè definitur nuda Dei non-coefficientia ad actum C. 8. p. 81.
Ad dignoscendum, quoties valida sit consequentia à *permissione* ad peccatum *permissum*, quinque regulæ cognitu necessariæ, C. 8. p. 82.
Permissio est actus temporarius & transiens, non immanens & æternus, C. 8, p. 83.
A *permissione* ad peccatum, à non-*permissione* ad abstinentiam à peccato, Scriptura arguit, Ibid.
Si *permissio* peccati relinquat permissum potentem, & indifferentem, ad non peccandum: tollitur omnis religio, timor, fiducia, oratio, gratiarum actio, humiliatio, &c. C. 8. p. 84.
Permissio Dei conditionata, dependens, à creatura: est multis nominibus contraria, providentiæ & gloriæ Dei. Ca. 1. p. 89.
Permissionis Lessianæ causæ profligantur. Ca. 9. p. 89.
Hæc *Permissio* conditionata, tollit piam solicitudinem, & numerum certum Electorum; & reproborum & ista, refert in voluntatem creatam, non in Dei voluntatem Ca. 9. p. 90.
Permissionis Divinæ causæ, à *Pennoto* & *Arminianis* præsertim *Arnoldo Corvino* examinantur. Ca. 9. p. 92
Causæ *Permissionis* de facto, non est actualis abusus gratiæ ut vult *Pennotus*. c. 9. p. 96.
Permissio Jesuitica, facit Deum peccati Authorem. c. 15. p. 187.
Permissio laxa Arminii, additâ *Permissioni*, lusus est, c. 16. p. 197.
Permissio peccati, in determinatum finem, probat peccatum fieri Deo volente. c. 18. p. 212.
Permissio peccati, non est quid punibile, & condonabile, nec medium proximum gloriæ justitiæ Dei declarandæ. c. 18 p. 231.
Permissio Arminiana, & Jesuitica, non est pœna peccati. c. 20 p. 265
Permissio includens negationem gratiæ, est pœna peccati. ibid.

Permissio otiosa, irritas reddit Sanctorum preces c. 23. p. 357, 358
Patientiam Sanctorum enervat. c. 24. p. 358, 359. gratitudinem, fiducia m, fidem, spem, timorem, gaudium, & consolationem in DEO evertit. c 24. p 359. arrogantiam hostium Dei statuminat. c. 24. p. 360. Pugnat cum attributis Dei cum sapientia, amore, Omnipotentia, &c. c 24 p. 360, 361. pugnat cum ministerio verbi, comminationibns. promissionibus, hortationibus, omni religione, ordine pulcherrimo quam Deus instituit. c 24 p. 367, 368, 369, 370.

Quid *Deus permittat* formaliter in peccato, an actum, an malitiam, an utrumque. c. p 419.

Quomodo *Deus permittat* peccatum, non efficiat, & simul concurat, ad actum entitativum. c. 26. p 419, 420

Permissio in actu, non respicit potentiam, ad opposita indifferentem. c. 26, p 421

Meus *Suarezii* de *Permissione* actus, & deformitatis. cap. 27. p. 444, 445.

Permissio Dei fertur, in opposita disjunctive, non copulative. ibid & in disq meta. in variis quest q 10. p. 588. 589.

Permissio non est causa peccati, secundum Calvinum. c. 29. p. 487. 488.

Causa cur *Deus Permittat* peccaium. c. 29 p. 502.

Permissio otiosa, circa peccatum, à Bellar. Deo affingitur in omnibus quatuor actionibus, quas Deo tribuit. c. 29. p. 516, 517.

Phrases orthodoxæ, aut heterodoxæ, circa peccati causationem, permissionem. c. 29. p 51 .

Pœna translatio in fide-jussorem, arguit Deum punire libere. c. 22. p. 346. 347.

Possibilitas nullius causæ, potest esse causa futuritionis rei. c. 14. pag. 170.

Possibile, essentiam habet in ordine ad omnipotentiam, estque eâ posterius, disp. meta. q. 2. p. 532.

Possibile manet possibile, & non ens, per liberam non-efficientiam Dei, disq meta. q p 534 535.

Possibilium; & *impossibilium* Deus est origo, sine eo nihil possibile, nihil impossibile foret, Disq meta. q 3 p 538. 539. & seq.

Possibili, prior est Deus Ibid.

Possibile nullum est, sublatâ primâ causâ, disq. meta. q. 5. p. 556

Possibiles non-repugnantiæ æternæ, sublato primo ente sunt figmenta vana, disq. Meta. q. 5. 552, 553.

Possibiles essentiæ rerum creatarum non suut æternæ, disq. Meta. q. 6. p. 557, 558.

Possibile est nihil reale, disq. Meta q. 6. p 557, 558.

Possibilia duplicia, moralia & non-moralia, disq. Meta. q. 7. p. 560.

Non est vera hæc, ideo Deus potest hoc facere: *v. g.* creare mundum. quia hoc de se est *possibile*, & creabile: sed contra, hoc est *possibile*, quia Deus est Omnipotens. & hoc facere potest, disq. Met. q. 3. p. 539.

Ideo aliquid non *potest* fieri, quia Deus illud non potest facere: non contra, dii. meta. q. 4. p. 343.

Possibile quomodo differat, ab ente ficto, & impossibili, dis. Met. q. 6. p. 596.

Quali *potentiâ*. bonum gloriæ Dei ex peccato resultet, dis. Meta. p. 590.

Præcepta quatenus dispensabilia, C. 22. p. 330,

Prædeterminationis physicæ, & fati Astronomici, vastæ differentiæ, C. 10. P. 106.

Did. Ruiz, Dei *prædeterminationem*, ad actus materiales peccati, malè ponit causam fatalem peccati esse, C. 10. p. 106.

Prædeterminationem physicam, *Ruiz* contendit: sed frustrà, pugnare cum naturâ voti, promissi, juramenti, c. 13. p. 155.

Did. Ruiz argumentum contra *prædeterminationem*, pugnat cum Apostolo *Jacobo* & Scripturâ, C. 13. p. 157.

Prædeterminatio physica non infert Deum determinare judicium practicum ad peccatum, C. 26. p. 384. Non est attentatio violandi Omnipotentiam, & frustrandi efficacem Dei voluntatem: uti autumant *Ruiz*, & *Mæratius*, C. 26. p. 384, 385. Non facit Deum causam malitiæ: C. 26. p. 385, 386. Neque stante eâ, imputari potest actus moralis Deo: *C.* 26. p. 387. Neque infert Deum majore appretiatione, velle peccatum, quam obedientiam C. 26 p. 388.

Prædeterminatio quomodo vi minimè impellat voluntatem, Cap. 26. p. 403, 404.

Prædeterminatio extollit gratiam, neque infert nullam esse hominum, præ aliis fragilitatem, ut ait *Ruiz*, C. 26. p. 405.

Ex *prædeterminatione* physicâ, non sequitur Deum consummare

tentationem diaboli. 2. Neque Deum eligere creaturam potius perdere, quam salvare: Nec 3. odisse creaturam: Nec 4. Deum discernere peccantem à non-peccante: Nec 5. sequitur impossibile esse creaturam peccare, C. 26. p. 406, 407, 408.

Prædeterminatio quomodo conspiret cum libertate voluntatis, C. 26. p. 408, 409, 410.

Prædeterminatio non cogit ad blasphemandam, mentiendum, C. 25. 410, 411. Non efficaciter impellit, neque efficacius tentat, quam diabolus, moraliter suadendo, C. 26. p. 411, 412.

Prædeterminatio non facit peccantem instrumentum diaboli in tentando, C. 26. p. 414.

Prædeterminationem non esse fatalem necessitationem voluntatis C. 26. p. 414, 415. Non est majoris efficaciæ, quam satisfaciat muneri primæ causæ, C. 26. p. 415, 416.

Sine *prædeterminatione* non constaret Deo dominium in actus creaturæ, C. 26. p. 415.

Prædeterminatio Dei, non officit quo minus Deus sit Pater, Rex, Conjunx, Convivator, Amicus, C. 26. p. 424. 425.

Prædeterminatio non est de numero auxiliorum sufficientium, C. 26. p. 426, 427.

Prædeterminatio ad actus, quatenus fuit intenta à Deo, in creatione rerum, C 26. p. 427, 428.

Ex *Prædeterminatione* non oriuntur querimoniæ, & objurgationes Dei in contumaces, c. 26. P. 429, 430.

Prædeterminatio non est causa ad æquata, actionis c, 27. p. 434.

Prædeterminatio, non vi impellit hominem. c. 27. p. 455, 456.

Rationes Gul. Gibeuf contra *prædeterminationem* ad actus entitativos. c. 27. p. 458, 459 460.

Præscientiam Dei, *Arminiani* negent, necesse est. c. 9. p. 95.

Quod Deus secundum *præscientiam* efficacem, Adami utenti gratia sufficiente, confert aliam gratiam, (ut loquitur *Penno tuus*) falsum est. c 9. p. 95.

Præscientiæ Divinæ, res nequaquam sunt causa. c. 13, p. 159.

contra *Præscientiam*, & definitum Dei consilium, circa crucifixionem Christi exceptiones Bellar. & aliorum. c. 17. p. 200, 201, 202, 203, 204 205

Promissiones omnes materiales, sunt tacite conditionales, *si Dominus volnerit*. c. p. 158.

Promissiones, & cominationes, tum Legis, tum Evangelii, probant Deum habere voluntatem circa futura conditionata connexa: & si extrema connexa, nunquam extiterint. c. 161.

Propellens claudum, ut progediatur, est causa cur progediatur: & tamen non est causa cur progressus, sit claudicatio. C. 19, p. 255.

Propositiones de contingente (*si Tyrii viderint signa resipiscent*) & disparatæ, (*si baculus est in angulo, jam pluit*) æque incertæ, & neutræ infallibilem Dei scientiam, terminare possunt. c. 3. p. 16, 17.

Propositiones nullæ, de rebus creatis, sunt æternæ veritatis. disp. met. q. 6. p. 558, 559.

Providentia, quid notet. c. 1. p. 2, 3.

providentiæ, tres actus. Ibid.

Definitio *Providentiæ*, à causis omnibus. c. 1. p. 2, 3. notat effectum & curam, non minus, quam actum intellectus. c. 1. p. 1.

Contra *providentiam* permissivam Jesuitarum, quæ hodie regnat fortissime arguit *Bradwardina*. c. 13. p. 144.

Providentia Dei supernaturalis, de ultimo fine hominis. c. 18. p. 216.

Providentia duplex c. p. 228.

Providentia, an insit Deo necessitate naturæ, dis. met. q. 8. p. 561, 562

R.

DE *Resipiscentia Tyriorum* Math. 11. 21. nostra responsio vindicata, à glossematis *Annati*, C. 14. P. 174.

Remonstrantium objectio suspecta est, qui dicunt voluntatem absolutam tollere demeritum, C. 18. P. 240.

Ratio naturalis non est prima non regula regulans, sed secunda, & regula regulata, actionum moralium, C. 22. P. 316.

Triplex *Ratio* quæ concipi potest, ut movens DEI voluntatem, 1. Obligans, 2. Præponderans, 3. Congruens, sive concomitans, secundum *Bradwardinam*, C. 22. P. 334.

Rectitudo moralis duplex, complexa, vel incomplexa, C. 22. P. 337, 338

Rectitudo moralis, quænam creata, quænam increata, quænam mixta, C. 22. P. 341, 342.

S.

Sanctitas DEI, quatenus ipsum inclinet ad permittendum, vel non permittendum peccatum, C. 29. P. 491.

In *Satisfactione* à CHRISTO præstitâ Nostri, absolutam necessitatem, non ponunt, disq. Meta. q. 10. p. 580.

De *Satisfactione* CHRISTI, *Socinus* blasphemiam tenacitatis, & avaritiæ DEO inurit, disq. Meta. q. 10. P. 581.

Scientia Media evertit dominium DEI, C. 4. p. 28, 28. & seq.

Scientiæ Mediæ objectum, an ens possibile an futurum, C. 3. p. 13, 14.

Scientia Media refutatur, C. 3. p. 16, 17, 18. Evertit certitudinem providentiæ, C. 3. p. 16, 17.

Scientiam Mediam in DEO, negat, *Petrus* de *Arubal* esse, nisi quando adsunt omnes determinatæ circumstantiæ, C. 3. p. 17, 18.

Scientia hæc tollit Dei sapientiam & justitiam, C. 3. p. 18, 19.

Scientia Media evertit concursum Dei, C. 3. p. 23. Evertit certitudinem prædestinationis, & numerum prædestinatorum, C. 3. p. 26. Evertit omnem religionem, fidem, spem, patientiam, *&c.* C. 3. p. 26, 27.

Objectum *Scientiæ* Mediæ tantum possibile, C. 3. p. 27.

Scientia Media est novum figmentum, C. 3. p. 27, 28.

Scientiâ Mediâ stante, Deus non præscit peccata, ac si ea impedire posset, aut mediis ad impedienda destinata uti posset, C. 5. p. 61.

Scientia Dei, simplicis intelligentiæ, & libera, disq. Meta. q. 7. p. 559, 560.

Practica & speculativa *Scientia* Dei differunt, disq. Meta. q. 7. p. 560, 561.

Particula *Si* tribus modis sumitur, illativè, promissivè, conditionatè, C. 3. p. 15.

Si, semper illativè sumitur, C. 3. p. 16.

Quomodo Deus *Sciat* creabilia, disq. Meta q. 7. p. 560.

Quali *Scientiâ* Deus futura conditionata intueatur, dis. Met. p. 590.

Seductionem diaboli, quâ *Achabus* in bellum pellectus est, esse pœnam peccati evincit locus 1 *Reg.* 22. 20. C. 2. p. 272.

Sensus loci *Matth.* 11 21. *Væ tibi Chorazin*, &c. C. 14. p. 176

Causa legi *Subjecta*, & non-subjecta, alteram societati culpæ involvit, alteram liberat, C. 26. p. 403.

Subjicibilitas, creaturæ rationalis Deo, quatenus necessaria, Cap. 22. p. 330, 331.

Creaturam rationalem *Subjici* necesse est, at in hoc, vel illo actu obedientiæ, est liberum, c. 22. p. 331, 332.

Subjicibilitas creaturæ rationalis Creatori, in quo fundetur, c. 22. p. 342, 343.

Subjici

Subjici legi hominem concurrentem ad actum entitativum, scelerì implicat immunitas à lege Deum societate culpæ exolvit, c. 26. p. 396, 397, 328, 399.

Supplicia sunt instrumenta, à Deo puniente peccantes assumpta, ad peccata peccatis punienda, c. 19. p. 247.

T.

DE *Traditione* Davidis, à Keilitis futurâ, in Sauli manus *Vorstii Molinæ*, & *Fonsecæ* glossemata. C. 13. P. 138.

Transitus è statu possibilium, ad statum futuri, ab æterno, Solâ Dei voluntate demonstratur: contran. Fran. *Annatum Jesuitam*. C, 14. P. 165.

Quid *Transitus* è statu possibilium ad statum futuri, proprie significet. C 14. P. 167.

V.

Verbum Dei, decretum notat, disq. meta. q. 10. P. 586.

Non ex *venditione* Josephi simpliciter, sed ex iniqua *venditione* bonum elicuit. C. 16 P. 195.

Alia est *Veritas* propositionis conditionalis, cujus veritas à conditione contingente suspenditur, alia propositionis absolutæ, positâ jam conditione C. 5. P. 63.

Qualis *Veritas* in re, competat futuris conditionatis, antecedenter ad Dei decretum. C. 14. P. 177.

Veritas major, & magis in Deo, quam in Creatis. disq. meta. q. 4. Pag. 544, 545.

Veritas nulla esset in propositionibus, si non esset primum verum, disq meta. q. P. 550, 551.

Volitio benevolentiæ, & amicitiæ, in Deo. C. 22. P. 315.

Volitio mala, male definitur, ab *Arminio*, quæ fert in objectum indebitum. C. 29. P. 513.

Velle malum & peccata aliorum, ne quidem in Creaturis malum est. C. 29 P 499.

Hæc duo sunt Arminio ἀτοπα, Deum posse *velle* ut peccatum eveniat, & hominem nihilominus, libera voluntate peccare. C. 29. P. 505.

Deum *Velle* peccatum conditionate, & post prævisam liberæ *voluntatis*

tatis determinationem, concedunt Bellar. & Arminius. C. 29. P. 507.
Quatenus Deus potest velle id, cui juste irrascitur. c. 29. p 513, 514
Voluntas permissiva Dei. C. 2 P. 9.
Voluntas permittens, duo includit. C. 3. P. 10.
Voluntas beneplaciti, & signi. C. 4. P. 3. 4.
Voluntas beneplaciti, alia est efficiens, alia permittens. C. P 3, 4.
Voluntas signi, & beneplaciti, differunt: sed contrariæ non sunt. potest Deus eandem rem velle, utraque *voluntate*. C. 2. P. 4.
Voluntas signi, non revelat Deum intendere rei existentiam, aut non-existentiam. C. 2. P. 6, 7.
Voluntatis actus omnes, tam eliciti, quam imperati, Dei dominio æque subjiciuntur. C. 4. P. 39.
Voluntas à Dominio Dei morali, nullo modo, à physico, & energetico providentiæ Dominio, sese subducere potest. C. 4. P. 40.
Voluntatem liberam, per nullas dispositiones, Deus determinat secundum Adversarios. C. 4. P. 44.
Voluntas Dei, ad omnia futura, & non futura, est determinata omniaque ante decretum possibilia sunt. C. 5. P. 57.
Voluntatis actus, quomodo Deus impediat. C 6. P. 71.
Dei *voluntas* fatum. C. 10. P. 102.
Quid sit voluntas signi, quid beneplaciti, quid fatum; ignorat *Jackso.nus* cum suis *Arminianis*. C. 11. P. 118.
Voluntas Dei actualissima est causa, cur omnia sunt futura, vel non futura. C. 13. P. 146.
Voluntas Dei actualissima, fertur positive, in omne volibile, & nolibile. C. 13. P. 148.
Voluntatis determinatio, ad unum, non lædit, non destruit libertatem. C. 13. P. 155.
Voluntatem creatam temporaneam, Annatus insulsissime statuit causam æternæ futuritionis futurorum contingentium. C. 14. p. 167.
Voluntatem Dei conditionatam, & jubentem intervenire circa peccatum docet Vorstius. c. 17. p. 202.
Voluntatem absolutam, tollere demeritum, ut volunt Remonstrantes falsum est. c. 18. p. 240.
Si *Voluntas* excludendi homines, à gloria, sit in Deo ut absolutus Dominus intentio declarandi, justitiam, non potest reddere hanc voluntatem

untatem injustum. c. 18. p. 244.

Voluntas Dei, quatenus obligetur, seu determinetur ad agendum ab objecto ad extra. c. 22. p. 334.

Voluntas non est causa moralis malitiæ, quatenus est causa materialis actus, cui annexa est malitia: sed quatenus est causa actus materialis, cum subjectione ad legem. c. 26. p. 400, 401.

Voluntas complacentiæ, in Deo, erga obedientiam reproborum, & plures mundos creandos, qualis. c. 27. p. 437, 431.

Voluntas Dei, quatenus feratur in liberum actum creaturæ, & in suum concursum. c. 27. p. 439, 440.

Quatenus *Voluntas* Dei, feratur in objectum disjunctivum, & conditionatum. c. 27. p. 440.

Voluntas Dei fertur in peccatum, conditionate, ex Jesuitis. c. 27. p. 440, 441.

Voluntas Dei quod sit definita, vel indefinita circa peccatum nihil refert. c. 27. p. 4444.

Voluntas Dei, prout fertur in concursum, an conditionata, an confusa, an generalis. c. 27. p. 446, 447.

Voluntas Dei prædeterminativa, à Nostris & universalis, ab Adversariis asserta, quomodo distinguantur juxta *Suarezium*: & rationes ipsius confutantur. c. 27. p. 250, 351.

Suarez. negans efficaciam divinæ *Voluntatis*, simul negat efficaciam gratiæ, c. 27. p. 451, 452

Voluntas concurrendi inefficax, permissiva & otiosa, Deum societati sceleris implicat: juxta Adversarios, Ibid.

Voluntas conditionata, non impediendo peccatum, est virtualis volitio peccati, c. 27. p. 456, 457.

Voluntas hominis potest ferri in peccata aliorum aliquo modo, citra reatum, c. 27. p. 492, 493.

Voluntas Dei simpliciter dicta, ab eventu vel non eventu rei, optimè concluditur, ex voluntate Dei signi, æquitas vel iniquitas rei optimè concluditur, non autem existentia vel non-existentia rei, Ca. 29. p. 596, 497.

Voluntas quatenus dicitur mala, C. 29. p. 498, 499.

Quod fit Deo quovis modo *Volente*, non fit Deo Authore, Ca. 29. pag. 512.

Voluntas

Voluntas noſtra, quatenus conformis eſſe debeat, voluntati Dei, quatenus non, c. 29. p. 512, 513.

Voluntas Dei, circa omne non futurum, includit poſitivum decretum, diſq. Mea. q. 2. p. 537.

Voluntas quomodo à Deo torqueatur, juxta *Bellar.* c. 29. p. 517.

Voluntas Dei approbans duplex, diſq. Meta. q. 7. p. 560.

Deus *Vult* efficaciter & peccatum & ſuum concurſum, ideoque peccatum & obedientiam Electorum vult, & hanc cupit, non efficit: ut *Vorſtiani* docent. Illud appetit & vult, ut *Libertini*, C. 27. p. 442, 443.

Voluntas ſigni, quatenus eſt *Voluntas*, diſq. Meta. p. 605.

Erratum perpendendum.

In Diſquiſit. Metaphyſ. Q. 8. pag. 562. lin. 12. pro illis verbis, Alia vero eſt naturæ neceſſitas in Deo, non quoad naturam rei, neque quoad modum agendi: *lege*, ſed quoad modum agendi.

DISPUT-

DISPUTATIO SCHOLASTICA DE DIVINA PROVIDENTIA.

CAPUT I.

Quid sit providentia Dei.

1.

Quid sit providentia. Rivetus disput. Theolo. 1. the. 2. *Genes.* 22, 8 *Gen.* 29. 32 1 *Sam.* 16. 1 *Ezech.* 20, 6 *Ps.* 119. 91 Damascen. Arist. Eth. 2. c. 12 Aquin. 1. q. 22. art. 1 Boetius de consol. Philiso. 4. pros. 6.

Providentia Latinè dicitur à videndo, Græcè προνοια, at Hebraicè, ut & Latinè est vox à sensu ad intellectum translata, ut notat doctissimus D. *Rivetus*, nec tam intellectus actum, quam voluntatis affectum & curam denotat unde יִרְאֶה. *Dominus providebit sibi agnum*, & *Dominus me respexit.* Quin imò voce לְמִשְׁפָּט Lemishpath, consilium & ordinatio DEI exprimitur: *ordinatione tuâ omnis perseverant.* Ita patres. *Damascenus* definit providentiam εἰς τὰ ὄντα γινομένων ἐπιμέλειαν. Nec diffitentur *Aristoteles*, *Aquinas*, *Boetius.* Tres actus DEI nonnulli non malè providentiâ includunt προγνωσιν. 2. προθέσιν seu προορισμον. 3. διοικήσιν seu administrationem: & certè nec parens in liberos, nec Nauclerus in navem providentiam exercet,

cercet, si hic tantum quid navi, ille vero quid gnatis eveniat, videat, oculisque intueatur, non vero etiam curam solicitè gerat, hic navis, ille gnatorum.

Quid sit providentia.

2. Providentia est actus sive ἐνέργεια DEI, *qua secundum æternum suum consilium sapientissimum & liberrimum, omnia & singula quatenus ordinabilia Deo visa sunt Videt, tuetur & gubernat, & ad suos fines præsertim vero ultimum, nempe Dei Gloriam, juxta omnium rerum naturas, interdum vero præter, aut contra naturas irresistibiliter dirigit. Genus* in definitione hâc est actus, non consilium. Quia providentia formaliter non est consilium, sed quædam continuata rerum Creatio & externa Administratio connotans actus immanentes scientiæ & consilii: non est autem actus solius intellectus, sed & voluntatis & potentiæ, & prout restringitur ad sanctos DEI Filios complectitur singularem DEI, erga suos, favorem: *Differentia* autem sumitur à quatuor causis. *Materia* seu objectum est duplex, materiale, *Omnia entia*, quia DEUS generaliter rerum omnium curam gerit, ut ait *Spiritus Sanctus*: & *singula*, nam singula etiam minutissima despectui DEUS non habet. *Formale objectum* est quatenus hæc omnia & singula *sunt ordinabilia ad Dei Gloriam*: hinc duo ab hoc objecto excludo, 1. DEUM ipsum ultimum finem. 2. Simpliciter impossibilia, nec enim hæc nec ille ad finem ultimum dirigi possunt: Dico *quatenus ordinabilia Deo visa sunt*: unde & quæ actu sunt, & quæ possibilia tantum sunt, huiç objecto includi velim. Nam providentiæ acceptum ferendum est, quod multa possibilia actu nunquam sint, quod non sint plures mundi, quam unus, quod arceantur Pestes, fames, bella, et sub hoc objectum cadunt res quâ conservari, & quâ annihilari a DEO possunt. *Efficiens* est DEUS ipse secundum consilium suum omnia operans. *Finis* est DEI gloria; *Nam Deus universa fecit propter seipsum*, ut ait *Sapiens*: *Forma* tres actus DEI Providentiæ includit, 1. *Conservationem* rerum. 2. *Cooperationem* cum omnibus causis secundis. 3. *Deductionem* irresistibilem rerum omnium ad suos fines. Conservatio autem DEI, non est nuda permissio, quo pacto, Obstetrices Hæbreæ masculos in vivis conservarunt, nec DEI interna causatio, uti materia formam conservat recipiendo, & forma materiam actuando: nec DEUS res conservat per amicas qualitates fovendo, ut medicus ægrum conservat: sed conservatio hæc est divinæ omnipotentiæ

Heb. 13. 15
Deut. 32. 10
Hos. 11. 3
Ps. 91. 1. 2
Rom. 11. 36
Ps. 104. 35
Math. 10. 29
Eph. 1. v. 11
Prov. 16. 4
Hebr. 1, 2.
1 *Cor.* 9. 9
1 *Pet.* 5. 7

potentiæ illapsus & penetratio qua vis DEI inter *purum non esse*, seu *purum nihil*, interveniens rem ab annihilatione præservat, & huic conservationi propriè opponitur annihilatio. Res enim omnes in suum maternum *nihil* tendunt, non ex ullâ erga τὸ esse dilplicentiâ, sed ex merâ indigentiâ, nisi interveniret conservatrix vis Dei *quâ omnia potenti suo verbo portat*, ut ait scriptura, sed de his plura docent *Augustinus*, *Gregorius*, *Chrysostomus*, item *Thomas*, *Durandus*, *Bonaventura*, *Snarez*. *Gregori de Valentia*. De Cooperatione DEI cum causis secundis præsertim cum voluntate creata in actibus peccati, & de deductione rerum omnium ad suos fines ferventiores & operosiores in hâc materiâ extant disputationes.

August. in *Gen.* 4. c. 12 Gregori. homil. 17. in *Ezech.* Chrysosto. homi. 19. ad *Ephes.* Thomas contr. Gentes l. 3. c. 66.

Durandus l. 2. d. 44. q. 1. Bonavent. l. 1. dist. 37. q. 1. Snarez. Metaphy. tom. 1. disp. 21. sect. 3. Gregori de Valent. to 1. disp. 8. q. 2. punct. 1.

CAPUT II.

Quid sit natura voluntatis Dei permissiva, & voluntatis beneplaciti & signi. Remonstrantes, Arminiani *ad partes vocantur.*

NOn potest nostra doctrina de DEI providentia circa peccatum omnibus plana & obvia fieri, nisi nonnihil de natura voluntatis divinæ & hisce distinctionibus præmittamus.

Voluntas DEI *alia est beneplaciti*, seu decernens, quæ & occulta dicitur, *alia signi*, quæ approbans vel approbativa vel revelata dicitur: Voluntas beneplaciti occulta vocatur, non quia simpliciter nobis non revelatur, sed quia verbo mandati, promissionis, aut comminationis non revelatur ut nostrum officium, sed tamen patefacta est nobis eventu. & ex scriptura scimus talem esse in DEO voluntatem: quia in scripturis DEUS dicit, se non voluisse nec decrevisse id quod non evenit, uti est fractio ossium CHRISTI, & quod evenit, dicit se decrevisse, uti partitio vestium CHRISTI: Voluntas rursus beneplaciti alia est efficiens, quâ ipse DEUS vel per immediatam suam omnipotentiam aliquid facere decrevit, quâ voluntate decreta & ab

æterno volita fuit mundi creatio, vel per creaturas rationales aliquid efficere decrevit, sic, quod *Petrus* audiret Evangelium & ad fidem CHRISTI converteretur, fuit ab æterno volitum: Alia rursus est voluntas beneplaciti, quæ permittens, sive permissiva nuncupatur, quâ DEUS decrevit ut peccatum à creatura rationali patraretur, se permittente, minime vero se efficiente aut Authore.

Deum posse eandem Rem velle & voluntate beneplaciti, & voluntate signi.

2. Hæ duæ voluntates beneplaciti & signi non sunt contrariæ vel contradictoriæ, ut nobis impingunt *Iesuitæ & Arminiani*: quia DEUS sæpe eandem rem vult & *voluntate beneplaciti*, quia res ipsa evenit, & *voluntate signi*, quia eam rem quæ evenit, sanctâ suâ lege mandâvit: exemplum est conversio Gentium ad fidem CHRISTI nam DEUS eam conversionem ab æterno & decrevit, alioqui non eveniret, & eam conversionem verbo Evangelii mandavit: ideoque est una & eadem voluntas DEI quæ *beneplaciti* & decernens voluntas dicitur, quoties eventu vel non eventu patefit nobis, & *signi* dicitur, quatenus in verbo DEI mandatur aut prohibetur: sed tamen ita differunt, ut DEUS quædam velit voluntate signi, uti sunt resipiscentia reproborum, non occisio *salvatoris*, fides *Iudæ* proditoris, quæ tamen minimè voluit aut decrevit voluntate beneplaciti quippe talia nunquam eveniunt in rerum naturâ, & DEUS quædam velit voluntate beneplaciti & fieri decrevit, quæ minime velle potest voluntate signi, qualia sunt venditio *Josephi*, occisio CHRISTI: quæ eveniunt quidem ac proinde contra aut præter aut citra DEI decretum & voluntatem beneplaciti evenire non possunt, nisi exulèt pervigil DEI providentia in casu tot nobilissimarum creaturarum, citra quam tamen ne *passerculus quidem in terram* Mat. 10, 29. 30 *decidit, aut capillus capite excidit*: attamen DEUS voluntate signi *Josephi* venditionem, aut innocentis Salvatoris occisionem non voluit, id est, minime approbavit ut rem justam & bonam, quin imò ut iniquam & malam detestatus est. Hinc 2. Objectum voluntatis beneplaciti est ens eveniens in rerum naturâ quod actualem existentiam vel non existentiam certo habiturum est, sive bonum sive malum, sive consonum *voluntati signi* seu approbanti, sive dissonum & contrarium, modo consideretur sub ratione eventus in rerum natura, vel modo eveniat: at vero objectum voluntatis DEI signi vel approbantis, est illud quod est moraliter bonum & honestum.

honestum, improbantis vero, quod est iniquum & malum: sive eveniat in rerum natura, sive non. Et 3. ex voluntate beneplaciti affirmativa ad rei eventum seu existentiam suo demum tempore valet consequentia: Ut voluntate beneplaciti DEUS decrevit vastationem Chaldæorum per *Medos*. Ergo *Medi* necessario vastabunt *Chaldæos*: sic DEUS voluntate beneplaciti decrevit ut non frangerentur ossa CHRISTI: ergo necessario non sunt fracta CHRISTI ossa: validæ sunt omnes tales consequentiæ, quia rei eventus vel non eventus optime infert DEI voluntatem & noluntatem beneplaciti: at vero ex voluntate signi tales consequentiæ valide necti non possunt ut DEUS voluntate signi & approbativa noluit & prohibuit *Josephi* à fratribus venditionem, at non sequitur, Ergo talis venditio non evenit, & nunquam facta est, tantum sequitur, ergo Non-venditio *Josephi* est æqua & justa, sic DEUS voluit & mandavit Caini resipiscentiam, at minimè sequitur, Ergo *Cain* resipiscit, quia eventus rei aut non-eventus rei malè, & nulla arte logicæ concluditur ex voluntate signi seu approbante; quippe talis voluntas nihil statuit de rerum eventu vel non-eventu, sed tantum de rerum & actionum nostrarum æquitate, aut iniquitate, & quamvis voluntas hæc signi ab improbis hominibus violetur, non tamen resistitur DEI voluntati, quasi non eveniret, illud quod DEUS evenire voluit & decrevit, quia revera DEUS nunquam decrevit, nunquam voluit ut eveniret obedientia reproborum, mandavit ut obedirent, sed mandatum DEI non significat nobis voluntatem DEI de tali eventu, sed tantum voluntatem DEI de tali æquitate morali rei. 4. *Deus* voluntate beneplaciti de actibus humanis, eorumque existentia vel-non existentia statuit, at voluntas signi nihil omninò statuit de existentia vel non-existentia, de rerum eventu vel non eventu, sed tantum statuit de morali regulatione actuum humanorum, sive ii actus eveniant & existant, sive non eveniant, aut nunquam existant, &, quod attinet ad essentiam voluntatis signi, DEUS æque approbat morali complacentiâ finalem obedientiam *Judæ* proditoris, atque obedientiam *Petri* Apostoli: Sed voluntate beneplaciti, Vult ut eveniat & existat obedientia finalis Petri, & juxta decretum electionis gratiosum dat gratiam efficacem necessariò requisitam ad actualem existentiam obedientiæ Petri: at vero juxta contrarium decretum, decrevit Deus ab

æterno negare gratiam necessariò requisitam ad obedientiam *Judæ proditoris*, & eam obedientiam nunquam voluit voluntate beneplaciti vel decernente.

Voluntas signi non revelat nobis Deum intendisse aut statuisse existentiam vel non existentiam actionum nostrarum, sed tantum moralem convenientiam earum cum Dei voluntate Revelata, sive existat sive nona existat nostra obedientia, vel actiones sic Regulatæ.

3. Unde hæc thesis acuratè observanda & probanda est. Voluntas signi formaliter revelat nobis regulationem actuum moralem, at non revelat nobis DEUM intendisse aut decrevisse ut ii actus evenirent & existerent, sed tantum, si existant tales actus, requirit DEUS in sua voluntate signi & revelatâ ut sint conformes DEI Legi, probatur. 1. Quia DEUS in lege sua formaliter nostras actiones morales existere aut non existere non decrevit, neque ab æterno apud se statuit ut, DEO favente, demonstrabo, sed tantum regulationem actuum mandat, ordinationem & inordinationem prohibet. Ordinatio autem, & inordinatio propriè nos obedientes & beatos, & inobedientes & miseros faciunt, & ordinatio vel moralis Regulatio actionum nostrarum est vera impletio voluntatis signi; irregulatio vero est illius voluntatis violatio, unde Verbum DEI, quod est signum voluntatis signi unicum, requirit à nobis ut eliciamus actus simpliciter voluntati illi, signi seu revelatæ, consonantes, at non statuit DEUS in mandando Resipiscentiam & fidem *v. g.* Reprobis, ut eorum Resipiscentia & Fides actu existeret. Rerum existentia vel non existentia voluntate DEI beneplaciti, non vero hac signi determinatur: at voluntate signi DEUS tantum dicit, quid sibi moraliter gratum, quid non & dicit hac voluntate *Judæ proditori*, ego tuam finalem obedientiam mando & volo, hoc est, approbo, & moraliter gratam & acceptam habeo, sive ea obedientia actu existat, sive non, ut lex terreni principis non est horsum lata, ut homines simpliciter societatem colant, sed ex hypothesi societatis excultæ, vt vitam civiliter & ad regulam & normam bonarum legum componant, sic formalis usus Verbi DEI revelantis nobis voluntatem signi est illuminare, docere, dirigere *quæ sit grata bona & accepta DEI voluntas*, & quomodo actus nostri, ex hypothesi quod eliciantur & existant, possint instituì secundùm DEI Verbum, ut sint DEO grati, & accepti, & in CHRISTO premio digni. 2. Lex nobis jam peccato mancipatis, ut ab Euangelio contradistinguitur est voluntas signi revelata, at Lex DEI quâ talis non revelat nobis esse DEI decretum beneplaciti æternum, ut nos sic peccato mancipati

Rom. 12. 2

mancipati faceremus opera qualia lex hoc modo postulat, Ergò quædam voluntas signi non revelat nobis DEUM decrevisse & intendisse, ut faceremus quod DEUS sic vult: major est certa; quia lex æquè obligat peccatores & innocentes: probatur minor. Si DEUS in lege sua intenderet talem legalem obedientiam, *CHRISTUS frustra mortuus esset.* 3. Lex naturæ est iis nationibus, qui de CHRISTO audiverunt nihil omnino aut parum, voluntas signi: at talis lex non revelat iis nationibus DEUM intendisse & decrevisse ut eæ nationes servarent perfectè legem naturæ, quæ citra gratiam CHRISTI, ipsis æterno Dei decreto negatam, est impossibilis: quare ea lex tantum revelat Deum approbare regulationem actuum, sive ii actus sic regulati existant, sive non. 4. Lex naturæ est ipsis Diabolis voluntas signi, at talis lex minimè revelat Deum intendere ut Diaboli obediant & actus legi naturæ conformes præstent: hoc enim absurdum est, sic enim *Deus* salutem dæmonum velle dicendus esset. Ergo, Voluntas signi requirens à nobis actus obedientiæ, non revelat nobis *Deum* intendisse & decrevisse ut ii actus existerent, sed tantum ut sint conformes Dei legi & boni & moraliter honesti, sive existant, sive non: Nec est quod dicant *Arminiani* Diabolos non jam peccare, 1. Quia Scriptura ait eos peccare. 2. Quia certum est Diabolos reprehendi, at cur corripiuntur, qui peccare haud possunt, 3. Facinora Diabolorum *Deus* vel approbat, quod est blasphemum, vel improbat, & sic sunt peccata: Dei enim voluntas non habet se purè negative erga actus morales creaturæ rationales, ut non dicam quam sit absurdum Deum non odisse facinora Diabolorum quæ probi & pii homines detestantur. 5. Quod Deus decrevit & intendit ut actu existeret, illud actu existit, arqui actualis obedientia, quam *Arminiani* & *Jesuitæ* dicunt Deum velle & decernere in revelata voluntate signi nunquam actu existit in plerisque; Ergo Deus nunquam intendit & decrevit ut ea obedientia eveniret: probatur major (nam scriptura & experientia minorem confirmant) quoniam scriptura arguit à negatione eventus ad negationem decreti, & à positione eventus ad positionem decreti. Ergo quod Deus decrevit actu existere, illud actu existit, probatur Antecedens; Deus voluit occidere filios Eli & eorum interitum decrevit. Ergo filii Eli non auscultarunt voci patris sui: sic Christi ossa non sunt fracta.

Rom. 3. 20, 21
Gal. 3. 10, 11, 12, 13
Rom. 1. 20, 21
Diaboli *jam peccant in voluntatem signi.*
Joan. 8. 44, 45.
1 *Joh.* 3. 8
Gen. 3. 14
Job. 2. v. 3
Mat. 4. 10
2 *Sam.* 2. 25
Joan. 19. 36

Ergo

Matth. 27. 35 Ergo impleta est Scriptura, ac proinde impletum est Dei decretum de non frangendis ossibus Christi. Prædicta atque adeo
Matth. 2. 5. v. 17. & 23 detreta fuit partitio vestium Christi, Ergo extitit illa partitio.
Matth. 8. 17 Nihil frequentius in Scripturis: *hoc evenit, Ergo impleta est Scriptura, adeoque decretum DEI* illâ Scripturâ *expressum est impletum*:
Matth. 13. 14 item, *hoc non fit, Ergo impleta est Scriptura prædicens hoc non futurum esse*; & si mavis, consecutio sic instituatur, hoc prædictum est
Matth. 26. 31 in Scriptura adeoque decretum. Ergo hoc evenit. *Hoc loquutus*
Matth. 27. 35 *est Jehovah futurum, hoc fatus est Deus non futurum. Ergo hoc est*
Joan. 12. 37 38 *futurum. Ergo hoc est non futurum*: Validæ & infinitæ hic ferè
Act. 4. 27, 28 sunt consequentiæ in sacrâ paginâ unde semper quod Deus voluit
Act. 15. 16 & decrevit fieri, illud evenit, & fit. Quod Deus non voluit, &
Acts 13. 46. 47. non decrevit, illud non evenit, non fit; quia ergo quod Deus
Rom. 9. 32. 33. vult *voluntate signi*, sæpissimè non evenit, inde necessariò sequi-
Rom. 11. 8. tur Deum nunquam voluisse, nunquam decrevisse ut eveniret,
Gal. 3. 16. 17 sed tantum Deum aprobasse moralitatem bonam, odisse malam
1 Reg. 11. 32. & vetuisse, sive ii actus existerent, sive non. Hinc deduco hæc
collat cum consectaria. Primum est, Euangelium quatenus est nuda volun-
1 Reg. 12. 24. tas signi non magis habet adjunctam vim & ἐνέργειαν Spiritus
1 Reg. 22. vers. 38. Sancti quam Lex, sed Euangelium quatenus est potentiâ Dei
2 Reg. 9. 24 25. instructum, operans fidem in cordibus Electorum est signum vo-
Esai. 14. 24 25. luntatis signi & aliquid amplius: nam includit etiam gratiosum Dei decretum de convertendis iis ad quorum corda pervenit Euangelium tali potentiâ divinitus instructum. 2. Voluntas signi revelata, qua talis, docet, illuminat, dirigit, & homines ad actuum regulationem obligat, sive ii actus regulati actu existant & eveniant, sive non. 3. Deum approbare obedientiam Judæ proditoris, Pilati & Herodis, & interim permittere eos juxta æternum suum consilium peccare, & denegare iis gratiam requisitam ad obedientiam & ad sanctè & debito modo abstinendum â nefaria Salvatoris occisione, nullam Deo hypocrisin, neque duplicem personam affingit. Imo in homine nulla foret hypocrisis, nam sermo sensui mentis nullo modo est contrarius. Christus itaque Deus voluit & approbavit Hyerosolomitanorum ad se aggregationem & obedientiam tanquam rem sibi tam impense charam & moraliter gratam, quam est gallinæ pullorum cura, quos alarum expansione fovet & nutrit, licet Hyerosolymitani

Consectaria ex distinctione voluntatis beneplaciti, & signi & differentiis inter membra distinctionis.

rosolomitani eam blandam Salvatoris invitationem susque deque haberent, interim negavit iisdem gratiam illam quæ suavissimè procurasset eorum liberrimam obedientiam, illibatâ libertate, quod argumentum est invictum, DEUM decrevisse ut nunquam existeret eorum obedientia. Objiciunt Arminiani. 1. *DEVS non tantum approbat resipiscentiam reproborum tanquam aliquid hominem decens, & sibi ab homine debitum, sed etiam eam mandat reprobis, adeoque intimè cupit ac vult, ut actu præstetur.* Respondeo negando sequelam; Nam ex DEI suavi invitatione nihil aliud concluditur quam seria & vehemens approbatio resipiscentiæ, sive actu præstetur, sive non, mandatum quidem approbativæ DEI voluntati superaddit revelationem officii à reprobis postulati, at minimè superaddit decretum Dei quo vult ut actu præstetur ea obedientia. hoc a nobis negatur, & fuit probandum. Objiciunt. 2. *Si DEVS homines ad obedientiam invitat, precibus solicitet, si tristetur, doleat, & intima miseratione ducatur, quod homines ad obedientiam flecti noluerint, tum DEVS non tantum approbat resipiscentiam reproborum, sed etiam cupit ut præstetur, sed prius verum, ergo etiam posterius, nam dolor de actu non præstito est signum DEVM voluisse, ut actu præstetur.* Respondeo negando majorem; Nam non magis ex precibus, tristitia, & dolore DEI de non præstandâ obedientiâ concludi potest decretum & intentio Dei de eo actu præstando, quam inferre hinc possumus, inesse Deo veras passiones humanas, quales *Homerus* in suo *Jove* somniavit. 2. Hinc tantum sequitur Deum obedientiam reproborum ex sanctissimâ suâ naturâ, tam impense approbare ut rem sibi ex animo moralitèr gratam, quam homines ea expetunt, quorum compotes minimè facti, dolent & tristantur se votis infœliciter excidisse, in reliquis claudicat hujus Anthropopatheias similitudo. 3. Hinc ad summum conficitur DEI voluntatem approbationis actu intenso amare obedientiam existentem, quod non est contra nos. DEUS approbat obedientiam existentem, vel non existentem. Ergo ab æterno decrevit ut existeret obedientia? Non sequitur.

Remonstr. synod. art. 1. pag. 57.

Dei invitationes, obtestationes ad obediendum, dolor de non præstita obedientia qualem Dei voluntatem exprimant, & quomodo per Anthropopathiam Deo tribuantur.

3. Objiciunt. *Probari potest resipiscentia ab eo qui eam alteri nec mandat nec mandare vult; atqui DEVS mandat resipiscentiam reprobis. Ergo DEVS plus quam approbat resipiscentiam reproborum.* Respondeo concedendo totum; Nam nihil est contra nos, quia

 mandatum

mandatum non tantum est approbatio rei mandatæ, sed etiam revelatio authoritativa rei mandatæ tanquam officii, ad quod præstandum obligatur is cui mandatum injungitur. Objiciunt. 4 *DEVS estenus voluntate signi vult obedientiam, quatenus eam laudat & præmiat, atqui nec laudat nec præmiat obedientiam nisi actu existentem: Ergo Deus vult voluntate beneplaciti ut obedientia actu præstetur.* Respondeo 1. negando majorem, quia non ideo, quia DEUS laudat & præmiat obedientiam, ideo eam vult & approbat, sed contra potiùs quia eam approbat, ideo laudat & præmiat. 2. Deinde DEUS alio longè modo se habet erga obedientiam, & erga obedientiam existentem; Nam DEUS ut Legislator mandat obedientiam, eamque voluntate signi amat & approbat; at verò ut universalis mundi Administrator punit inobedientiam, aut eam gratiosè peccatori in CHRISTO condonat, at vero inobedientiam in se & non existentem, nec punire potest, nec condonare, & sic etiam obedientiam non nisi actu existentem præmiat, & sic ut mundi Gubernator declarationem, & illustrationem gloriæ justitiæ vindicativæ, gratiæ & misericordiæ elicit ex obedientia & inobendientia actu existente in rerum natura, quod DEUS facere non potest ut Legislator, quatenus approbat & mandat obedientiam, sive existat, sive non: negatur itaque DEUM eatenus velle & approbare obedientiam quatenus etiam præmiat, nam certè præmiat obedientiam secundum voluntatem beneplaciti, & eam amat & approbat voluntate signi. Objiciunt. 5. *Si DEVS non vult ut existat ea obedientia quam voluntate signi mandat, sed tantum eam nude approbat, tum qui peccant contraveniunt nulli DEI voluntati, nec id faciunt quod DEVS fieri non voluit, nec est hic oppositio inter id quod facit peccator, & quod fieri vult DEVS, at posterius falsum, nam peccatum est transgressio divinæ voluntatis.* Ergo, &c. Respondeo. Non est absurdum peccatum non esse violationem voluntatis beneplaciti: *Nam voluntati ejus quis restitit? Quicquid vult Jehovah, illud facit. Inivit consilium, & quis irritum faciet?* sed peccatum est propriè quod quis contrarium illius vult, & facit, quod JEHOVAH approbat ut bonum, & illud facit, quod in cor DEI non ascendit, ut præciperet.

Quomodo DEVS approbat obedientiam existentem quam tamen existere non vult, non decrevit.

Rom. 9. Psal. 137 6. Esai. 14. v. 7 Jer. 7. 31. & 29. 5.

Voluntas beneplaciti Dei efficiens vel permittens.

4. Voluntas beneplaciti duplex est, alia efficiens, qua DEUS statuit vel per se, vel per creaturas efficere, alia permittens, vel permissiva,

permissiva qua DEUS ipse nihil efficit, sed alium agere permittit, Voluntas permittens duo negat, unum affirmat. 1. Negat efficientiam DEI: nam quod DEUS permittit, id non efficit ut author, aut efficiens. 2. Quod DEUS permittit, id DEUS non vult ut causa moralis, nec id vult ullo actu approbativæ voluntatis, ideoque negat DEI voluntatem signi; at vero voluntas permittens includit actum voluntatis decernentis ut fiat vel existat actus ab alio deviante & peccare permisso, & quod actum positivum includat, DEO favente, demonstrabitur.

Neque est quod hic pontificii exclament nisi in suos, non in nostros: Audiant suum *Cumelem. Voluntas autem permittendi peccata duo includit: Unum est, propositum non impediendi peccatum: Alterum est, propositum non dandi auxilium efficax, neque determinationem ad oppositum actum, seu ad vitandum peccatum, adde etiam, DEVM habere decretum concurrendi ad actum realem positivum voluntatis, qui est etiam actus liber elicitus à voluntate. Et Tho. Bradwardin. respectu cujuscunque est DEI permissio, est & ejus volantas actualis. DEVS habet aliquem actum voluntatis, respectu cujuscunque permissi, & non actum nolitionis, quia non fieret tum, quare non esset permissum, & ib. Imo DEVM esse summè actualem & perfectum non est liberum, sed absolutè necessarium*; Non habet ergo DEUS ab æterno suspensam voluntatem in possibilia nunquam futura, hinc infero ergo, nec habet suspensam aut negativam voluntatem erga peccata quæ possibilia futura sunt. *Didac. Ruiz. prædefinitur aliquando permissio per motiva & circumstantias, ex quibus peccatum infallibiliter infertur*, Idem probant unâ pennâ uno ore *Molina, Suarez, Vasquez, Valentia, Bellarmi. DEVM* talem *concursum, talia motiva cum talibus circumstantiis adhibere, quo vult permitti peccatum, quod sciit infallibiliter committendum.* Probant *Soto. Joan. Major, & Vega, tentationes quasdam esse adeo vehementes in quibus tamen DEVS negat specialem gratiam sine qua impossibile est vitare peccatum.* Hisce addantur *Richardus, Gabriel, Stapleton, Ledesma, Salmanticenses* ex *voluntate permittendi peccatum sequitur infallibiliter & quidem ex vi talis voluntatis permissivæ.* Eadem docet, cum suis Dominicanis *Bannes. Actiones eorum* (inquit *Ledesma*) *qui Christum crucifixerunt, si considerentur in ordine ad illos ministros iniquissimos, erant gravissima peccata in ordine vero ad Christum qui se sacrificavit mediis illis actionibus, erant actiones bonæ*

Cumel. Variar. disp. 1. n. 1. Tho. Bradward. de caus. Dei, l. 1. c. 33. Bradward. l. 1. c. 15. Ruiz. tom. de providentiis prædeiniente tract. 2. sect. 5. disp. 12. Molina 1. part. 9. 14. disp. 18. memb. 2. Suarez l. 2. de auxil. c. 3. n. 4. Vasquez 1. part. disp. 95. c. 10. num. 68. Grego. de Valent. 1. par. 9. 23. punc. 2. Bellarmi. de amiss. grot. l. 2. c. 14.

Soto.l.1.de na & grat. c.21.ad 2. Major 2. dist.25.q.1. Vega in opusc de justific. q. 12. Richard. 1. dist.38.q. 5.art.vinco. Gabriel 1. d.25.art. 3. q.vinc. Staplet. de justific. l.2. c.13. Ledesma. de auxi. divi. grat. 12. q.29.dub.1 co.2.3.4. Dom.Bannes 1. part. q.14 ar.13. Math. Rispolis lib. de prædisi.pag 62. Alvarez de auxi. l. 3. disp. 24.16. n.16.

& religiosæ, & secundum istam rationem poterunt esse a DEO. Quid itaque Jesuitæ, quid Becane, quid Suarez, Bellarmine, Vasquez, Lessi vociferamini *Deum Calvinisticum esse authorem peccati*: nihil hic *Calvinus, Beza, Lutherus, Zwinglius* nihil nostri docuerunt hac in re nisi quod vestri *Ledesma, Bannes, Cumel*, & impura Jesuitarum ora præulerunt, & docuerunt. Quid *Rispolis* de hac re, *Nos per permissionem intelligimus subtractionem auxilii per quod non fuisset ille malus usus & ista subtractio auxilii dicitur permissio, quia in hac subtractione relinquitur homo in sua libertate naturali, quæ in malum necessario flectitur.* Did. Alvarez. *DEVS efficaci voluntate prædeterminavit omnes actus bonos ex objecto, qui fiunt in tempore, & eos, qui ex objecto non sunt mali in quantum actus sunt, quamvis alias ex individuo sint peccata ex mala circumstantia. Ib: Omnes Thomistæ, uno aut altero accepto, docent hanc conclusionem.* Idem. *DEVS ante præscientiam vel prævisionem determinationis creatæ voluntatis statuit ab æterno voluntate absoluta, vel consequenti non dare supernaturalia auxilia iis, qui revera ea non recipiunt, si verbum (non dare) accipiatur, ut significat meram negationem auxilii, seu voluntatem absolutam non dandi tale auxilium.* Hoc est quod nos docemus de voluntate DEI permissiva, de qua tamen plura in confirmatione nostræ sententiæ.

CAPUT III.

De scientiæ mediæ novo figmento.

An scientia media salvet Dei providentiam in gubernatione Rerum Contingentium. Examinantur effugia Jesuitarum, Hyer. Fasoli Rodorici de Ariaga, Did. Ruiz. Pet. de Arubal, Vasquezii, Gamathei, *& aliorum.*

Explicatur sententia Jesuitarum de molli supina & laxa Dei providentia de futuris contingentibus & nostra proponitur.

Peroſæ sunt de actibus DEI immanentibus, puta scientiæ & voluntatis disputationes: *Jesuitæ, Arminiani*, aliique id genus unicam litium moderatricem & arbitram statuunt *scientiam mediam* quæ immutabilitatem divini decreti conciliat cum actibus liberæ voluntatis.

Nostra

Nostra sententia est omnes omninò actus liberos, ideo evenirè & in rerum naturâ actu existere quoniam Deus ab æterno absolute & immutabiliter decrevit, ut essent in rerum naturâ tot & tales actus contingentes & liberi, ita ut Dei liberum decretum sit prima & altissima causa omnium contingentium quæ vel absolute vel conditionatè futura sunt. Ideoque Deus decrevit ab æterno & absolutè liberam Resipiscentiam vel non Resipiscentiam Tyriorum à visione miraculorum tanquam à conditione pendentem. Idque absoluto sui decreti actu, qui à nulla conditione extra Deum, in creaturâ dependeat, si decretum ipsum spectemus. Et nisi hoc dixerimus necessariò sequuntur absurda gravia. 1. Actus nostri liberi non pendebunt causativè à divinæ providentiæ libero decreto, sed ii actus, omniaquè quæ eveniunt contingenter, imo vel necessariò (est enim omnium par ratio) futura sunt citra & ante omnem divinæ voluntatis aut præscientiæ actum, quod ipsa fortuna est antevertens Deum, ejusque voluntatem, curam, providentiam, sapientiam, & Omnipotentiam. Quo pacto. 2. Fides nostra, spes, consolationes omnes Christianorum, patientia, orandi fervor, gratitudo in Deum ultimatè resolvi deberent, non in supremum Dei Dominium, aut in absolutam & independentem Dei voluntatem, ut in causam primam & altissimam, sed in fortunam & fortuitas rerum Contingentium & Creaturarum connexiones. 3. Adversariorum est sententia, ideo existere in rerum naturâ tot ac tales actus liberos disputandi, ambulandi, loquendi, imò in supernaturalibus, credendi, orandi, sperandi, Deum laudandi, &c. non quoniam tot, & tales Deus fore decreverat, sed quoniam ita voluit, & disposuit Creatura, & Creata libertas aut quoniam antecedenter ad Omnem Dei actum (quasi supremus Mundi *Creator* & Inspector omnia minimè suo sapiente Consilio & providentiâ administraret) ponendæ & futuræ sunt tales actiones, talesque rerum ordines, conditiones, & circumstantiæ Deo nec dum sciente, nec volente, nec curante, ac sic Deo dormiente (absit blasphemia) non gubernante. 4. Hinc conficitur, omnia quæ causarum secundarum operatione ac Ministerio futura sunt, vel futura esse, absque Deo, uiloque Dei Omnipotentis actu futura, quod omnem evertit providentiam; & si providentia nulla est, ne quidem Deus erit: vel Deus gubernabit, curabit, & pro-

videntiam exercebit circa futuritionem eorum, & ingressum in mundum & in τὰ ὄντα, entium & rerum chorum, classem numerumque, quæ tamen futura sunt, ante omnem actum Gubernationis divinæ; & si futura sunt ante omnem actum DEI Gubernationis, quidni etiam actu existerent citra omnem ejusdem providentiæ actionem, curamve? Quod contradictorium. Queri potest, 1. antequam disputationis hujusce pelagus ingrediamur, an conditionatè futurum Contingens quod Adversarii fingunt Scientiæ Mediæ objectum sit ens futurum, an vero ens possibile.

Objectum Scientiæ Mediæ est ens actu futurum & nonconsistens intra Entium tantum possibilium cancellos.

Ad quod breviter respondebo. Resipiscentia Tyriorum *v. g.* bifariam consideratur. 1. Consideratur in se, absolutè & citra omnem conditionem & antecedenter ad omnem determinationem DEI voluntatis, uti considerant Jesuitæ, & sic est ens possibile tantum, & non futurum; quod enim in tempore nunquam fit, ab æterno nunquam erat futurum, at Resipiscentia Tyriorum nunquam fit. Ergo, talis Resipiscentia est tantum quid possibile & extra limites statumve entium merè possibilium nunquam est egressa: & scientiâ simplicis intelligentiæ scitur tale objectum, talisque Resipiscentia. 2. At vero Resipiscentia hæc vestita DEI æterno decreto, cujus est futuritionem vel absolutam vel conditionatam dare, tali conditione, nempe si Tyrii viderint miracula, est vere futurum & aliquid plus & ultra id quod est merè possibile, quia quod *Salvator* noster ait futurum, si talis conditio ponatur: id certissimè & indeclinabiliter est futurum, si talis conditio ponatur: At CHRISTUS, cujus nec scientia, nec prædictio falli potest, ait, Tyrios acturos Pœnitentiam & Resipiscentiam, si viderint signa. Ergo talis Resipiscentia sub reduplicatione talis conditionis est futurum quid, & non est merè possibile. 2. Queritur an decretum DEI hoc sit conditionatum an absolutum: Respondeo ratione objecti, Decretum impropriè & per figuram dicitur conditionatum; at decretum in se & simpliciter est absolutum; quoniam citra omnem conditionem suspendentem decretum DEUS absolutè decrevit, idque completè, & irrevocabiliter actualem connexionem (licet connexio sit libera dependens merè a liberâ DEI constitutione, non a naturâ rerum connexarum, quippe merè contingenter inter se cohærent, Resipiscentia & visio signorum) inter Resipiscentiam Tyriorum & visionem miraculorum, & hæc con-

Decretum de futuris Contingentibus in se absolutum.

nexio

nexio actu completa & absolutè decreta est à Deo, licet ipsa extrema connexa futuritionem nunquam habeant.

Sed frustra sudat *Hyero. Fasolus* Jesuitâ Neopolitanus probarè, Deum scire futura contingentia conditionata, id enim nemo, quod sciam, negat; sed an Deus sciat infallibiliter futura contingentia conditionata ante omne decretum divinæ voluntatis, id est in quæstione, nam hoc est quod nos negamus. Non desunt viri graves, qui scientiam mediam reducant ad scientiam simplicis intelligentiæ, hoc argumento. Quia objectum scientiæ mediæ est ens possibile nam futuritio hypothetica competit enti possibili, quâ tale est, quippe de omni ente possibil, vere dicitur, hoc ens futurum est, si Deus voluerit, & Deus cognoscit hoc esse verum de omni ente possibili. Ergo scientia media reducitur ad scientiam simplicis intelligentiæ. Sed Respondeo. Omne ens possibile potest fieri futurum, posita tali conditione, si nempe Deus voluerit id fore: sed futurum conditionatum est vere futurum, posita conditione, at vero possibile formaliter & qua tale non est futurum, sic enim transiisset jam è statu possibilitatis ad statum futuritionis. Quod vero objectum scientiæ mediæ non sit formaliter possibile, sed futurum inde evincitur, quod objectum scientiæ mediæ sit determinatæ veritatis uti docent ipsius patroni, & revera *Tyriorum* resipiscentia, si viderint miracula, determinatè futura erit, at vero possibile formaliter & qua tale, non est determinatè futurum, nam possibile formaliter indifferenter se habet ad futurum, vel non futurum, & formaliter abstrahit ab utroque.

Scientia Mediæ objectum est ens tantum possibile: ideoque nihil est aliud quam scientia simplicis intelligentiæ.

Futurum & possibile differunt.

2. Fratres discalceati *Collegii Salmanticensis*, observant juxta regulas Soti, conjunctionem (Si) trifariam sumi: 1. illative, Ut *si est homo, Ergo est animal*: 2. *promissivè*, Ut (*si servieris Petro, dabo tibi mercedem:*) 3. *conditionatè*, Ut, *Si Tyrii viderint signa, resipiscent*) sed ego hic duo observo. 1. Addi posse quartam acceptionem, quando (Si) notat meram coexistentiam sine ullâ extremorum connexione. Ut (*si Papa legerit, Turca ridebit*) & tales propositiones, Disparatas, doctrinæ gratia, appellamus. 2. (Si) *Logicè* semper sumitur illative & primo modo, licet interdum consequentia sit bona & necessaria. Ut si est homo, est animal, interdum mala & non necessaria. Ut (*si servieris Petro, Ergo dabo tibi mercedem*) si promissio sit humana, consequentia est mala & non

Collegi. Salmanticenf. incurf. Theolog. tract. 3. to. 1. de scien. Dei. disp. 9. dub. 4. fig. 41. Sotus dialect. summul. c. 8. lect. 1.

Quot modis sumatur Conjunctio (si) in hac disputatione.

non necessaria; Quia omnis homo fallax est & potest datam fidem violare: si est promissio divina, est omnino fortissimè & necessario illativa & bona. Quia repugnat Deum essentialiter veracem solvere datam fidem:

Scientia media evertit providentiam Dei. Lessius de gra. effic. c. 19. fig. 3. Ariag. disput. logic. 14. sect. 6. fig. 104. Fasol. in 1. Thom. tom. 1. q. 19 art. 13. dub. 13. fig. 235. Ruiz. in 1. Thom. disp. 61. sect. 1. fig. 17, 18.

3. Sed ad rem, probo hanc scientiam mediam evertere, non salvare providentiam Dei. 1. Non stat certitudo divinæ scientiæ cum hac scientia. Ergo per hanc scientiam evertitur providentia. Probatur antecedens. Propositiones disparatæ ut (*Si Papa legerit, Turca ridebit*) (*Si baculus est in angulo, jam pluit*) non sciuntur à Deo infallibiliter, antecedenter ad Dei Decretum. Ergo, nec hujusmodi conditionatæ (*Si Tyrii viderint signa, resipiscent*) Antecedens probatur testimonio adversariorum. Nam *Jesuita Lessius* tales propositiones nihil ponere, *Ariaga*, & *Fasolus* dicunt tales esse possibilis tantum, non determinatæ veritatis, & *Ruiz* dicit omnes tales esse falsas, & eorum contradictorias esse veras per scientiam mere naturalem. Assumo. Atqui conditionatæ ante Dei Decretum, uti hæc (*Si Tyrii viderint signa, recipiscent*) nihil ponunt. Nam citra Dei Decretum, nulla est veritas determinata in talibus, nam in se non sunt veræ, non enim sunt necessariò veræ, ut notum, quia extrema cohærent planè per accidens, nec sunt contingenter veræ, nisi possibiliter, quia nulla est causa à parte rei connectens extrema inter se, cum nullum adhuc ponatur Dei Decretum. Replicant *Pet. de Arubal*, & *Ariaga*, non esse parem rationem, quia in disparatis nulla est connexio *omnino, quia posita conditione, nempe si Petrus tentabitur, repugnat ut Petrus nec determinate peccet, nec determinate non peccet, altera ergo pars est determinate vera, altera falsa, & qui hoc prædixit re ita se habente, verum prædixit, Ergo erat verum ante prædictionem.*

Scientiæ (ut fingunt) Medix objectum est incertum & non cognoscibile nisi ut possibile. Arubal. tom. 1. q. 13 art. 13. disp. 45. q. 5. fig. 25. Ariag log. cita. Curiel con. 1 paver. 4. in 4. sapientiæ pag. 176

Respondeo. *Certe videtur* (inquit *Alphons. Curiel*) *harum & illarum esse eadem ratio*, neque ego dico parem omnino esse rationem, est enim vis quædam motiva in visione signorum ad producendam in Tyriis resipiscentiam; at, in Baculi in Angulo existentiâ nulla est vis omnino ad producendam pluviam, sed quod attinet ad certitudinem Metaphysicalem, ſcu indeclinabilem inevitabilitatem resipiscentiæ est omnino par & eadem ratio utrobique, non enim magis inevitabiliter & indeclinabiter sequitur resipiscentia Tyriorum ex visione miraculorum, quam pluvia indeclinabiliter

biliter sequitur ex existentiâ baculi in angulo, id quod fatetur *Fasolus* scientiæ mediæ patronus. Nam sensus hujus (*Si Tyrii viderint signa, resipiscent*) non est, ideo quia *Tyrii* vident signa, determinatè & indeclinabiliter resipiscent, nec enim visio signorum causa determinatrix est resipiscentiæ, id enim, præterquam quod falsum est, planè Pelagianum est, ita nec pluvia indeclinabiliter est ex baculi in angulo existentiâ. 2. Ad illud *Ariagæ* dico, posito hoc quod baculus sit in Angulo, repugnat quod nec determinatè sit pluvia, nec determinatè non sit pluvia, sicut positâ tentatione repugnat ut Petrus nec determinatè peccet, nec determinate non peccet: nam eadem est utrobique contradictio quæ adversarios, æquè ac nos gravabit: At dicent hanc (*si Tyrii viderint signa, resipiscent*) esse determinatè veram, per nudam coexistentiam & conjunctionem resipiscentiæ & visionis signorum, quia hæc duo cohærent tanquam conditio motivâ & conditionatum: ideoque, *non est* (inquit *Arubal*) *in Deo scientia futurorum contingentium nisi quando determinata sunt cum omnibus circumstantiis & conditionibus. Nam non est hæc determinate vera* (*si Petrus petet eleemosynam ab Ioanne, eam accipiet*) *sed hæc est determinatè vera ideoque scibilis ante Dei decretum* (*si Petrus petat eleemosynam ab Ioanne divite & liberali debito modo & tempore cum reliquis circumstantiis debitis, eam accipiet.*) Sed Respondeo, sic si omnes debitæ sint circumstantiæ & determinatæ conditiones, & ponatur debitum tempus in quo coexistunt existentia baculi in Angulo & pluvia, determinate vera erit hæc (*si baculus est in Angulo, pluit*) At vero veritas determinata hujus ante DEI decretum (*si Tyrii viderint signa, resipiscent*) est id de quo quæstio est, & à nobis negatur. Quia enim DEUS per decretum liberum, quo Judæis gratiam efficacem negaverit, effecit, ut hæc esset vera (*Si Judæi viderint signa Christi, non resipiscent*) poteratne, quæso, DEUS per tale decretum effeciſſe, ut & hæc esset vera, (*si Tyrii viderint signa Christi, non resipiscent,*) certe negari non potest. 2. Propositiones de futuro contingente, etiam antequam determinentur per circumstantias determinatas, sunt tam verè contradicentes, (ex adversariorum placitis) quam sunt, postquam determinatæ sunt omnes circumstantiæ; Ergo sic erit in DEO scientia media, etiam antequam futura contingentia sunt determinata; contra quod asserit *Arubal.* 3. Per hanc rationem igitur non erit in DEO scientia

Fasolus in 1 Thom. tom. 2. q. 14 art. 13. dub. 13. punct. 2. sig. 250.

Arubal. tom. 1. q. 14. art. 13. disp. 46. c. 1. sig. 1. 2.

hujus (*Si Tyrii viderint signa, resipiscent*) nisi omnes circumstantiæ sint determinatæ, adeoque nisi prius mota & flexa fuerit voluntas Tyriorum ad resipiscendum per motum actionemque gratiæ efficacis: At quis, quæso, dubitet, an Deus certo sciat has esse veras propositiones, postquam de facto attributum subjecto convenerit, & inerit? imo sic *Angeli*, homines, imò etiam lippi & tonsores scire possunt determinate, Petrum accepturum Elemosynam ab Joanne divite, & liberali, si petierit eam, omnibus circumstantiis debitis, nam inter tales circumstantias hæc est una, quod Joannis voluntas fuerit efficaciter mota ad dandam eleemosynam, sed hæc motio efficax præsupponit Dei decretum: si vero Jesuita non supponit, inter circumstantias determinatas, voluntatem *Joannis* actu secundo operantem, eumque actu dantem eleemosynam, tum dico, antecedenter ad decretum Dei, Joannes tam non dare, quam dare potest eleemosynam; etiam si omnes circumstantiæ sint determinatæ, quia omnes circumstantiæ etiam determinatæ sic, semper relinquunt Joannem puræ suæ libertati & indifferentiæ voluntatis ad dandam eleemosynam, & ad non dandam eleemosynam, ideoque nulla est hic Metaphysica Certitudo, de qua quæstio est.

Num. 2. Sect. 4.

Scientia media tollit Dei sapientiam & justitiam.

2. Sic arguo, Ea Scientia non salvat, sed evertit providentiam quæ tollit Dei Sapientiam & Justitiam, sed hoc facit scientia media. Ergo scientia media non salvat, sed evertit providentiam. Major est certa, probatur Minor; Quia à sapiente & justâ Dei voluntate sunt omnes sapientes & justæ rerum connexiones tanquam à causa: Tales ergo connexiones non possunt antecedere actus sapientis & justæ Dei voluntatis. Effectus enim non est prior causa sua, ideoque omnes hæ connexiones erunt in se, in rerum naturâ & determinatè veræ, antecedenter ad sapiens & justum divinæ voluntatis decretum, *Si Chaldæi Jobum spoliarint, Jobus DEO se humiliter & patienter subjiciet; Si Patriarchæ Josephum vendiderint, Pharaoh ipsum gloriosè exaltabit; Si Judas Salvatorem prodiderit, Judas laqueo sibi necem creabit; Si Petrus erubit, Petrus intensius creditturus est*; In his connexionibus emicant actus divinæ voluntatis sanctæ, sapientis & justæ. Non possunt ergo hæ connexiones antecedere actus divinæ voluntatis & scientiæ, neque habere determinatam veritatem in eo casu, nisi justitia & sapientia Dei in talibus planè nulla sit, & planè sopita. Addo, quod conditio

conditio sit sæpè medium respectu conditionati, ut auditio verbi est medium ad fidem, visio signorum est medium ad Tyriorum resipiscentiam; Occisio Salvatoris ex DEI ordinatione est medium ad redemptionem generis humani; Hæ autem sapientes justæque concatenationes rerum sunt entia realia, bona & sancta. Ergo non possunt esse in rerum natura, & determinatam habere veritatem, nisi à primo sancto, à primo justo, à primo sapienti: qualis est DEI libera voluntas, nisi planè evertatur DEI justitia, & exulet sapientia. Sed hic duo replicant adversarii. 1. Dicunt *has concatenationes non antecedere DEI voluntatem conditionatam, bene tamen antecedere voluntatem DEI absolutam, in eoque nihil esse absurdi.* Respondeo, omninò falsum est, quod voluntas DEI conditionata sit causa talium connexionum; Non enim dicit DEUS volo, auditionem verbi medium esse ad fidem, conditione hâc vel illâ. Non enim dari potest conditio sine progressu in infinitum, Nam sine ulla conditione auditio verbi & fides connectuntur, neque ipsa connexio est formaliter conditionata, nec DEI voluntas ista connectens est conditionata, sed omninò absoluta, quod est pro nobis. Nam hæc connexio (*Si Tyrii viderint signa, resipiscent*) non est conditionata, nam dari non potest conditio sine absurdo, sed formaliter alterum connexum, non ipsa connexio pendet à conditione, hoc est, ipsa resipiscentia est conditionata, & visio signorum est conditio, & DEI voluntas hæc connectens non est conditionata: Nam DEUS absolutè vult extrema hæc connecti, nullo vero modo conditionatè. 2. Regerit Fasolus. *Voluntas* (inquit) *creata omninò determinat ad utrumlibet, & decretum Dei de extremis connexis datur quidem, sed tertium decretum de connexione ipsâ rogamus, non enim dicit Deus, volo ut Judas converteretur, si taliter vocaretur.*

Voluntas Dei in futuris conditionatis est absoluta non conditionata ut somniant Antiprædeterminantes.

Fasolus in 1 tō. 2. q. 14. ar. 13. dub. 14. fig. 265. & dub. 16. fig. 275.

R. habemus hic Jesuitam foro cedentem. Nam *Jobi* patientia, connectitur cum ærumnis & calamitatibus quas à nefariis hominibus patitur, & conversio Judæ aut Petri à tali vocatione, pendet, vel 1. suâ naturâ, vel 2. liberâ justâque DEI voluntate, vel 3. fortunæ impetu, vel 4. fato. Non naturâ, Nam obmurmuratio adversus DEUM potius in rebus adversis, est à naturâ, quam patientia, & si natura esset causa connexionis, omnes subjicerent patienter DEO sese quotquot opprimuntur, quod est falsissimum. Nec est naturalis nexus inter vocationem talem & Judæ

Omnes connexiones rerum vel absolutæ vel conditionatæ a Deo decretæ sunt.

obedientiam, inter orationem & fidei ἀσκησιν. Inter *Jesephi* incarcerationem & exaltationem: Si fortuna aut fatum hic regnabunt, corruit providentia Dei. Ergo sola Dei voluntate. Quin imò ratio cur humiliantur pii sub Tyrannorum persequutionibus, est, quia ita (inquunt) Voluit Jehovah; cur gratias agunt Deo, eo quod peregrini, & homines hostili alioqui erga ipsos animo affecti, respondent læta, jucunda, bene volunt, amant, benevolentiâ prosequuntur pios Dei servos; rationem reddunt pii, bene nobis volunt, favent, votis arridenti, si quid petimus, quia hæc est gratiosa erga nos, patris nostri cœlestis, voluntas. Unde nemini sano judicio non patere arbitror: has connexiones à Dei decreto justo & sapienti pendere. (*Si impii Iobum afflixerint, ipse Dei libero decreto sese submittet, Si vir pius hostem supplex orabit, favorem & gratiam consequetur.*) Unde hoc? certe à Dei decreto: (*si audierit Lydia verbum, Dominus ei cor aperiet*) Unde hoc, nisi à sapiente Dei decretò? (*Si discipuli petierint Asinum Salvatori Domino, ab Asini Domino, voti compotes redibunt,*) unde hoc? nemo non norit, ita *Iehovam* ab æterno decrevisse. Blasphemum certe est asserere tales connexiones tam sapientes, gratiosas, justas à nullo divinæ voluntatis decreto causativè emanare, sed cœcâ fortuna volutari. Sed hic quivis intelligere potest Jesuitas hic conditiones ponere tantum ad faciendum populum. Quia si (Si) hic notat nullam connexionem logicalem, ut ait *Fasolus*, sed influxum tantum moralem & liberum antecedentis in consequens, tam determinate vera est hæc, antecedenter ad Dei decretum (*Petrus convertetur*) quam est hæc (*Petrus convertetur, si tali modo vocaretur*) imo per dogmata Jesuitica, non magis esset ex Dei voluntate & decreto libero, quod Petrus converteretur, si sic vocaretur, Quod Jobus patiens foret, si affligeretur à malis hominibus, quam est à Dei voluntate, quod ideo pluvia sit, quia canis latrat in aula: nam juxta Jesuitas, nulla Dei voluntas in talibus connexionibus locum habet.

Fasol. in 1. tō. 2. q. 14. art. 13. dub. 13. punct. fig. 251.

5. Sed coexistentiam objectivam hic extremorum absque connexione illativa & logicali in hisce conditionatis mirifice pingit & fingit *Vasquez.* *Veritas* (inquit) *propositionis conditionalis in bona illatione consistit, est enim simul consequentia, & propositio, & veritas illius quatenus est propositio, est bonitas illius, quatenus est consequentia, quare si consequentia conditionalis non est bona, ut* (*si Turca est mortuus*

Vazquez. in 1. Thom. disp. 67. q. 14. art. 13. c. 3. fig. 15. 17. 25.

mortuus ergo Petrus duxit uxorem) *nec illa propositio erit vera, nec falsa.* —— *Cum ergo dicimus de Petro* (*si Petrus hâc cogitatione congruâ præveniretur, hoc esset facturus*) *vel ibi assignamus causam, cum quâ effectus est connexus, vel non, si primum, vera est illa pars; si vero non assignamus causam, erit falsa, quia non erit bona consequentia, siquidem nulla erit connexio inter illam cogitationem congruam, & illud quod Petrus erat facturus, & sic contradicentium utraque erit falsa.* —— *Ut propositiones sint veræ & consequentia bona, non oportet eas esse necessariæ veritatis, sufficit veritas & bonitas consequentiæ, & consequentia semel bona est semper bona* —— *in his* (*conditionatis*) *si Tyrii viderint signa, resipiscent, consequentia non est necessaria ex natura rei, sed tantum de facto, ut consequentia ex materia singulari ex antecedente sequitur, tanquam ex causa, etiamsi possit non sequi.* —— *Si eadem cogitatio maneat omninò eadem congrua, & voluntas eam non deponit, nunquam poterit esse Antecedens verum, & Consequens falsum.* Respondeo 1. hæc, ante omne DEI decretum de dandâ gratiâ efficace (*Si Tyrii viderint signa, resipiscent*) non est bona consequentia, sed nititur dogmate falsissimo & Pelagiano. Tyrii vident signa, ergo resipiscent. Ergo, ex te, nec erit vera, nec falsa, magis quam (*Turca est mortuus, ergo Petrus duxit uxorem*) nam Pelagianum est, & experientiæ reclamat miracula producere resipiscentiam. In hâc verò (*Si Petrus congruâ cogitatione præveniretur, esset hoc facturus*) si assignamus causam, cum qua effectus est connexus, consequentia bona est, sed planè identica quoad rem, hoc est, consequentia est bona, si est bona, quam fatuos fese præbeant Jesuitæ, quis non videat in hac materia? si enim resipiscentia sequitur ex visione miraculorum, quis negat eam sequi? 2. Prodigium Logicæ est, *Consequentia non necessaria ex natura rei, sed tantum de facto.* Nam *Aristoteles* rectius longe nullam agnoscit consequentiam legittimam, nisi in qua conclusio sequitur ἐξ ἀναγκης ex præmissis. Nam si de facto tantum sequitur consequens ex antecedente, Ergo potest non sequi: Ergo consequens est verum, sed non propter, vel vi logicali antecedentis. Ergo consequentia est mala, ac proinde semel mala, semper mala, uti recte dicit Jesuita consequentiam semel bonam, semper esse bonam. Dicit recte *Jesuita*, quod & *Aquinas* dicit, *Veritatem propositionis conditionalis consistere in bonitate consequentiæ.* Atqui hæc nulla est consequentia, ante

Coexistentia objectiva metaphysice certa, & fundans infallibilem Dei scientiam citra omnem connexionem illativam, est somnium.

fig. 26.

Aquin. 1. part. q. 14. art. 13. ad 2.

ante omne DEI decretum. (*Tyrii vident signa, ergo Tyrii resipiscent*) Mirum est quod dicit *Did. Ruiz.* *Quamvis* (inquit) *non affirmetur illatio, dummodo saltem affirmetur coexistentia actus liberi cum hypothesi, validum erit argumentum ab affirmatione hypotheseos ad affirmationem actus liberi.* At hoc est, tales propositiones esse illativas, & non esse illativas, nam latinitatem scienti propositio argumentativa est illativa. Sed an quæso gratias deberemus *Vasquezio* dicenti? *Si eadem omnino cogitatio maneat congrua, & voluntas eam non deponit, nunquam poterit esse antecedens verum, & consequens falsum.* Nam certe si cogitatio maneat eadem congrua, & voluntas eam nunquam deponat, hoc est, si Tyrii ita congrue moverentur, ut actu resipiscerent, procul dubio actu resipiscent: hoc est, Tyrii resipiscent, Ergo Tyrii resipiscent. Nam congrua motio essentialiter includit effectum, alioqui non est congrua, sed incongrua motio, uti docent *Iesuitæ*. 3. In materia contingente, ex antecedente simpliciter contingente, consequens simpliciter contingens, nullo modo sequitur. 4. In futuris conditionatis dantur vera Enthymemata, & Syllogismi legittimi. Ergo propositiones de hisce sunt verè argumentativæ, Consequentia est certa. Probatur Antecedens. *Mulier Samaritana petit aquam à Christo, Ergo Christus ei dat aquam vivam, Judæi videbunt Christi miracula. Ergo Judæi non necessario resipiscent*, item. *Si David fugerit ex Keilâ, Keilitæ ipsum non tradent in manus Sauli, Atqui si David consulet Deum de fuga, David fugiet ex Keila. Ergo si David consulet Deum de fuga, Keilitæ non tradent ipsum in manus Sauli.* Sed semper notandum tales propositiones de futuris conditionatis semper esse argumentativas, sive illativas non ex se, sed vi decreti aut determinationis divinæ. Quoties ergò sacra Scriptura hujusmodi consequentiis utitur, toties valet consequentia non ex connexione terminorum simpliciter, sed ex liberâ constitutione & prædeterminatione DEI: Hæc enim consequentia plane ridicula & vana foret (*Tyrii videbunt signa, Ergo Tyrii resipiscent*) Si per impossibile ponamus nullum esse decretum, nullamve in DEO providentiam quæ connectat inter se hæc extrema, nam ex se, & ex rei naturâ, nullo modo indeclinabiliter inter se cohærent, *Tyriorum* resipiscentia & signorum visio. Si enim ex se esset connexio inter hæc duo, & quidem connexio necessaria quæ fundaret tanquam fundamentum & objectum

Did. Ruiz. in 1. Tr. 6. disp. 68. sect. 9. sig. 11.

Consequentiæ Scripturales ex antecedente contingente & mere possibili ad consequens possibile validæ sunt ex præsuppositione decreti divini, non ex natura rerum ipsarum.

ctum certum certitudine entitativâ infallibilitatem scientiæ divinæ, tum sive esset DEUS, sive providentia DEI extaret, quæ res humanas regeret, sive non, *Tyrii* resipiscentiam acturi forent, si vidissent miracula, & extaret in natura certa & immobilis providentia in rebus ipsis ex se & ex rerum ipsarum natura citrà DEI decretum liberum, & absque omni omninò providentiâ, at verò hæc esset vel fortuna fatalis, vel fatum antecedens & constringens omnem DEI providentiam: quod planè absurdissimum est.

3. Argu. Ea scientia non salvat providentiam, sed ipsam evertit, quæ evertit præcipuum actum divinæ providentiæ, nempe, concursum DEI cum voluntate libera, adeoque cum omnibus causis secundis, sed scientia media evertit præcipuum actum providentiæ. Ergo, *&c.* Probatur minor. Vel dicit DEUS, ego præscio voluntatem in talem actum exituram ante meum decretum, ideoque exspecto determinationem voluntatis creatæ paratus cum ea concurrere, vel dicit, si voluntas sic collocata fuerit in tali rerum ordine, & sic prævenia fuerit, & ego concursum meum actu secundo præbuero, Petrus hoc liberè volet, facietve: sed neutrum dici potest. Ergo, hæc scientia tollit concursum DEI cum causis secundis. Major est certa. Probatur Minor per partes. 1. Prius dici non potest, quia DEUS non potest præscire talem actum liberum determinatè fore, in eo signo quo exspectat determinationem creatæ voluntatis, quia ut ait *Lodov. a Dola, Deest in eo signo comprincipium essentialiter requisitum ad illum actum*, Nam adhuc in eo signo & voluntas creata & concursus Dei quæ causativè concurrunt ad actum liberum, supponuntur ut indifferentia principia actus liberi. Non potest autem DEUS præscire actum liberum determinatè fore, quando adhuc comprincipia illius actus liberi possunt vel fore, vel non fore, quia sequeretur DEUM præscire actum liberum determinatè fore, & tamen fieri posse ut nunquam sit talis actus, & sic scientia DEI erit fallibilis; ratio consequentiæ est, quia voluntas physicè indifferens potest tam nolle, quam velle, & DEUS, qui ex Dominio suo absoluto & libero in omnes actus creatos *facit quæcunque vult in cælo, & in terra*, potest non concurrere, non enim ideo DEUS præscit se concursurum cum libera voluntate creata, nisi quia ante actum scientiæ suæ voluit & decrevit concurrere. Si secundum dicatur, nempe, *Ego præscio* (inquit DEUS) *Petrum*

6. *Scientia media evertit omnem Dei concursum cum causis secundis.*

Lodov. à Dola disp. quadripar. de concursu Dei part. 2. c. 3. §. 3.

trum crediturum, si ego ita voluntatem ipsius flexero, & concursum meum in actu secundo præbuero. At quoniam concursus DEI essentialiter includit actum liberum creatæ libertatis, tum DEUS tantum diceret, *Ego ideo præscio Petrum crediturum, si modo crediderit, ut falli mea scientia nequeat.* At Idiotæ, & homines rudes, imò dæmones certò sciunt Petrum crediturum, si crediturus est. Sed occurrere conatur argumento huic *Philip. Gamachæus. Decretum* (inquit) *conditionatum quod scientiæ mediæ nititur, non debet hic exponi.* (*Ego agam, si homo agere voluerit*) *sed potius,* (*Ego agam, quia infallibiliter futurum est, ut homo velit agere in tali statu*) *& ibid. ait voluntatem Dei efficacem non antecedere simpliciter assensum hominis, sed potius comitari.* Sed diluo sic. Duorum effectuum contradictoriè oppositorum utrumlibet non potest esse, & à DEI voluntate, & ab humana voluntate, quando illæ duæ voluntates sunt oppositæ. Nam absolutum Dominium, in actum liberum, efficiens ut potius sit, quam non sit ille actus, aut contrà, nullâ ratione potest esse à duobus agentibus in contradictorios actus tendentibus. DEUS autem vult sæpe, ex adversariis, ut ille actus sit, quem voluntas humana omninò non vult; & contra, nam dato hoc, quod Sereniss. *N. Rex M. Britanniæ, & Rex Galliæ* contendant de insulâ capiendâ, ut alter alteri eam vi eripiat, stantibus regum contrariis voluntatibus, sempæternam involvit contradictionem, ut uterque rex plenum liberumque dominium in insulam illam obtineat, nam si alteri sit in ditione ea insula, alteri eripiatur necesse est, non ergo utrique constat dominium in insulam. Necesse est ergo DEUS dicat: (*si homo voluerit concurrere ad volendum, ego concurram,*) vel necesse est homo dicat, (*mea voluntas hunc actum liberum eliciet si Deus concurret cum mea voluntate.*) Et Deo volente actum liberum fieri, homine nolente, aut contra (quod haud raro evenit) nec Deo, nec homini constabit dominium plenum in actum, necesse est ergo DEUS dicat (*ego agam si homo agere voluerit.*)

Gamachæus Doctor Sorbonicus in 1. Thom q. 19. c. 7.

Dominium Dei in actus liberos, creaturæ tollitur, si Dei concursus ab indifferente creaturæ concursu pendebit.

7.

Scientia media omnem futuritionem rerum destruit, quia ponit omnia futura absque Dei voluntate.

4. Arg. Futura & non futura, vel sunt futura, & non futura à seipsis & citra omnem DEI voluntatem, vel non nisi causativè à Dei voluntate, si prius, videtur repugnans esse, futura potuisse esse non futura, & non futura potuisse esse futura, & sic omnia necessariò, nulla verò contingenter futura sunt, si enim, sive DEUS nollet, sive vellet, connexio est inter visionem signorum & *Tyriorum* resipiscentiam,

resipiscentiam, penès Deum non fuit efficere hanc propositionem falsam. Non enim Deus causari posset falsitatem ipsius actione liberâ, quia connexio hæc juxtà Jesuito-Arminianos est ens reale ante omnem actum Divinæ voluntatis. Nec actione necessaria posset Deus efficere hanc propositionem falsam. (*Si Tyrii viderint signa, resipiscent.*) Hoc enim cuivis absurdum esse patet. Deo enim sic impossibile foret, dare resipiscentiâ *Tyriis*, si non viderint signa, aut negare resipiscentiam, si viderint signa. Sed hoc refutatione non eget. Addo, Vel cognoscit Deus futura conditionata formaliter, per hanc scientiam, vel materialitèr tantum. Prius non est Deo cognoscibile, quia falsum est *Tyrios* ideo determinatè resipiscere, quoniam vident signa, nam possunt nunquam resipiscere visis signis. Si Deus hæc cognoscit tantum materialiter, tum tam inevitabilitèr sunt futura, remotâ conditione, quam eâ positâ, & sunt contingentia absolutè, non conditionatè futura, at hoc non admittent *Jesuitæ*, qui semper hic distinguunt inter contingentia absolutè, & contingentia conditionatè futura, Licet *Gamachæus* id concedat. Sed si futurum omne est ab æterno futurum, & nunquam incipit esse futurum, uti probat vir ille magnus *Thomas Bradwardinus*. Tum ego infero, si futurum est à se futurum, & non à voluntate Dei, tum etiam præsens est à seipso præsens, & preteritum à seipso præteritum. Si enim falsa est hæc, uti autumant Jesuito-Arminiani. *Futuritio resipiscentiæ Tyriorum conditionata est à liberâ Dei voluntate.* Falsa erit & hæc, *Actualis existentia Tyriorum resipiscentiæ est à Dei liberâ voluntate*, Quoniam juxta sanam logicam impossibile est aliquod præsens esse a Dei liberâ voluntate, quin etiam futuritio illius fuerit à Dei liberâ voluntate, nam quodcunque est in tempore à Dei voluntate, id ipsum ab eadem Dei voluntate fuit ab æterno futurum. Quod vero futurum nunquam incæperit esse futurum: Probatur. Quia pone, per te, futurum incipere ducentis annis imaginariis ante creationem mundi, ante Trecentos Annos imaginarios fuit hæc vera, *Inceptio futuri est futura*, vel hæc, *Inceptio futuri non est futura.* Si primum. Ergo per eandem rationem res incipiens futuritionem habere, fuit futura, antequam esset futura: quod absurdum. Si verò hæc *Inceptio futuri non est futurâ*, tum aliquid erit verum in præsente, nempe, ineunte anno ducentesimo imaginario ante creationem, quod non erat futu-

Gamachæus in 1. par. Thom. 4. 19. c. 3. Bradward. de caus. Dei lib. 1. c. 13.

Futurum nunquam incepit esse futurum.

rum anno trecentesimo, quod absurdum. Hinc sequetur Deum incipere scire, & velle hoc anno, quod antea non scivit & non voluit, & erit in infinita Dei scientia & voluntate mutabilitas & accretio, quod est blasphemum. Si futuritio conditionata resipiscentiæ Tyriorum nunquam incepit esse, sed fuit ab æterno, ab æterno hæc futuritio dependebat à voluntate Dei libera. Nunquam ergo fuit talis futuritio antecedenter ad Dei liberam voluntatem.

8. 5. Argumentum est. Positâ hâc scientiâ perit certitudo providentiæ. Ergo hæc scientia non salvat providentiam. Probatur Antecedens. Positâ hâc scientiâ perit certitudo prædestinationis, quia antecedenter ad omne dominium divini beneplaciti, & antecedenter ad omne Dei decretum liberum, hæ sunt determinatæ veritatis. Si tot, nempe, 1440. electi sic vocati fuerint, eorumque voluntates sic finaliter, per motiva talia & talia flexæ, finaliter Deo obedient. Et si tot reprobi puta 166700. sic vocati fuerint, eorumque voluntates per talia motiva affectæ, Deo vocanti finaliter repugnabunt. Hinc certò certiùs est evitabilitatem, aut inevitabilitatem conversionis aut non conversionis omnium mortalium antecedere Dei Decretum, stante hâc scientiâ novâ, undè Deus plures eligere, convertere & salvare non potest, quam ii qui de facto convertuntur: nam inevitabiliter & determinatè est futurum, ut tot, non plures, non pauciores finaliter credant, ac salventur, priusquam Deus liberè decreverit, ut credant. Ideoque Dei liberum Dominium nihil momenti, nihilque omninò virium Dei voluntas habet ad hoc ut tot, non plures, non pauciores, ac proinde ut nec seriùs, nec ocyùs, convertantur. Quam infœliciter sese expedit ex hoc argumento *Molina to. 1. in Tho. q. 23. art. 4. 5. disp. 1. membr. 11. pa. 324. conclus. 6.* Videat Lector.

Scientia media destruit omnem divinæ providentiæ nec non electionis & Reprobationis decretorum certitudinem.

9. 6. Argu. Ea scientia non salvat providentiam, quæ necessariò infert, patientiam sanctorum, gratiarum actionem, precandi studium & ardorem, fiduciam in Deum à Dei voluntate gratiosâ non manare, sed omnia hæc esse priusquam Deus gratiosè decreverit, ut fierent: atqui hoc scientia media necessario infert. Ergo, *&c.* Probatur Minor. Si omnes hæ sunt determinatæ veritatis ante omne gratiosum & liberum Dei Decretum. *Si Chaldæi spoliabunt Jobum, tum Jobus patienter se DEO subjiciet; & si Esaus obvius fiat Patriarchæ Jacobo,*

Scientia media extirpat omnem Religionem, patientiam, gratiarum studium, ardorem precandi, fiduciam, &c.

kobo, & ipsum nulla injuria affecerit, tum Iuakob & DEVM ardenter orabit, & DEO gratias aget; Si Saulus Davidem armis ad ipsum interficiendum impetierit, tum David in Deum fiduciam collocabit. Si (inquam) omnes hæ sint determinatæ veritatis antecedenter ad omne DEI Decretum, tum non possunt patientia sanctorum, gratiarum actio, precandi ardor & fiducia manare ab ullo DEI Decreto, nam quod est prius decreto non potest manare à DEI Decreto, uti effectus manat à causâ. Atqui patientia non est omninò, nisi ex hypothesi mali inflicti, nec gratitudo nisi ex hypothesi beneficii collati. Hinc patet virtutes has excellentissimas non esse à gratiosâ DEI voluntate, quod absurdum, quia & conditiones & res conditionatæ præcedunt omnem DEI Scientiam & Decretum.

7. Argu. Quod colligitur ex suppositione tantum possibili, id tantum est possibile, cum etiam posità suppositione sit tantum possibile, ac proinde non est determinatæ veritatis, nec infallibilis DEI Scientiæ est objectum, sed objectum scientiæ mediæ colligitur ex suppositione tantum possibili, & est tantum, etiam posita conditione, possibile, & absque DEI Decreto nullo modo necessarium. Ergo tale objectum non est determinatæ veritatis, & sic hæc scientia Providentiam DEI non salvat. Ratio Majoris est, Quia ex possibili nunquam sequitur futurum, sicut ex genere, vel ex eo quod latius patet, nunquam colligi potest species aut aliquod quod minus latè patet; Ut est animal. Non sequitur. Ergo est Leo. Non ergo resipiscentia Tyriorum determinatè futura inde colligitur, quia Tyrii vident signa, quoniam visio signorum tantum est possibilis, & resipiscentia visis signis est possibilis, & indifferens tantum & potest nunquam esse. 10.

Objectum scientiæ mediæ est tantum possibile & determinatæ veritatis non est.

8. Arg. Nova est hæc scientia, & dubiæ fidei: juxta scholasticos. Ergo non salvat providentiam. Probatur Antecedens. Vasquez. dicit *de eâ Antiquos Scholasticos nihil disputasse.* • *Erice ait eam Scholasticos latuisse. Granado & Fonseca à recentioribus aliquid novi semper cogitari.* Collegium Salmanticense ait *Consilium Tridenti quod fuit An.* 1545. *nihil de ea docuisse, & tamen maximè opus fuisse,* nisi figmentum fuisset. Et *Molinam* post editum librum suum de concordiâ juridicè citatum fuisse coram *Clemente* 8. assistoribus Cardinalibus & Episcopis 30. inter quos erant Jesuitæ *Gregor. de Valentia, Bet. de Arubal*, & ex secta Dominicana *Thom. de Lemus, Joannes* 11.

Scientia hæc nova est. Vasq. 1. par. q. 14. disp. 67. c. 4. Herice 1. par. disp. 7. c. 10. Granad. 1. p. q. 14. art. 13. trac. 5. disp. 3. sect. 2.

Fonſec. Metaphyſ. 6. c. 2 q. 8. Colleg. Salmanti. tract 3. de ſcienti Dei. diſp. 10. dub. 6. q. 1. Ariba. in ſpeculati Theolog. in prefat. fig. 19 Bradward. de cauſ. Dei lib. ult. c. ult.

Gonzalez, aliique viri graves. Et docet *Franciſ. de. Arriba*, reconciliator minus fœlix, agitatam fuiſſe cauſam, coram *Clemente octavo*, & *Paulo quinto*, & litem in quinquennium protractum, nihilque in favorem ſcientiæ mediæ determinatum. Adeo verum eſt quod dixit olim *Bradward.* jure dici poſſe Papæ nihil in his contraverſiis decidere auſo, ita ferventibus factionum contrariarum ingeniis, *Simon, Simon, dormis?*

CAPUT IIII.

Scientiam mediam Dei dominium evertere.

Arg. 9.

Vide Camerarium Scotum de ortu novæ hujuſce ſcientiæ in ſelectis diſputationibus Philoſophi par. 2. q. 9. dubi. 4 n. 1.

ARgumentum à Dominio Dei in omnia entia in locum ultimum rejeci quoniam hoc argumentum militat contra ſcientiam mediam. 2. Reſiſtibilitatem gratiæ Arminianæ & gratiæ congruæ Jeſuitarum. 3. Et probat Deum indeclinabiliter prædeterminare voluntates creatas. 4. Efficaciam gratiæ in ipſam gratiam non in liberum arbitrum rejiciendam fortiter probat, ideo hoc argumentum ſemel urgere hic ſtatui contra omnes, Jeſuitas, Arminianos, Socinianos, & Pelagianos.

Dominium Dei in omnes actus creaturarum, contingentes per ſcientiam mediam evertitur.

Hæc ſcientia media evertit Dei dominium in omnia entia, quæ DEUS efficere poteſt, ut ſint in rerum naturâ, vel non ſint, pro ſuo independenti arbitrio. Non ergo hæc ſcientia ſalvat, ſed evertit providentiam. Probatur Antecedens. Is non habet Dominium in omnia entia, qui non habet Dominium in actus liberos, nec poteſt cauſari ut actus liberi ſint, vel non ſint, prout ipſi libitum fuerit, ſed ſtante ſcientiâ mediâ, & doctrinâ Arminianâ de gratiæ operatione reſiſtibili, & efficacia gratiæ à libero arbitrio pendente, & libertate, ab omni DEI prædeterminatione ſolutâ, non poteſt DEUS cauſari ut ſint actus liberi in rerum naturâ, potius quam non ſint, aut contrà. Ergo ſtante ſcientiâ media & doctrina Arminianâ, &c. Non habet DEUS Dominium in actus liberos. Quod vero DEUS habeat Dominium in omnes actus liberos, ex Scripturis, & ratione ſanâ patet. 1.

Epheſ.

Ephes. 3. 20. *Cum exuperantia* DEVS *potest omnia facere, supra ea quæ petimus* (Fidem ergo, liberosque perseverantiæ actus quos indies sancti DEUM orant, potest præstare) *aut cogitamus, pro illa vi agente in nobis.* Jud. v. 24. DEVS *potens est servare nos immunes à lapsu.* Rom. 11. 23. *Potens est Deus eos rursus inserere*, adeoque procurare liberam Judeorum conversionem. Rom. 14. 4. *Potest enim eum* DEVS *stabilire*, 1 Joh. 4. 4. *Vos ex* DEO *estis filioli, & vicistis eos, quoniam potentior est qui est in vobis, quam qui est in mundo.* 1 Pet. 1. 5. *Qui virtutis* DEI *præsidio custodimini per fidem ad salutem.* Joh. 10. 29. *Pater meus qui dedit mihi eas* (oves) *major est omnibus, neque rapiet eas quisquam de manu mea.* Nullum firmum spei, fiduciæ, consolationis, patientiæ, aut gratitudinis in DEUM argumentum peti posset ex hisce locis, nisi penes DEUM esset Dominium efficax actus liberi, ita ut possit, non obstante omni vi aut innata potentia creatæ voluntatis, procurare vel existentiam vel non-existentiam omnium actuum liberorum. 2 Cor. 9. 8. Δυνατὸς δὲ ὁ Θεὸς, *Potens autem est Deus effluere at omnis gratia in vos exundet.* Potest efficere ut divitiis, quæ causis contingenter operantibus sæpè eveniunt, vel ut gratiâ hoc est munificentiâ Christianâ, quæ excercitio libertatis fiat, necesse est, abundetis & affluatis. Math. 19. 26. *Apud homines hoc impossibile est; apud Deum autem* πάντα δυνατὰ ἐστιν *omnia possibilia sunt*, Hoc est, DEUS procurare potest ut divites, DEO, non divitiis innitantur, ut sic introeant in regnum cœlorum, quod hominibus libero Arbitrio pollentibus tam est *impossibile quam Camelum per foramen acus transire.* Nehemi. 1. 10. *Est populus quem redemisti, magnâ tuâ potentiâ, & forti manu tua.* *Redemptio* vero hæc per multos actus liberos præstita est, liberè *Moses & Aaron* in *Ægyptum*, ad *Pharaonem* ibant, liberè loquebantur, populus ex Ægypto liberè egressi sunt. *Ægyptii* liberè ipsos in maris rubei alveum prosequuti sunt. Rom 15. 13. *Ut spe abundetis per potentiam Spiritus Sancti.* Rom. 16. 25. *Ei vero, qui potens est vos confirmare juxta Euangelium meum, & gloria*, &c. At vero stante scientiâ mediâ, DEUS antecedenter ad suum decretum liberum, adeoque ad potentiæ suæ liberum excercitium scit multos actus liberos fore, eorumque μελλησιν seu futuritionem cognoscit. Hi ergo actus præcedunt DEI scientiam mediam. Ergo verè futuritionem habent prius naturâ, quam DEUS eam cognoscat intuitu

scientiæ

scientiæ mediæ. Ergo multo magis futuritionem habent, antequam Deus decernat tales actus liberè fore. Nullâ hic itaque Dei providentiâ, emergit resipiscentia *Tyriorum*, si viderint signa, & patientia *Jobi*, si Chaldæi ipsum spoliarint; & *Petri* conversio si sic vel sic vocaretur. Quia nec scientia, nec voluntas Dei libera aliquam causalitatem contribuunt, ad procurandam vel existentiam, vel non existentiam horum actuum liberorum. Respondent subtiliores *DEVM ex infinitis mundis possibilibus, & ex infinitis rerum & circumstantiarum ordinibus, semper hunc vel illum mundum & rerum ordinem reficere. Donec tandem incidat in talem mundum, rerumve ordinem, in quo præscit Tyrios convertendos, si viderint signa, & Jobum patientem fore, si Chaldæi ipsum spoliarint, & tum cum ventum fuerit ad talem ordinem, DEVM determinatè eligere hunc ordinem, repudiatis, ex absoluta sui Dominii libertate, aliis.* Sed occurro sic 1. Revolvat Deus infinitos mundos & rerum ordines, fieri potest ut nunquam incidat in talem ordinem, in quo præsciat *Tyrios convertendos, si viderint signa.* Quia liberum semper est Tyriis non resipiscere, etiamsi viderint millies millena signa, quoniam docent Jesuitæ quod Deus nulla in voluntatem liberam vi omnipotenti uti possit, sed resistibiliter acturus sit. Non habet ergo in hoc casu Deus Dominium in τὸ resipiscere, *Si viderint Tyrii signa*, potius quam in τὸ non resipiscere si viderint miracula. Deus enim non potest præscire id esse futurum, quod nunquam est futurum, at in infinitis mundis possibilibus, semper manet illibata essentia voluntatis liberæ quæ ex adversariis semper & in omni casu potest agere, potest non agere. 2. In hoc etiam casu constaret Deo Dominium in hoc quod eligeret hunc rerum ordinem, repudiatis aliis, postquam hic ordo jam futuritionem haberet, at nullum constat Deo Dominium in τὸ resipiscere, potius quam in τὸ non resipiscere, quia & τὸ resipiscere, & τὸ non resipiscere antecedit Scientiam Dei, ac proinde multo magis antecedit decreta Dei, & potentiam Dei, quæ non operatur nisi prout determinata est per voluntatem. 3. Ille rerum ordo non est necessarius, ut patet, quia sic non posset non esse, est igitur contingens. Ergo revivisci argumentum idem in eum ordinem, an in eum Deus habeat Dominium, quod non habeat sic demonstro. Quia Deus non potest non præscire futuritionem illius ordinis qui de facto futurus est. Nam

Præscientia talis ordinis rerum, quam fingunt Jesuitæ, non salvat Dei dominium in actus liberos quod scientia media funditus evertit.

non

non potest non præscire omne futurum, nullum enim scibile, (at hic ordo est juxta adversarios scibilis) effugere potest infinitam Dei cognitionem, & non potest præscire alios mundos possibiles ut futuros, quia revera nunquam sunt futuri, ligatur itaque hic Dei scientia, at sic multo magis ligatur voluntas Dei, & peribit omne liberum Dei Dominium. Suppono Deum velle eligere ut sit talis determinatus numerus electorum puta 14467. stante indifferentiâ voluntatis creatæ, poterant antecedenter ad Dei decretum, duo saltem non credere, & sic numerus electorum esse tantum 14465. Quia juxtà patronos scientiæ mediæ, quotquot credunt, si sic vel sic vocarentur, credunt antecedenter ad omnem Dei præscientiam, & sic antecedenter ad omnem Dei voluntatem. Non ergo habet Deus actum liberum, ac proinde nullum Dominium circà numerum determinatum electorum; si dicant, *resipiscentiam Tyriorum, si viderint signa*, futuram esse quidem antecedenter ad Dei voluntatem absolutam, non vero antecedenter ad Dei voluntatem hypotheticam. Sed hoc est revera in absurdum gravius incidere. Nam voluntas Dei conditionata non est prior quam est veritas hujus determinata (*Si Tyrii viderint signa, resipiscent.*) Sic enim Dei voluntas alia suppositione quæ prior esset veritate hujus (*Si Tyrii viderint signa, resipiscent*) niteretur, & daretur progressus in infinitum, & non est propositio hęc formaliter hypothetica, ut antea docui, nam nulla hypothesi nititur veritas propositionis. Resipiscentia Tyriorum formaliter hypothetica est, non vero ipsa propositio, neque Dei voluntas circa resipiscentiam Tyriorum.

13. Occurrit sic Fasolus Jesuita. *Deus præscit* (*si Petrus poneretur in tali occasione rerum, negaret Christum*) *sed potest* (inquit) *Deus simpliciter facere ut non neget Christum, auferendo aliquam circumstantiam prævisam v. g timorem mortis, vel addendo aliam v. g. majus lumen in intellectu, aut majorem inclinationem in voluntate ad bonum confessionis, quod si tollere nollet circumstantias, non potest non præscire peccatum esse, sed tamen pendet ejus futuritio à voluntate conditionata, non ab absoluta.* Fasolus in 1. Tho. tom. 2. q. 14. art. 13. dub. 13. punct. 2. sig. 261.

Resp. 1. Non sufficit ad Dei dominium astruendum, quod Deus possit efficere *Petrus* ut non neget Christum, nam poterat Deus Petrum ex hac vitâ evocare *priusquam Christus caperetur, aut Petrus cum Ancilla tentatrice colloqueretur*, sed hoc esset Deum habere dominium

Dominium Dei in actus liberos, pessime adstruitur à Jesuitis.

nium in vitam Petri, non in liberum arbitrium Petri nam ad hoc, ut Deus dominium haberet in liberum arbitrium, liberosque Petri actus, necesse ut Deus, positis omnibus ad agendum requisitis posset procurare ut insit libero arbitrio Petri 1° non negare CHRISTUM, idque liberrime, nempe actuosa permissione, vel 2° non negare CHRISTUM sed sanctè & liberè abstinere ab abnegando CHRISTO, hoc enim modo, juxta adversarios ipse *Petrus* solus, non Deus, dominium habet in suos actus liberos, at certum est juxta *Augustinum*, Deum *majus dominium & potestatem habere in voluntates nostras, quam nosipsi in eosdem habeamus.* Dum ego *Abredoniæ* à Celsa Commissione consinii incarceratione multatus degerem. Vir quidem Doctissimus dominium Dei astrui dixit sufficienter in actus liberos, eo quod Deus quoslibet actus liberos impedire posset, & causari ut nunquam sint in rerum natura tales actus, sed ego, sicut tunc, ita sic respondeo adhuc causari ut tales actus liberi, nunquam sint in rerum natura, vel annihilando voluntatem, ut dixit Grevinchovius, vel hominem è vita hac evocando, vel objectū plane tollendo non esse dominari in liberum arbitrium, aut in actus liberos, qua tales, quia sic forte Deo constat dominium in non-actus liberos, non vero in actus liberos: sic 1. Judas habuit dominium in multos actus, quos elicere poterat in hâc vitâ nisi vitam laqueo sibi finiisset; at aliud & independentius est Dei dominiū in actus liberos. 2. Aliter longè dominatur DEUS in actus liberos nostros, quam in actus liberos infinitorum hominum, quos Deus decrevit nunquam creare, non enim dicimus cum Scripturis; *Deus potest omnes illos homines, quos nunquam creat in rerum natura, efficaciter vocare, eos Christo inserere, eos a lapsu immunes custodire.* At Deus tale dominium habet in liberum arbitrium omnium in Ecclesia visibili viventium. 3. Deum dominari in liberum arbitrium qua tale, est Deum efficere posse, ut etiam positis omnibus ad agendum requisitis, vel sint actus liberi hic & nunc, vel non sint actus liberi hic & nunc. Nam definiunt Juris-consulti dominium, *Propriam cujusque facultatem utendi re in omnes usus lege permissos.* Talis ergo dominatio in actus liberos Deo convenit. 4 Ad *Fasolum* redeo. Neque, secundum tutores scientiæ mediæ potest Deus efficere ut Petrus non negaret CHRISTUM, si in tali occasione poneretur, auferendo circumstantias, quia illæ circumstantiæ, nempe, ingressus

D. Robert. Baronius Profess. Theolo. in Academia Abredonensi.

Petri

Petri in aulam, Ancillæ exploratio, & Petri timor, sunt res merè contingentes ex arbitrio liberrimo Petri & Ancillæ pendentes; ideoque futuritionem ab æterno habuerunt antecedenter ad scientiam mediam, & sic antecedenter ad Dei liberum decretum, at impossibile est DEUM in id dominari, & id efficere ut sit in natura, vel non sit, prout liberè vult, quod futurum erat antecedenter ad liberam ipsius voluntatem; nam impossibile est me habere hodiè dominium in actus meos liberos hesternos. 5. Ille timor vel auferetur salvâ Petri libertate, vel non; Si prius tam possibile est non auferri eum timorem, quam auferri, sic ruit DEI dominium in hoc. Si posterius dicatur, ablato timore, succedere poterat spes lucri, honoris, otii, quæ æque tentaret Petrum ad abnegandum dominum, atque timor mortis, & sic ubi, quæso, DEI dominium? *Et sublato timore mortis, addito majore lumine in intellectu, & majore inclinatione ad bonum confessionis* poterat adhuc Petrus negasse dominum, nam ablatus timor mortis, & majus lumen & inclinatio illa non determinassent voluntatem Petri ad non abnegandum dominum. Ubi ergo adhuc dominium Dei? 6. Falsum *futuritionem peccati pendere à Dei voluntate conditionata, non ab absoluta*, secundum placita Jesuitarum, est; nam, 1. DEUS sic voluntate conditionatâ, vult peccatum fieri, quod Jesuitæ non admitterent. 2. Non dicit DEUS, *Ego volo conditionatâ meâ voluntate ut potius Petrus peccet, quam non peccet, ita ut mihi sit Dominium in τὸ peccare, vel in τὸ non peccare*, nam fingi hic non potest conditio unde pendeat DEI voluntas; nam, quâ, quæso, conditione vult DEUS ut peccet *Petrus*, si tentetur, (quod etiam non dicendum) 1. Quia de connexione inter *Petri* peccatum & tentationem quæstio est, an fiat hæc connexio DEI voluntate, an conditionatâ? At conditionis sic dabitur nova conditio quæ fingi non potest. 2. Ipsa tentatio ancillæ est peccatum, & de eâ redibit alia quæstio. 3. In futuris conditionatis, quæ non sunt peccata, uti est hæc; *Si Chaldæi Jobum spoliabunt, Jobus patiens erit.* Non constabit DEO Dominium in *patientiam Jobi*, vel in *non-patientiam Jobi*, quia connexio inter *Jobi patientiam, & spoliationem activam Chaldæorum*, non est à DEI voluntate dominante in utramvis partem contradictionis, quia sic DEI voluntas causa dominans

esset in *patientiam Jobi*, potius quam *in non patientiam Jobi*, si spoliabitur. At causa dominium habens in actum liberum ut potius sit, quam non sit, est causa æquè ac tam fortiter necessitans antecedente necessitate actum liberum; atque est causa physicè prædeterminans, quod est Jesuitis & Arminianis dogma intolerandum. Suppono *Petrum* præscire per Dei revelationem, se persuasurum *Ioanni* ut Cras disputet, modo *Ioannes* disputare voluerit, nemo diceret *Petrum* dominium habere in *Ioannis* voluntatem, ut potius fiat craftina disputatio, quam non fiat; quoniam nisi *Ioannes* voluerit, omnino non disputabit, qui enim præscit aliquid futurum, non habet dominium in illius rei futuritionem, quoniam eam præscit, nam præscientia non est causa rei: Ergo non est causa dominium habens in rem. Deus autem tantum præscit *Jobum patientem fore si spolietur*, Non vero vult eum patientem fore si spolietur; nulla enim Dei voluntas ad causandam connexionem, ex *Fasolo* requiritur, & connexio hæc prior est omni actu divinæ scientiæ: Ergo multo magis est prior omni actu divinæ voluntatis. Dei ergo voluntas non est causa talium futurorum, Ergo multo minus est causa dominans eorum, aut dominium in talia futura habens.

Remonstr. in script. synod. ar. 1. pag. 258. Conrad. Vorstius de Deo. thes. 7. n. 3. Theophil. Raynaudus Theologiæ naturalis dist. 1. q. 3. art. 1. fig. 52.

14. Dicunt Arminiani *Deum, postquam fœdus gratiæ in Christo, cum omnibus inire dignatus est, & creaturis certas & sapientissimas leges tulit, non posse velle cum hominibus agere pro absoluto suo dominio.* Dicunt ad dominium Dei astruendum satis esse, quod absolutè voluntatem annihilare posset, licet ordinariè, & ex hypothesi decreti non possit voluntatem cohibere, nè libere agat, velit, nolit, eligat, aut actum suspendat. Ideo *Raynaudus* Jesuita sic ait. *Deus non potest peccatum impedire, salvo ordine universi, & munere causæ universalissimæ.*

Deus non potest impedire peccatum secundum Jesuitas. Rom. 11. 23 Rom. 14. 4

Respo. 1. Deum leges creaturis tulisse, secundum immutabilia sua decreta certum, sed est petere principium, si quis dicat, Deum decrevisse hanc esse ratam liberi arbitrii legem naturalem, ut possit sese, quocunque vult, Independenter ab omni dominio Dei, inflectere, quod ne passeribus, aut pilis capitum, conceditur: nam ordinariè absolute, *potest Judæos convertere, labentes electos stabilire, confirmare, à lapsu immunes custodire is qui omnia potest, & corda regum, quocunque vult, inflectit*, non absolutâ potentia & extraor-

extraordinariâ, sed secundum consilium suæ voluntatis & ratam fixamque legem, quâ electos ad gloriam perducit, hæc facit, At vero alios convertere potest, eâdem potentia, nisi aliter apud eum ratum decretumque ab æterno fuisset. 2. Secundum adversarios, ne quidem absolutâ potentiâ potest procurare actum liberum Petri, si Petrus reluctetur, nam DEUM dominium determinativum consensus liberi habere, est illis contradictio. 3. Si DEUS dominatur in ens qua ens, etiam habet dominium in hoc ens, in hunc, vel illum actum liberum, DEUS enim suppositâ existentiâ liberæ voluntatis Medorum Jurat, ratione ductâ ab invicto suo dominio & decreto, cui resisti non potest, se effecturum ut Medi Babylonios vastent. Suppositâ existentiâ voluntatis liberæ Judæorum Paulus ait *Deum potentem esse Judæos inserere*, & experientiâ constat DEUM posse Judæos non inserere, CHRISTO; nam adhuc obdurati manent. 4. Volunt sacra oracula nos confidentiam & spem collocare in eâ DEI potentiâ, quâ potest nos fulcire & voluntates ad bene & supernaturaliter velle stabilire, & à lapsu custodire usque in diem illustris adventus D. N. I. C. at consolationis nullum esset fulcrum, si DEUS hoc non posset, nisi annihilando voluntatem nostram: at totum solatium est quod penes DEUM sit vò sanctum velle ad adventum usque CHRISTI procurare, & quod non sit penes voluntatem creatam vò nolle perseverare procurare; at quid consolationis, fiduciæ, spei aut gaudii in hac DEI potentiâ nobis reliquum foret, si verum est quod Jesuita Raynaudus ait *Deum non posse impedire peccatum* adeoque finalem omnium sanctorum Apostasiam, *salvo ordine universi & causa universalissima?* at potestne sic fides nostra consistere? Quoties, oro, *ne Domine me in tentationem inducas, ne sinas me aberrare à præceptis tuis*, toties dico, *Oro, Domine ut invertas ordinem universi & relinquas munus & officium tuum quo fungeris, ut causa omnium prima, Oro, mi Deus, ut annihiles voluntatem, Oro ut impedias me peccare, sed liberè abstinere largiaris, quod tamen tibi, O Deus, impossibile.*

Rom. 19. 24
Jud. 24
Prov. 21. 1
Eph. 1. 11

Esai. 14. v. 27.
Rom. 11. 23

Ruiz. in 1. Tho. de scientia Dei disp. 49. sect. 2. Thomas de potent. q. 7. art. 10 ad 4.

15. *Did. Ruiz.* ibi sic objicit, & respondet. *Definitur dominium propria cujusque facultas utendi re in omnes usus lege permissos, Quoniam igitur Deus est verus Dominus omnium causarum secundarum, utitur illis, quando, & quomodo vult, hoc autem non potest facere nisi Physicè prædeterminet voluntatem ad suos actus, Respondeo* (inquit Ruiz.)

Didaci. Ruiz confusio qua Deo concedit dominium absolute in voluntatem creatam secundum τὸ esse, sed secundum τὸ operari id planè aufert.

Ruiz.) *Deus, ideo habet absolutum & independens dominium, quia potest dominium aliud secundarium in voluntatem creatam transferre, quod ligaretur prædeterminatione Physicâ, & ideo ligaretur plenitudo dominii Dei, si non posset hoc transferre, non enim est perfectus fundi Dominus qui non possit dominium ejus & usum alteri personæ concedere.* Resp. 1. Non est Dominus vel absolutus vel justus, qui alteri majus dominium concedit, quam ipse aut habet, aut habere potest, nisi cum palpabili contradictione, Deus ergo non habet absolutum dominium in actus liberos; sed creata voluntas, juxta Jesuito-Arminianos tale habet dominium. Probatur antecedens: quia in nullo casu, sine apertâ contradictione, Deus tale dominium habet in actus liberos, ut penes Deum potius sit τὸ velle, seu electio & consensus humanæ voluntatis, quam ejusdem τὸ nolle, seu repudiatio & dissensus: sic enim ex adversariis, voluntas esset libera & non libera, sic enim tam stricte & præcise Deus efficeret τὸ velle, potius quam τὸ nolle, aut contra, quam si Deus Physicè prædeterminaret voluntatem liberam ad actum liberum, quod adversariis plane contradictorium est. Quamvis enim penes Deum sit ut nulli essent in rerum naturâ actus liberi, quod factum fuisset, si Deus nec *Homines* nec *Angelos* creasset, quo in casu, nec Deus, nec creaturæ rationales, actuale dominium habuissent in nolle vel velle, tamen sic Deus dominium habuisset in voluntates secundum τὸ esse, non vero in voluntates, qua sunt principia actionum liberarum & secundum τὸ operari. Nam dominari in actum liberum, is dicitur primariò & independenter, independentiâ liberi dominii in actus, penes quem est, ut potius sit velle, vel eligere, quam nolle & repudiare, At tale dominium, ex adversariis convenit creatæ voluntati, non Deo, nisi cum aperta contradictione. Deus ergo non potest creaturæ rationali dominium concedere, quod ipse non habet, imo quod ipsum habere involvit contradictionem. Hoc vero injustitiam in Deo (absint blasphemiæ) argueret, haud aliter, quam si is qui plenus fundi Dominus ipse non est, utpote qui Jure fundum vendere, aut alienare, non posset, si alteri personæ fundum cum potestate fundum vendendi & alienandi concederet; injustus enim est, qui alteri dat, id cujus ipse possessor est iniquus. Notum est autem omnibus dominium Dei hic secundarium esse & dependens, & creatæ voluntatis esse primarium, absolutum & independens

independens, juxta adversarios; nam illis hæc est valida consequentia, *Sabæi hoc voluit, ergo existit actus liber odio prosequendi Iobum, sive Deus vellet, sive nollet.* Hæc vero consequentia est mala, *Deus vult ut Sabæi diligant, Ergo Sabæi diligunt Jobum.* 2. Non stat cum absoluto Dei Dominio, conferre alteri Dominium quo possit aliquid fieri simpliciter Deo invito, at tale Dominium, ex adversariis, Deus dat alteri, puta agentibus liberis. At Deus non potest, ne per omnipotentiam suam efficere ut *Sabæi Iobum libere diligant, & libere odio non insectentur ipsum*, supposito hoc, quod creaverit Sabæos liberos qui Jobo diviti vicini cohabitent. 3. Est absolutior fundi Dominus, qui ejus Dominium & usum, ita alteri concedere potest, ut semper sit penes concedentem, actualis usus fundi hoc vel illo modo; quam is est, qui dat alteri fundum cum absoluta libertate utendi fundo in eam partem, qualem ipse concedens detestatur, & non vult fieri, & tamen impedire minimè potest. Rectius Jesuita *Ioannes de Iugo. Deus non esset essentialiter & perfectè Dominus, si abdicaret Dominium alicujus nostræ operationis, ex promisso vel pacto, nam ejus dominium est creaturæ incommunicabile.* Similitudo etiam in hoc claudicat, quod majus & absolutius sit Dei Dominium in omne ens, (cum omne ens creatum sit ens per dependentiam & liberam primi entis concessionem & benignitatem) Ideoque in τὸ velle, potius quam in τὸ non velle; quam est alicujus creati Domini in fundum. Non enim potest Deus quando vult juxta hanc opinionem procurare τὸ velle potius quam τὸ nolle. Et quale hoc Dominium?

Joan. de Iugo de myster. incarnationis disp. 3. sect. 2.

16. Replicat Ruiz. ib. *Si Dominium strictè sumitur, sequitur tantum, quod Deus quando, & quomodo voluerit, posset causas secundas applicare ad suas operationes, iisque uti, sed qui potest uti, potest non uti, ut* Arist. 3. Eth. c. 5. *Ideoque propter illam facultatem utendi, potest Deus non uti, neque applicare ad suas operationes, sed tantum permittere. Confirmatur.* 1. *Quia facultas utendi voluntate per prædeterminationem Physicam, non esset dominium, sed servitus, & foret per necessitatem alligatus ad utendum.* 2. *Diminutum esset Dominium, si non posset permittere, ut creatura velit & faciat, quæ Deum decet nec velle, nec facere.* 3. *Sicut est perfectior sapientia permittere prævas actiones, ita est perfectius dominium.*

Respondeo. 1. Si sic dominium definiatur, tum Deo non convenit

venit strictum dominium in actus liberos, sed convenit rectè voluntati creatæ, ex Jesuitis. Non enim potest Deus procurare in Sabæorum voluntate τὸ nolle odisse *Jobum*, aut τὸ velle diligere Jobum; Nam positis omnibus, ex parte Dei, ad agendum requisitis, potest fieri ut *Sabæi* diligant Jobum, etsi Deus odium ipsorum ut Jobo quid pœnale & castigativum inferre decreverit: Et fieri potest ut Sabæi ipsum odio prosequantur, quamvis Deus ipsorum gratiam & amorem, ei juxta promissum *Proverb* c. 3. v. 4. maxime conciliare vellet, ideoque Sabæis, non Deo hic constabit dominium in actus. 2. Falsum est juxta Jesuito-Arminianos. *Deum posse non uti voluntate liberâ, quia potest uti, ex Aristotele.* Nam non potest Deus non uti voluntate nullâ Sabæorum in Jobo castigando, quia positâ omni Dei volitione & actione, Deo simpliciter nolente, secundum Adversarios, *Sabæi* Jobum odio prosequuntur. 3. Stante permissione Jesuticâ, qua solvitur Deus ab applicatione voluntatis ad velle, potius quam nolle, Deus non potest habere dominium in actum liberum, ideoque hoc, *potest non uti*, idem est, ac si diceret, non habet utendi potestatem, ac proinde nec dominium. 4. Facultas utendi voluntate creatâ in Deo, ex nostrâ sententiâ, nullo modo coarctatur aut ligatur per prædeterminationem physicam, sed liberrimè Deus prædeterminat voluntatem liberè agentem. Nulla itaque hic *servitus Dei aut necessitatio est.* 5. Neque *diminutum esset Dei dominium*, Si posset τὸ nolle potius, quam velle, aut τὸ velle potius, quam τὸ nolle procurare in bonis actibus. Quæstio enim est de Dei dominio in bonos actus, (quod per sententiam Jesuito-Arminianam planè tollitur) æquè ac dominio Dei in actus malos, neque negamus Deum permittere malos actus, ita tamen permittit eos, ut constet Deo dominium in τὸ peccare, potius quam in τὸ non peccare, quippe pœnale sæpe est peccatum in obstinatis; at supremo Judici in omnes actus pœnales, & pœnas creaturæ devianti infligendas constat dominium absolutum. 6. Permittere pravas actiones, permissione non Jesuitico-Arminianâ, qua voluntas solvitur a Dei Dominio, quod habet in pœnam peccatori infligendam, sed permissione dominio providentiæ consonâ, est Dei sapientiâ dignissimum.

Did. Ruiz. numerum actionum contingentium Dei dominio providentiali subducit.

17. Objicit sibi, & respondet Ruiz. *At dominium omne Dei excludit, quod penes Deum non sint plures, vel pauciores volitiones dæmonum,*

num, ac hominum, quam dæmones & homines volunt, non verò quam Deus vult, & decernit. Respondet *Ruiz. voluntas dæmonis & hominum per materialem actionem peccati, quoddammodo seipsum subducit a Dominio & usu Dei, quia non ità perfectè subjicitur Deo, & subjiciuntur actiones honestæ, sed ad dominium sufficit permissio, concursus indifferens & punitio malæ actionis.*

Respondeo 1. Argumentum hoc æquè militat contra adversarios, de dominio DEI in omnes actus liberos bonos & malos, Jesuita respondet tantum ad dominium DEI in actus malos: nam si DEUS non ita dominatur in omnes actus liberos, ut penes DEUM sit potius τὸ eligere, quam τὸ repudiare, tum à DEI providentiâ non est certus numerus volitionum humanarum ac Angelicarum, nec certus numerus, per eandem rationem, Electorum & Reproborum, sive hominum, sive Angelorum. Hoc blasphemum est in providentiam DEI; nam numerus guttarum oceani & pluviarum, & mitarum omnium terrarum littoribus arenarum, foliorum arborum, stellarum in Cœlis, pilorum hominum, & bestiarum, herbarum, muscarum, & omnium entium juxta individua determinatus est à DEI providentiali decreto, prædefinitus, nisi particularem DEI providentiam negare velimus. 2. Omne ens positivum qua tale ex æquo subjicitur Dominio DEI. Ergo etiam actio materialis odii DEI in dæmonibus & hominibus eidem subjicitur. 3. Quam frigida est hæc providentia; quod non obstante DEI providentia & dominio quod in spiritus tenebrarum, non minus quam in rabidos leones obtinet DEUS, Possunt tamen dæmones tot malos actus impiarum volitionum elicere, quot ipsis, non quot Deo placet, elicere? 4. Nec ulla est ratio cur actus imperati, non minus, quam eliciti dæmonum, effugiant Dei Dominium; nam tam imperati actus dæmonum, quam eliciti, sunt impii, diabolici, & dominio sanctæ Dei legis æternæ adversi; Diaboli igitur tantum sævire in homines, in *Ecclesiam Dei*, in pastores possunt, quantum ipsis placuerit; nam ratio queritur cur Diabolis & Reprobis, non æquè liberum erit, non obstante dominio providentiæ divinæ, mala in *Ecclesiam Dei* perpetrare, atqui integrum est illis, mala animo intendere, moliri, machinari; nam omnes actus creaturarum ex æquo dominio providentiæ subjiciuntur. 5. *Voluntas quidem dæmonum ac hominum per materialem actionem peccati subducit se à Dominio*

Omnes actus voluntatis tam eliciti, quam imperati, Dei Dominio æque subjiciuntur.

Voluntas à Dominio Dei morali, nullo modo à Physico & Energetico providentiæ Dominio se subducere potest.

minio Dei morali, quod convenit Deo qua Legislator, Dominium morale habens in dæmones & homines, per interdictum legis, sed de tali dominio non est quæstio nostra: Sed nulla peccantium voluntas subducit se *à dominio Dei* physico, & energetico, quod convenit Deo, qua est universalis mundi administrator; nam Deus dominium tale habet in omnes actus materiales peccati, & hoc negare est tantum petere id quod est in quæstione. 6. Dominium non consistit in permissione peccati, quia eorum permissio est non-actio, non-usus, & non dominium in voluntatem, at ridiculum est dominium consistere in non-dominio. 7. Nec dominium Dei consistit in generali concursu Jesuitico, quoniam prius naturâ voluntas dæmonum & hominum influit, adeoque dominatur in actum liberum, aut in non-actum liberum, quam Deus tali concursu indifferenti & à causâ liberâ determinabili potius ad velle, quam ad nolle influat; cum itaque penes voluntatem creatam sit ut Deus concurrat potius quam non concurrat, & ut Deus concurrat ad velle bonum, potius quam ad nolle bonum, aut contra, Voluntas creata dominatur sic in Dei concursum, potius quam in non-concursum, & in actum liberum, potius quam in non-actum; Dei itaque concursui nullum dominium convenit, neque sanus quisquam dixerit Deum, in dominio, quod habet in concurrendo cum prava voluntate dæmonum & damnatorum, intendere ut dæmones & damnati Deo potius obediant, quam non-obediant, uti fert natura dominii. 8. Punitio pravæ actionis est dominium in pœnam actionis malæ jam actu existentis, non vero dominium in ipsam actionem, ad causandam existentiam actionis, potius quam ad causandam non-existentiam actionis. Receditur igitur à quæstione, nec ullum dominium Deo relinquitur in determinatum numerum actionum dæmonum & hominum, aut Angelorum bonorum.

Did. Ruiz. in 1. p. Thō. disp. 67. sect 4. fig. 3.

Hypotheses libere Jesuitarum nec per Omnipotentiam anteverti aut impedire possunt.

18. *Absurdum quidem est* (inquit Ruiz) *si aliquid creatum absolutè existat, & non subsit liberæ potestati Dei. Cæterum conditionaliter & sub aliquâ præscissione seu formalitate, non esse sub liberâ potestate Dei, ex suppositione, quod Deus liberè ita voluerit agere cum voluntate, ut eam suæ libertati relinquere voluerit, non est absurdum.* —— *Sicut non est absurdum quod Deus non posset efficere, quod Petrus non esset absolutè hoc voliturus, hoc supposito, quod Deus decreverit dare ei tales congruas cogitationes.* Respondeo 1. Nullo modo est par ratio

eorum

eorum quæ sunt necessaria ex hypothesi decreti divini (hæc enim absolutè Deus potuit impedisse, quo minus existerent) & contingentium futurorum Jesuiticorum, quæ in sua futuritione antevertunt omnem Dei scientiam & liberum decretum; nam non potest Deus vel suâ omnipotentiâ impedire, quo minùs futura sint, quæ futura erant ante omne ipsius decretum. Nam futurum non esse futurum implicat contradictionem. 2. Jesuita dat manus & arma. Ergo suppositâ existentiâ libertatis hominum, nôn potest Deus Judæos, citius, aut ocyus convertere, nec plures covertere, & ad diem adventus Christi stabilire, quam de facto convertit & stabilit, imo si libere resistere volunt omnes Electi Deo vocanti, uti liberè possunt, impossibile erit Deo, quantum potest facienti, ipsos convertere. 3. Hæc hypothesis congruæ motionis, sub qua actus liberi non subsunt liberæ Dei potestati, est planè ridicula. Nam hypothesis est, quod *Petrus* hoc liberè volturus sit ante omne Dei decretum, in quo casu non potest Deus efficere ut Petrus non sit hoc volturus, & quid mirum? nam involvit contradictionem Deum efficere ut hic actus liber non sit futurus, ex hypothesi, quod sit futurus. Atqui est futurus antecedenter ad omne Dei decretum, nec potest Deus tales hypotheseis liberas quę futuritionem habent antecedenter ad Dei decretum omnemque suæ voluntatis actum, vel per omnem omnipotentiam impedire, ex placitis Adversariorum.

19. *Si voluntas Physicè prædeterminetur à Deo, tum voluntas libera non habet dominium sui actus, nam (Juridici dicunt) dominium est jus perfectè disponendi de re corporali nisi lege prohibeatur. —— Nemo diceret eum habere dominium pecuniæ, cui talis esset relatio ad pecuniam, ut ex intrinsecâ sua quidditate postularet semper, non alio modo disponere de pecuniis, nisi quod, & sicut dominus ejus præscripserit, sic hæres & uxor res suas in dominio non habent, quia absque tutoris & mariti consensu disponere non possunt res suas, ita Ruiz.* Resp. 1. Hoc argumentum in adversarium retorqueri potest. Nam si voluntas creata tale habeat dominium, ut possit disponere de actu vel non actu, sicut is qui tutori non subest, potest res suas absque tutoris consensu disponere, negari non potest, quin Deo in actus dominium longe majus & potentius conveniat, quam ipsi voluntati liberæ, atqui Deo tale dominium in actus liberos non convenit, secundum

Ruiz. in 1. Thō. disp. 52. sect. 9. sig. 1. & sig. 11.

Jesuitæ ferventius pro creaturæ misellæ quam pro Absoluti & Independentis Domini Dei nostri dominio contendunt.

dogmata adversariorum. Non enim Deus est Dominus actuum aut non-actuum liberorum, ita ut possit actus vel non-actus procurare, prout ipsi placet, eodem modo quo uxor, absque mariti consensu, non potest res suas disponere. Necesse est itaque adversarii vel Deo, vel voluntati creatæ dominium actus adimant. At rectius *Hugo Cardinalis*. *Cor regis in manu Dei, sicut virga in manu pastoris, sicut calamus in manu scriptoris, vel sicut remigium in manu gubernatoris*, & *Augustinus* hic respondeat. *Ergone ita liberi esse volunt, ut nec Deum habere velint dominum? Imo immemores* sunt (inquit. *Gul. Gibieuf*) *nos esse creaturas principio, & fini obnoxias.* At habet Deus dominium in ventos, ut potius versus hanc, quam versus illam mundi plagam afflent. NUM. 11. 31. EXOD. 14. 21. JON. 1. 4. dirigit Deus suo dominio avium volatus, huc, potius, quam illuc. JOB. 39. 26, 27. At si habet Deus dominium in operationes unius creaturæ, etiam habet in omnes creaturas. 2. Recte *Bradward.* *Voluntas* (inquit) *habet dominium sui actus, sed per hoc non excluditur superior potestas*, & Jurisconsulti negant *dominium ejusdem rei posse esse in solidum penes duos; quia voluntas utendi eadem re, in uno, potest repugnare voluntati utendi eadem, in alio.* At dominia subordinata, uti Regis, & legati, possunt esse penes duos; neque tale est voluntatis creatæ dominium, quale est hæredum & uxorum, hi enim sæpe aliter vellent disponere res suas, quam de facto disponunt, si liceret per tutores & maritum qui imperio ipsos cohibent: At prædeterminatio physica non ligat aut cohibet voluntatem, aut aliorsum impellit, quam ipsa vult, sed voluntatem, sese suo libero exercitio ligantem, & moventem, connaturali ductu movet in illud ipsum in quod ipsa sese agit & determinat: At quoniam penes Petrum est τὸ velle, potius quam τὸ nolle, non penes Deum; Jesuitæ hic Deum hæredem & uxorem faciunt & voluntatem creatam dominio tutoris & mariti ornant, at cur non pro Dei Dominio Independenti sed miserellæ creaturæ contenderent sophistæ?

Hugo Cardina. in illud prover. 21. cor regis in manu Dei. Augusti. de spiri. & lite. c. 31. Gul. Gibieuf. D. Sorbonicus de lib. Dei & creat. lib. 1. c. 1. Bradward. de caus. Dei l. 2. q. 28. Jurisconsult.

Lodo. à Dola decó. curs. Dei part. 4. c. 12. s. 7. Ruiz. in 1. Tho. de scient. Dei disp. 49. sect. 2.

20. Secundo loco pro dominio Dei Jesuitico pugnat *Lodovicus à Dola*: quod & attingit *Ruiz.* *Dominium definitur à Boetio, potestas qua servus coërcetur, satis est itaque ad dominium, quod Deus posset coërcere voluntatem, vel impediendo ne peccet, vel ne turpius peccet, vel ne tali loco, tempore, & in tales personas peccet.* *Potest Deus* (inquit

(inquit à Dola) *qualitatem incompossibilem cum actione & stupefactivam virtutis agendi ponere in voluntate, qualis est in pisce Remorâ retardante navim.* R. Dominium tantum pœnale, non liberum dominium à Boætio definitur. 2. Fac Deum, secundum Adversarium, posse efficere ut *Judas* nollet prodere dominum, si sancto tamen fine, & ex conscientiâ in Deum non abstineat à proditione, (quod absque actione gratiosâ Sancti Spiritus fieri non potest) DEUS non dominatur in peccatum formaliter, adde quod dominium est in procuratione & usu rei, non minus, quam in impeditione rei. 3. Ingenue & convenienter placitis Jesuiticis fallus est *Raynaudus, Deum non posse impedire peccatum, salvo ordine universi, & movere causæ universalissimæ.* Nam positâ omni DEI actione, si tentetur Judas, DEUS non potest efficere ut non consentiat traditioni Salvatoris. 3. Si DEUS non potest (uti ex doctrina adversariorum non potest) impedire peccatum simpliciter, nec potest impedire peccatum ut 6. aut 8. nam est par ratio utrobique. 4. Vis stupefactiva virtutis agendi in voluntate tolleret libertatem, & sic DEUS non procuraret sanctam & laudabilem abstinentiam à peccato; & non dominaretur in actum liberum quâ talem. At petimus in oratione (*ne nos inducas in tentationem*) ut DEUS procuret liberam, sanctam & laudabilem abstinentiam à peccato pro suo gratioso, in voluntatem, dominio. *At impedire posset actionem causæ* (inquit à Dola) *non conferendo illi virtutem qua se determinare posset ad singularitatem & individuationem actus, quia si non posset determinare seipsam, nullam actionem de facto produceret.* Ref. 1. At si DEUS auferret voluntati *virtutem qua se determinare posset*, auferret libertatem & abstinentia sic non esset laudabilis, sed non transgressio legis violenta. 2. Sic DEUS annihilaret voluntatem, & receditur à quæstione. *Potest* (inquit) *actionem impedire apponendo, vel augendo resistentiam in subjecto passo.* Respondeo, Ea resistentia non tolleret libertatem, & sic non efficaciter impediret peccatum, si vero tolleret libertatem ubi, quæso, est dominium DEI in voluntatem qua libera est? 2. Non potest DEUS augere propensionem ad peccandum, nisi esset author peccati. *Potest* (inquit) *impedire actionem creaturæ, si dicamus creaturas in agendo pendere à permissione divinâ, ut à conditione necessariò requisitâ, sicut combustio pendet ab approximatione ligni, poterit Deus impedire ne agant causæ,*

A Dol. par. 4. c. 19. §. 7.

Efugia Lodevici a Dola etiam exsolentis creaturæ de primentis Creatoris dominium overtuntur.

Actio libera non pendet à permissione Dei secundum Adversarios.

nihil agendo in ipsas causas neque in passum, sed solum nolendo ne causæ operentur. Resp. 1. Permissio, ex adversariis, est nuda non-actio, at impossibile est ex nuda non actione qua tali impediri actionem ad agendum propendentis. 2. Sit permissio conditio operandi requisita, posità permissione, potest voluntas agere vel non-agere, alioqui DEUS erit author peccati, ex adversariis, vel si potest voluntas non agere, posità permissione, posset DEUS punire peccatorem permissione, & peccator non puniri, quod absurdum, sic enim possibile esset peccatorem pœnam à supremo judice inflictam effugere. Nec sic DEUS haberet dominium in actus, impeditivum peccati, quale esset peccatori fundamentum fidei, orationis & gratitudinis in DEUM, nam si DEUS negaret conditionem, necessario requisitam ad operandum, abstinentia esset violenta, & nec sancta nec laudabilis, nec tale beneficium quod credimus, & oramus quoties dicimus. *Ne nos inducas in tentationem.* *Deus* (inquit Lodiv. à Dola. ib.) *determinat voluntatem per illustrationes, suaves inspirationes, relictâ semper voluntate resistendi, Deo absolutè volenti salvare, nullum resistit arbitrium, ipse enim potest relictâ nobis facultate resistendi, voluntatem tamen resistendi auferre, poterit nos, ad se, quam citò voluerit, pertrahere, & quamcunque idoneam dispositionem in nobis etiam nolentibus excitare, & nos ab una dispositione in aliam congruentiorem deducere, & dispositionem relinquendo, consensum ad quodlibet pium opus à nobis elicere, sive interventu subitæ cogitationis in intellectu, & sancti motus in voluntate, sive per habitum infusionem, sive per victricem delectationem.* Res. 1. Si adversarii concederent nobis determinationem, quâ DEUS indeclinabiliter voluntatem, quocunque ipse vult, inflecteret, dominium aliud non peteremus, sed sic libertas Jesuitico-Arminiana quæ semper in æquilibrio ad velle & nolle stat, corrueret, quod non fert Lodo. à Dola. 2. DEUM determinare voluntatem, relictâ facultate, in sensu diviso, resistendi, non int adversarii decantatissimum esse apud nos, axioma, sed Jesuitarum & *Lodovici* longe alia est mens. 3. Dispositiones nullæ, habitus nulli, inspirationes nullæ, delectatio denique victrix nulla determinant voluntatem, semper stat sub omnibus motionibus intellectus & voluntatis indifferentia agendi vel non agendi secundum adversarios.

Lod. à Dola par. 4. de concurs. c. 2 s. 9.

Deus voluntatem liberam per nullas dispositiones determinat secundum Adversarios.

21. Tertio loco *Theop. Raynaud.* dominium DEI sic salvat. *Per-*

facile

facile (inquit) *est Deo immittere depromptam è thesauris suæ sapientiæ piam cogitationem, quæ obdurato sapiat, licet ei desit sæpe talis vocatio in pœnam.* —— *Et si deesset Deo talis vocatio, possit per se, vel per Angelum mutare dispositiones & complexiones, ita ut redderetur aptus, qui moveretur.* Respondeo 1. At præscitur (ex te Jesuita) à DEO, intuitu scientiæ mediæ obduratum finaliter DEO repugnaturum in thesauro suæ sapientiæ: nam thesauri scientiæ supponunt obduratum, prius naturâ nolle obedire, si vocetur vocationibus infinitis possibilibus: nam est par natura & essentia libertatis sub omnibus vocationibus. (Nullæ enim vocationes tollunt indifferentiam voluntatis; nam sic everterent libertatem Jesuiticam.) Hi ergo thesauri vacui sunt. 2. Impossibile est obdurato, cui nondum infunditur principium vitæ spiritualis, sapere piam cogitationem ad conversionem, efficaciter validam. 3. Si desit obdurato talis vocatio ad pœnam, impossibilis est vocatio: nam effugere pœnam quam DEUS infligit, impossibile est creaturæ. 4. Esto *saperet obdurato talis cogitatio, & obduratus, aptus redderetur, qui moveretur.* Non sequitur salvari DEI dominium, quia caro suggeret rationem quæ illum saporem excuteret, nec aptitudo sufficit: quia ex Jesuitis, multi apti sunt ad conversionem, qui nunquam convertuntur. 4. Dispositio aut complexio non efficaciter movent voluntatem: *Pelagianum est* complexiones (quæ naturæ individualis dispositiones sunt & temperamenta naturalia) influentiam per se habere in opus supernaturale conversionis.

The. Raynaudi effugium de immissis aptis dispositionibus ad voluntatem flectendam, tollitur.

Raynaud. in discussione novæ liberta. par. 2. c. 3. fig. 39

22 *Hominem habere dominium* (inquit Raynaudus) *suarum actionum, non est præcisè habere illarum possessionem tanquam suarum, sic enim esset Dominus actionum vegetativarum, quod absurdum, neque est habere jus morale à domino ad illas exercendas, sic enim homo esset dominus vitiosæ suæ actionis, nec est sponte agere, quia sic pueri & amentes essent domini suarum actionum. Restat ergo ut dominium sit posse elicere actum, vel omittere.* Respondeo. DEUS ergo sic non habet dominium in nostros actus, quia non potest producere actum liberum in nobis, vel *omittere, nisi turbetur* (ut tu ais) *ordo universi & munus causæ universalissimæ* Hinc diaboli non peccant: contrarium cujus asserit CHRISTUS, *Joan.* c. 8. 44. & 1 *Joan* 3. 8. Nam permissi à Deo tentare non possunt, non ad homicidia, veneficia & talia tentare. Nam ib. dicis, *Si quis omitteret actum, quia non potest*

Raynaud. disciplinæ moralis disp. 2. q. 4.

Raynaudi dominium quod Deo tribuit in actus liberos refutatur.

teſt agere defectu alicujus ad operandum requiſiti, certum eſt deſore dominium. Aſſumo. Atqui Deo deeſt determinatio noſtræ voluntatis, ſine quâ antecedenter ad ſuam influentiam requiſitâ, non poteſt Deus producere in nobis actum bonum, ex Jeſuitis. Deus ergo non habet dominium in noſtros actus bonos. Major eſt Jeſuitæ. Aſſumptio eſt eorum doctrina, qui docent Deum concurrere cum voluntate ad omnes noſtros actus, ſi nos velimus, At negant, ideo nos velle, quia Deus ad velle noſtrum concurrit. Nec *Satanæ* eſt dominium in τὸ peccare & non peccare, quoniam deeſt ei gratia efficax, ſine qua non poteſt non peccare. Idem dico de finaliter obdurato peccante, & de eo qui peccat, poſtquam jam in Spiritum Sanctum peccavit. 2. Ego do quintum ab hiſce diſtinctum: hominem eſſe dominum ſuorum actuum, eſt hominem poſſe velle, vel nolle, dependenter à Dei decreto & prædeterminatione.

23 Quarto. Dominium hoc adſtruere, ſeu potius diluere conatur *Ægidius Coninck.* Objicimus enim nos, ſi auferatur dominium Dei in actus liberos, tum voluntas creata erit primum principium ſuæ determinationis, At Coninck. reſpondet, *ut aliquid dicatur ſimpliciter, & ſine addito primum principium, requiritur ut a nullo alio factum ſit, quare voluntas erit primum principium impropriè, quia a Deo facta eſt.* Reſpondeo 1. Sed hoc argumento non contendimus voluntatem creatam eſſe primum ens ſimpliciter, ſed per conſequentiam, hoc eſt, volumus voluntati creatæ hoc argumento convenire proprietatem incommunicabilem primi entis. Non quod ſit ſimpliciter primum, ſed quod ſit primum operans, quod primo enti ſoli convenit, quia prius naturâ operatur, quam Deus, aut providentia Dei: nec juvat, quod ait *Raynaud. Actiones liberas Deo ſubjici, quia Deus poteſt illis cooperationem ſuam negare, ſalva earum entitate, & virtute activâ*, quia ſic. 1. *Petrus* non peccaret non obediendo vocationi Dei, quia actus impoſſibilis, utpote carens influxu Dei indiſpenſabiliter requiſito ad actum creaturæ, ei præcipitur. 2. Falſo docent *Jeſuitæ* ad libertatem creaturæ pertinere, quod habeat in ſua poteſtate Dei concurſum: at ſi Deus concurſum, pro ſuo dominio, negare poteſt, non habet creatura concurſum Dei in ſuâ poteſtate.

24. Quinto, contra dominium Dei in actus liberos ſic diſputat *Hyeronim. Caſolus. liberum arbitrium* (inquit) *habet dominium dependenter à primâ cauſâ, non quidem prædeterminante, ſed creante, conſervante virtutem*

Ægid. Coninck. tom. de acti ſupernatur. lib. 1. diſp. 1 dub. 3. fig. 42.

Effugium Ægidii Coninck de dominio Dei in voluntatem liberam explodituv.

Faſol. in 1. Thom. 4. 14 art. 13. dub. 11. fig. 156, 157.

tem dante, & cooperante. Et postea, *Causa libera ita hoc facit, ut possit oppositum facere, sed ita hoc facit, ut ratio cur hoc velit voluntas, hunc actum, potius quam illum, non sit, quia Deus velit, sed contra potius. Hæc determinatio* (inquit) *ut est positiva quædam & realis actio, pendet intrinsecè a Deo, & multo plus quam a creaturâ: at vero ut est libera & formaliter determinatio, pendet a solâ causâ secundâ liberâ, quia hoc verè est nihil positivum & reale, sed solum quædam extrinseca connotatio causæ secundæ, qua est immediata & proxima ratio cur Deus cum tali causâ secundâ liberâ concurrat ad unum determinatum, non ad oppositum effectum sicut enim ipsa natura determinata ignis est ratio cur prima causa cum igne concurrat ad calorem, non ad frigus, ita ipsa voluntatis natura indeterminata ac libera est ratio cur Deus concurrat cum creata voluntate ad unum oppositum, non ad aliud.* Respondeo 1. Quod Deus creet, conserver, virtutem det voluntati, & cum ea cooperetur, probat Dei quidem aliquod Dominium in voluntatem quoad τὸ esse, quod non est in quæstione, sed non probat Dei dominium in voluntatem, quoad τὸ operari, secundum quod vult, & non vult. Quod quæritur. 2. Si ipsa *natura libera voluntatis sit ratio cur Deus concurrat cum creatâ voluntate ad unum oppositum, non ad aliud. Non vero ipse Deus, aut Dei gratia sit ratio,* Tum natura libera voluntatis creatæ proxima est ratio, non Deus aut Dei gratia, cur Petrus respondeat potius Deo vocanti, quam non respondeat, sed contumacitet reluctetur; itaque conversus in solâ libertatis naturâ, non in Domino gloriatur, nec Deo ejusque gratiæ, sed naturæ suæ libertatis indeterminatæ debet laudem & gloriam suæ conversionis, potius quam non conversionis, & ipsa natura libertatis, non Dei gratia erit causa separatrix & discriminans conversum hominem à non converso, quo nihil olim *Pelagius*, nihil hodie crassius docet *Socinus* 3. Homo itaque convertitur, potius quam non convertitur, non quia Deus vult, sed quoniam ipsa voluntas vult. Ergo nullum habet Deus dominium in conversionem Petri, potius quam in non-conversionem. 4. Absurdum est determinationem, *ut est actio positiva & realis, magis intrinsicè a Deo pendere, quam à creatura & ut est libera pendere à solâ naturâ liberâ voluntatis*; Nam si actio pendet à Deo plus quam à creaturâ, Ergo hæc vel illa actio, qua hæc actio est, puta qua libera est, pendebit plus multo à Deo, quam à naturâ voluntatis; nam quod convenit generi ἢ αὐτὸ, necesse

Ib. dub. 17. punct. 40. fig. 551.

Hyer. Fosdi. Jesuitæ neo politani effigium de dominio Dei in voluntatem liberum, mero nomine, non reipsa, tollitur.

ceſſe eſt id conveniat omnibus ſpeciebus: quia enim actio eſt magis intrinſicè à Deo, quam à voluntate, actio identificata cum hac actione liberâ (non enim exiſtit genus ſeorſim à ſpeciebus) erit magis etiam intrinſecè à Deo, quam à voluntate; nam eſt ἀναλλοίωτον determinationem voluntatis ideo exiſtere quia Deus vult, puta in genere actionis, non quia voluntas creata vult, & eandem determinationem, nempe quatenus eſt libera, ideo exiſtere non quia Deus vult, ſed ſolum quia natura libertatis indeterminata ita requirit: nam Deus in bonis actibus vult ut exiſtat actus bonus, & voluntas creata ſæpè efficit ut non exiſtat ille actus bonus. Determinatio ergo voluntatis, qua actio erit in rerum natura (nam ſic multo plus intrinſecè pendet actio à Deo, quam à voluntate creatâ ut vult *Faſolus*) & eadem determinatio ut eſt actio libera non exiſtit in rerum naturâ (nam ita vult voluntas creata deflectens à lege Dei) & ſic eadem determinatio & exiſteret in naturâ, & non exiſteret, quod contradictorium eſt. 5. Proxima cauſa quoad ſpecificationem actus, cur Deus concurrat cum voluntate, ad volitionem, potius quam ad intellectionem, aut auditionem, eſt quidem natura voluntatis: nam voluntas naturaliter, nec intelligit, nec audit, ſed formaliter & qua voluntas, vult, aut non vult. At non eſt nobis quæſtio cum adverſariis, de Dominio Dei in actus voluntatis quoad ſpecificationem actus; nam ridiculum eſt Deo tribuere dominium in actus creaturarum quoad ſpecificationem actuum, niſi quatenus Deus ut Creator omnium dat creaturis talem naturam, ut igni dat naturale principium calefaciendi, ſoli illuminandi, glaciei frigefaciendi, voluntati volendi & nolendi. At quæſtio eſt de dominio Dei in actus voluntatis, quoad exercitium actuum, & dico proximam cauſam cur Deus concurrat cum igne ad hunc actum calefaciendi, potius quam ad illum actum calefaciendi, non eſſe naturam ignis, ſed liberam primæ cauſæ voluntatem, ita tenent *Jeſuitæ Conymbricenſes*, & inſignes Philoſophi ac Theologi: ac proinde proxima cauſa cur Deus concurrat cum voluntate ad hunc ſingularem actum credendi & amplectendi Christum, potius quam ad actum Deo vocanti, repugnandi, eſt ſola gratioſa Dei voluntas, non natura libera voluntatis.

Collegium. Coymbricenſe comment in Ariſtot. Phyſ. lib. 2. c. 7. q. 15. art. 2. conc. 2. vide Gregor. in 1. diſt. 17. q. 4. art. 7. ad. fig. 7. utcitat Collegium.

25. Hinc patet, Deum habere dominium in omnes actus liberos, 1. Quia Scriptura dicit Deum poſſe homines convertere, & voluntatis

voluntates stabilire Electorum in gratiosum adventum D. N. J. C. 2. Quia potest plures convertere & salvare quam convertit & salvat. 3. Quoniam Deus majus dominium habet in voluntates creatas, quam quævis creatura habet in voluntates creatas. 4. Quia Deus habet *facultatem utendi omni re creatâ in omnes usus licitos*, (ita enim definitur dominium) Deus ergo potest uti voluntate creatâ & actibus liberis ad gloriam suam, prout ei visum est. 5. Quia penes Dei providentiam determinatricem est determinatus, ac certus numerus omnium actuum ac entium futurorum ac actu existentium, ac proinde volitionum Angelicarum & humanarum, & per consequens Electorum ac Reproborum. Non ergo talis numerus determinatus pendet à dominio creatæ voluntatis, ut volunt Jesuitæ & Arminiani. 6. Quia voluntas creata esset primum operans, quod est Dei proprium, si esset primum dominans. 7. Quia oratio & preces, pro indeclinabili voluntatis, ad obedientiam finalem, inflexione, fundi non possunt ad Deum, nisi Deus haberet dominium in actus liberos. 8. Fides, patientia, & gratitudo in Deum pro actibus liberis bonis vel malis hominum, & Angelorum bonorum & malorum planè corruerent, nisi inniterentur Dei dominio, quo actum liberum, potius quam non-liberum indeclinabiliter procurare posset. At hoc non potest facere Deus, si voluntas, positis omnibus etiam ex parte Dei requisitis, haberet dominium tam in τὸ nolle, quam in τὸ velle. Fides enim sic pro tali actu libero inniteretur creatæ voluntatis dominio, non Dei dominio. 9. Laus & gloria conversionis, potius quam non-conversionis, non deberetur Deo, sed creatæ voluntati, si voluntas creata, non Deus haberet dominium in actus conversionis, potius quam non-conversionis. 10. Deus vel habet dominium in entia possibilia quæ nunquam futura sunt, vel non habet dominium in illa. Si prius, tum æque potest Deus procurare omnes actus liberos possibiles, atqui dirigere potest actus existentes ad suam gloriam. Si posterius, nempe, si Deus non habet principatum & dominium in actus possibiles non futuros, tum possibilia vel permanent in statu possibilitatis, necessitate naturæ, vel dependenter a Dei voluntate. Si prius, tum Deus non magis efficere posset ut quæ nunquam sunt futura, sint futura, quam efficere potest ut bis tria non sint sex, quod absurdum. Si

ἀνασκευὴ argumentorum pro dominio Dei in voluntatem.

posterius, Deus non potest non habere dominium in actus liberos. Dominium Dei in actus liberos, per motiva moraliter infallibilizantia, per necessitatem vagam, quod astruit *Did. Ruiz*, alibi, Deo favente, diluemus.

CAPUT V.

Argumenta Didaci Ruiz, Fasoli, Petri de Arubal, Pesantii, *& aliorum pro scientiâ mediâ contendentium ad partes trahuntur.*

1

NOn infimum locum tenet inter argumenta adversariorum denunciatio CHRISTI, *Math.* 11. in Bethsaidas: *quia, si talium signorum, qualia illi habuerunt, copia fuisset facta Tyrio & Sidonio, jam olim in cinere & cilicio, pœnitentiam egissent.* DEUS ergo præscit aliquid conditionatum contingenter futurum, antecedenter ad suum decretum.

2. Sed respondeo 1. Plus est in conclusione, quam in præmissis; nam textus nihil habet de decreto Dei subsequente futuritionem hypotheticam pœnitentiæ Tyriorum. 2. Non desunt viri graves, qui volunt CHRISTUM loqui, non ex præscientiâ, sed accomodare stylum sermonis exprobrativi ad usitatum loquendi genus. Ita *Jansenius, Martinez, Ribera, si talia beneficia in hostes capitales contulissem, non tam ingratos se præstitissent.* Nec hoc detrahit quicquam certitudini scientiæ CHRISTI, nimirum exprobrantis, non prædicentis. Et Calvinus noster ait *Christum non prædicere, sed humanitus exprobrare.* Itaque dico sermonem comparativum nihil affirmare absolutè, sed tantum secundum quid, nempe comparatè; ut cum dico facilius emolliri saxa præconio Euangelii, quam lapideos, obfirmatos & excæcatos Judæos, non affirmo saxa posse præconio Euangelii emolliri, sed citius vel facilius emolliri quam Judæos. Ideo *Dav. Pareus* Theologus clarissimus ait CHRISTUM hoc velle, *Tyrios magis movendos fore iis signis quam Chorazitas. Bullingerus. Citius urbes Gentium Idololatricæ & corruptæ, ad pœnitentiam converti potuissent, quam istæ. Nam Judæi vicinos Tyrios* (inquit The. Beza) *pro nefandis Dei contemptoribus habebant*

Jansen. c. 47. concord. evangel. Martincz. lib. 2. hypothes. reg. 2. Ribera in Amos 2. fig. 19. Calvinus harmo. Euang. c. 11. Dav. Pareus lib. 1. gra. c. 13. in Bel'arm. Bullinger. in Math. 11. Beza. in not. mino. Mat. 11.

bebant. Ita etiam *Junius*, *Deum comparatè loqui.* Ita & *Titelmannus*, *Hilarion Genevensis* dicit hyperbolen esse uti illud, *Facilius emollires saxum, quam hunc hominem.* Alphons. Curiel. & Aquinas, tam absunt à commento Jesuitarum ut dicant, *Christum non indicare quid futurum sit absolute, sed quid futurum sit ex dispositione causarum secundarū.* Et certum est, particulam (fortè) DEUM dubitantem haud indicare, ut notant *Augusti. Chrisost. Ambros. Eusebius.* Quin etiam *Curiel* ait deceptum fuisse *Stapletonum* in exagitandâ *Calvini* expositione. Fatetur *Lodov. à dola* Scripturam *per voculam* (*fortè*) *nonsemper philosophicè, sed sæpè populariter loqui.* Et certè quando CHRISTUS prædicit, nudam facilitatem comparativam pœnitentiæ Tyriorum, nemo diceret eum prædicere actum infallibiliter futurum; neque hic CHRISTUS actum cum actu cõparat, uti multi putant, sed habitum cum habitu, dicitque tantum Tyrios minori habituali contumaciâ Deum contempsisse, quam Judæos, quibus lux Euangelii & gloria miraculorum CHRISTI affulserant. Collegium Salmanticense, impugnans scientiam mediam, dicit CHRISTUM *non per exaggerationem hyperbolicam loqui, sed juxta præscientiam, quia, ut ait Corneio, ex Augustino & Prospero, Christus expressè dicit eos acturos pœnitentiam. Quia, si certitudine morali tantum loquitur, sequitur Deum non habuisse decretum efficax conditionatum circa illa, & Dei libertatem fuisse suspensam hic & non actualissimam* sed facile hoc solvitur. Quia loquitur CHRISTUS secundum præscientiam, non certitudine tantum morali aut conjecturali, sed hæc est præscientia quâ CHRISTUS nec præscivit, nec prædixit actum conversionis Tyriorum, sed tantum facilitatem actus & quidem comparativam. Hinc sequitur scientiam infallibilem, & libertatem DEI non suspensam, sed actualissimam, terminatam fuisse in facilitatem conversionis Tyriorum, potius quam Judæorum. Neque obstat, quod Verba CHRISTI actum videantur exprimere. MATH. 11. 11. μετενόησαν resipuissent Tyrii. Notum enim est verba activa sæpè habitum notare. PSAL. 50. 17. 18. 19. PSAL. 7. 14. ESA. 52. 4. JOAN. 14. 21. Adde quod *Did. Alvarez*, *Cumel*, *Cabezudo*, & *Crabrera*, (quod & fatetur *Did. Ruiz.*) dicant CHRISTUM præsciviisse non ex solis miraculis *Tyrios* convertendos fuisse, id enim planè Pelagianum est, & idem re ipsa dicit *Fasolus.* *Augustinus* ait *non profuisse ita quod potè-*

D Junius in Math. 11 Titelmannus. Hilar. on. Genevens. in Matth. 11. Alph. Curiel in 4. sapient. cõtrav. c. 4. fig. 35. Aquinas in 1. par. sum. q. 39. art. 3 ad 2. August. Pſ 2. trar. 37. Chryso homili 78. in Matth. Ambros. de pæniten. lib. 2. c. 5. Euseb. de prepar. Euangel l. 6. 9 Alpho. Curiel. 4. sapi. contrav. 7. fig. 77. Lod. à dola. de concurs. Dei par. 1. c. 3. fig. 4. Colleg Salmanti. tract 3. de scient. Dei dub. 2. asser. 3. dis. 9 fig. 15. 16. Corneio Augusti. Prosper. Alvarez. dis 7. fig. 8. 23 Crabrer. 3. 14. art. 13.

Cumel in 1. q. 23. disp. 8. no. 3. ad arg. 5. Cabezudo. 3. part. q. 62. art. 5. q. 2. ad ar. 13. part. q. 18. art. 4 di. 5. art. 1. Ruiz. in 1. disp. 1. 61. sect. 1. fig. 3. Fasolus in 1 tom. 2. q dub. 13. fig. 217. Augusti. de dono perverunt. c. 14.

Ruiz. loco cita. Arubal in 1 q. 14. art. 3 disp. 46. c. 5. §. 15. 16. Colleg. Salmant. tr. 15. 3. de scien. Dei disp. 10 dub. 1. §. 4 sig. 24.

rant credere? quia prædestinati non erant ab eo, cujus judicia sunt inscrutabilia. Opponit nobis Ruiz ibid. *præsentem imputabilitatem levioremfuisse in Judæis, quam in Tyriis, supposito decreto prædeterminante. Et ridiculus esset* (inquit *Arubal*) *Magister, qui tarditatis ullum discipulum argueret, eo quod brevi non intellexisset rem, quam alius non nisi post longius tempus intelligeret, sic si peculiaris Dei esset voluntas, ut Tyrios pœniteret, si vidissent signa, quam Deus in Judæos non habuisset, cætera non forent paria, & ridicula esset Christi reprehensio.* Respondeo 1. *Collegium Salmanticense* retorquet hoc argumentum. *Poterant* (inquiunt) *Bethsaiditæ regerere, si nos vocasses in eo ordine, quo præscivisses, per scientiam mediam nos consensuros, uti vocaturus eras Tyrios, non minus nos, quam Tyrii respuissemus.* Replicant *Jesuitæ* Deum dedisse Judæis sufficientia auxilia gratiæ, at non fuisse obligatum ad danda media congrua, sic & nos respondemus, non obligari Deum ad prædeterminantem gratiam Judæis dandam. 2. Ad argumentum dico, verum quidem id esse, Judæos, non minus, quam Tyrios, fore convertendos, supposito decreto Dei prædeterminante, sed non inde sequitur Judæos habituali obstinatiâ, & lippitudine affectatâ non fuisse Tyriis nequiores, & ad lucem Euangelii & signorum Christi stupidiores; Ideoque inexcusatiùs longè Tyriis corda sua obdurasse, neque ridicula foret reprehensio, si magister scholasticum altero stupidiorem (si stuporem suâ sibi ignaviâ, accersisset) reprehenderet, eo quod ex stupore habituali non tam scitè scriberet, atqui alter ex condiscipulis suis, quamvis magister utrumque æquè scitè scribere efficeret, si utriusque manum in scribendo duceret; impatutas, itaque in Tyriis, & Judæis, est in habituali obstinatione: Et omnino sapientissima est Salvatoris reprehensio sic, Etsi penes me sit per gratiam meam perdeterminatricem cordium saxeorum, & Tyrios & Judæos ad resipiscentiam perducere; in hoc tamen Judæi Tyriis sunt culpabiliores, quod Judæos, Tyriis destitutis Christo & Euangelio, decuit longe dociliores esse, quippe quibus indulserim privilegia eminentissima fœderis mei, vocationis per prædicationem Euangelii me Salvatore in carne manifestato concionante, & Verbum tot gloriosis miraculis confirmante; Cum interim Judæi contumaciam habitualem ut 20 externæ meæ vocationi; Tyrii verò contumaciam ut 8. tantum opposuerint. 2. Nihil aliud

hic

hic nobis, quam Pelagiani olim Augustino opponunt. *Cur corripimur, arguimur, reprehendimur, accusamur? Quid facimus, qui non accepimus, quid itaque corripimur, obedientiam non accepimus, quid itaq; corripimur, quasi eam dare nobis possimus.* Eadem itaque responsio satisfaciet loco Ezech. 3. v. 6. Et aliis, id genus, multis.

Augustinus de corrept. & grat. c. 6.

2. Objicit Ruiz. *Si Deus non scientiâ conditionatâ, sed in decreto efficace præscit futura conditionata, sequitur ab essentiis rerum non sumi rationem commodam ad homines persuadendos, sed ab efficace Dei voluntate. Sic fures in cruce pendentes non haberent vim deterrendi latrones à facinoribus, nec Deus posset videre latrones hoc spectaculo deterrendos, sed deterrendos præsciret eos, quia ipsos deterreri efficaciter decrevisset, & Deus sua efficace voluntate ageret omnia ad nudam præsentiam causarum secundarum, & illud* Deut. 4. *Non vidistis formam corpoream in Horeb. Ergo ne faciatis vobis sculptile. Non magis concluderet, quam hoc talis homo non movet dextrum pedem priusquam moveat sinistrum in die quo Jehovah loquutus est vobiscum in Horeb. Ergo ne faciatis vobis sculptile, nec opus esset ut divinâ providentia præcaveremus pericula, nisi mala conditionaliter futura Deus præsciret ante decretum prædeterminans.* Respondeo 1. Arg. laborare inconsequentiâ, nam etsi Deus non præscit scientiâ mediâ futura contingentia conditionata, nempe antequam ea fieri decreverit, non sequitur ab essentiis rerum non sumi commodam rationem persuadendi homines, nam rebus motivis à bono & malo ductis inest vis persuadendi homines, quia naturale est voluntati, amplecti bonum, repudiare malum, sed hæc vis est à Dei decreto, & motivis & voluntati motæ talem naturam dante. Si argumentum itaque procedat de vi potentiali, ea vis præsupponit Dei decretum, ideoque argumentum nihil probat contra nos; si vero procedat de actuali persuasione, dico Deum non præscire hominem deterrendum fore à facinoribus ex aspectu furum pendentium in cruce, nisi in suo decreto determinante voluntatem hominis ad actualem formidinem ex illo aspectu conceptam. 2. Inest visioni formæ corporeæ periculum alliciendi homines ad Idololatriam, quod non inest motioni pedis dextrorsum. Quoniam Deus decreto prædeterminante statuit ut illa vis motiva voluntatis inesset visioni Imaginis; sed tota actualis efficacia est à Dei decreto ut à causâ primâ & altissimâ, à visione formæ corporeæ ut à causâ proximâ. 3. Hoc argumentum

2.

Ruiz. in 1. Tho. disp. 69 sect. 1. & sect. 4 sig. 56. 7. *Dist Ruiz. arguit predeterminante decreto tolli rerum naturas & activam vim persuadendi; sed male.*

evertit

evertit DEI sapientiam, pro qua videtur militare: nam si ex se & antecedenter ad DEI decretum sapiens, aspectus futurum in cruce pendentium deterrere potest latrones à furto, tum citra DEI voluntatem & sapientiam, atque ita citra omnem DEI providentiam, circumstantiis & argumentis inerit vis persuativa voluntatum, & sic absque DEI providentiâ & curâ vis & agendi & patiendi. Sympatheia & Antipathia inter omnes res in naturâ, inerit omnibus causis secundis. 4. Nec rationes motivæ DEI voluntatem, sed tantum movent creatam voluntatem, & quidem juxta sapientissimam DEI voluntatem determinatricem omnium naturarum. Docent etiam *Crabrera, Navarete, Alvarez* idem. Et acutè *Bradwardinus*, scholasticus verè magnus. *Si ratio* (inquit) *moveret voluntatem Dei, tum major ratio magis moveret. Cum ergo Deus posset facere omnia meliora, quam facit, & hoc esset melius & rationabilius, si fieret.* Gul. Gibieuf. *Nec Deus* (inquit) *sumit dispositionis suæ rationem à rebus ipsis, sed à sua sapiente voluntate.* DEUS ergo potuit & decrevisse & præsciviſse pro suâ infinitâ sapientiâ, aliam viam præcavendi Idololatriam, (& omnia pericula) quam per non-ostensionem formæ corporeæ, potuit igni vim frigefaciendi, glaciei calefaciendi indidisse; si aliam formam specificam igni, sive rei, quæ ignis est, & glaciei, dedisset, at hac serie & ordine rerum, qui nunc obtinet, stante, formæ corporeæ inest vis alliciendi homines ad Idololatriam, sed hæc vis est à prædeterminante DEI decreto ut à causâ primâ, at est à naturâ formæ corporeæ, & hominis qui sensibus ducitur, tanquam à causis proximis. Decretum autem prædeterminans statuit operari per causas secundas. Si quæras cur homo alliciatur ad Idololatriam, respondetur, quia ratio sensum magistrum sequitur in cultu divino, sensus vero aspectu formæ corporeæ ducitur. Si rursus queras rationem illius rationis, & causam illius causæ, necesse est tandem devenias ad decretum prædeterminans ut ad causam primam omnium causarum.

Crabrera 1. p.q.62.disp. 12. Navarret. tom.1.contrav.56. Alvarez. disp.7.de auxil.f.29. Bradwardinus de caus. Dei li.1.c.21. Gul.Gibieuf.

3. Sic objicit Ruiz. *Si Deus non certò, sed sub ambiguitate objectiva præsciret, quid unusquisque facturus sit, sub quibuscunque tentationibus, tum Deus non certò sciret obedientiam futuram in tentationibus de facto nunquam occurrentibus, & nesciret Deus an Abrahamus esset mactaturus filium, ex hypothesi quod Deus nunquam tentasset eum ad filii sui mactationem per mandatum exploratorium, & sic Deus acquireret notitiam experimentalem illius,*

3. Ruiz. in 1. Thom disp. 70.sect.6. sig. 1.2.

illius, quod antea ignorabat. Quod absurdum. Respondeo 1. Idem morbus inconsequentiæ est hic qui fuit in superiore argumento: Quia Deus in decreto prædeterminante, quo concatenavit ab æterno coexistentiam conditionis & conditionati, (& si & conditio & conditionatum è statu possibilitatis ad statum actuationis nunquam pervenirent) præscit, quid unusquisque facturus esset sub tentationibus nunquam de facto occurrentibus; absolute, Deus decrevit ut coexisterent, Abrahami voluntarius animus ad filium Deo immolandum, & Dei tentantis mandatum, sic absoluto decreto prædeterminante decrevit Deus, ut coexisterent, visio signorum & pœnitentia Tyriorum; Et Johæ terræ percussio quinque aut sex vicibus, & populi Dei victoria de Syris; & prædicatio concionatoris infernalis, & non-conversio quinque fratrum Epulonis. Hic obiter dico decipi eos, qui, ut audio, dicunt me tueri decreta Dei conditionata, quæ impugnare videor, nam hæc sunt decreta absoluta, non conditionata: nam absolutè, & nullâ requisitâ conditione Deus decrevit connexionem visionis signorum & pœnitentiæ Tyriorum. Sed ad rem, inde sequitur Deum non experientiâ novâ acquirere scientiam, sed in decreto prædeterminante. 2. Ex contraria sententia sequitur Deum, quasi dubitantem, venari cognitionem à rebus scitis tanquam à causâ primariâ infallibilitatis suæ scientiæ, *cum tamen in libro ipsius omnia extracta sint.* Psal. 139. 16. Hoc est, omnia decreta & fixa sunt Dei voluntate determinatrice. Respondet *Fasolus, Deum haurire cognitionem à rebus extra se non ex indigentiâ, quia mera est hic præsuppositio objectiva, creata enim terminatio non efficit aliquid in actum scientiæ Dei, sed eam purè terminat.* Sed occurro. Determinatio actus liberi futuri citra omne Dei dominium causativum est sola prima causa absolutè dominans, efficiensque ut sit in Deo talis scientia infallibilis. Deus itaque hic indigus consiliariorum haurit suam scientiam mediam ab objecto quod Deo invito futuriti onem habet, hinc duo docent adversarii Deo indigna. 1. Deus non potest non scire hoc objectum, nisi sit ignarus alicujus rei extra se: sana Theologia docet Deum liberè scire omne futurum, quia potuit efficere ut nunquam esset futurum, ideoque simpliciter cognitio Dei quam habet de rebus actu futuris est mediatè saltem libera. 2. Creatura libera causans invito Deo, & antecedenter

Deus in decreto prædeterminante concatenavit conditionatum, in omnibus etiam in quæ nunquam fucura sunt.

Excerci. 1. c. 4. pag. 126. 127.

Fasplus in 1. tom. q. 14. art. 13. dub. 11. fig. 147.

Deus haurit cognitionem & consilium a creaturis extra se juxta adversarios qui propugnant scientiam medium.

denter ad ipsius liberam voluntatem, rerum contingentium futuritionem; facit causativè objectum scientiæ hujus mediæ. Ergo creatura erit causa cur existat in Deo talis scientia; Et non somnianda est hic objectiva terminatio tantum; nam creatura id facit, invito Deo, quo facto Deus necessariò scit illud quod fit à creaturâ. Imperator perfectè sapiens & potens, qui omnia pro suo beneplacito administrat, nemine contra nitente, modo longè perfectiore, quam alter qui à nunciis, à consiliariis, à libero & lubrico rerum extra se, eventu cognitionem aucupatur. Roganti, *Quis fuerit Deo consiliarius*: Esai. 40; vel quisnam causa fuerit cur hoc consilium potius iniret, quam illud, aut cur hoc sciret, quod futuritionem conditionatam habet à causâ liberâ potius quam nunquam sciret? respondendum ex *Jesuitis & Arminianis. Angeli, dæmones, homines, multa liberè faciunt quæ futuritionem habent antecedenter ad Dei decretum & Dei scientiam*, ideoque Deus non potest non decernere & scire quæ faciunt creaturæ ante nutum & voluntatem supremi figuli, ideoque creaturæ sunt causæ solæ dominantes cur hoc consilium sit in Deo, non illud, cur Deus hoc sciat, potius quam nunquam sciat. Objectum itaque creatum non erit divinæ scientiæ purè terminativum, sed erit etiam causativum. Rem sic illustro. Suppono esse hominem in rerum naturâ qui omnes rerum colores faceret & crearet, & homines naturæ necessitate oculos aperire ad colores intuendos. Is Creator colorum ultimatè esset causa cur omnes actu viderent colores, quia faciendo & creando colores, esset causa cur omnes eosdem conspicerent. Sic agentia libera quæ absolutè actus liberos creant, vel non creant, non obstante omni divinæ providentiæ dominio, sunt veræ causæ cur Deus tales actus, eorumque futuritionem sciat, potius quam nunquam sciat, nam repugnat Deum oculos æternæ suæ scientiæ non aperire in omnia scibilia.

4. Ruiz. 16. Objici. 4. *Ex hypothesi quod Deus nullum decretum feciſſet de connexione inter visionem signorum & pœnitentiam Tyriorum*, (*liberè enim omnia decernit*) *tum Deus rogatus, an Tyrii pœnitentiam acturi forent, nec ne, si vidissent signa, necessariò responderet, omnino ignoro, quod absurdum. Scit ergo Deus, citra omne decretum futura contingentia conditionata.* Respondeo Deum non scire non scibile, non est magis absurdum, quam homines, non audire colores, aut non videre sonos, nam

nam colôres sunt visibiles, non audibiles, soni audibiles, non visibiles, Deus autem Tyriorum pœnitentiâ in eo casu, eo modo sciret, quo est scibile, nempe sciret esse possibilem, non sciret esse determinatè futuram, quia non esset determinate futura. 2. Quamvis Deus liberè omnia decernat in particulari, necessario tamen ipsius voluntas statuit de futuritione, aut non futuritione omnium entium, & licet liberè decreverit mundi creationem, tamen non potuit non ab æterno decrevisse vel creationem mundi, vel non creationem mundi. Nam fieri non potest ut Deus merè negativè se habeat circa vel futura vel nunquam futura, sed necesse decreto positivo decernat etiam non futuritionem plurium mundorum. Ita rectè tenent *Collegium Salmanticense, Ripa, Nazarius, & profundus Bradwardinus.* ut *Vasquez*, & *Arubal.* Quia sicut ad perfectionem intellectus spectat scire omne intelligibile, & ad Omnipotentiam posse omne factibile, ita ad voluntatem Dei, utpote actualissimam (omne enim quod est in infinito actu est actualissimum) omne volibile & nolibile. 2. Quia omne possibile actu scitur ab intellectu, ut futurum & non futurum, idque necessario. Ergo intellectus necessario proponet voluntati Dei, omne possibile, ut posset id velle, vel nolle. 3. Providentia, adeoque voluntas, non esset providentia, si non se extenderet ad futura, ut patet, at imperfecta etiam esset, si positive non se extenderet ad non futura, sic enim patienter non me submitterem Dei voluntati, quod non essem Rex, dives, eruditus, robustus, nec gratitudo terminaretur in Dei voluntatem, quod *David* à *Saulo* non occideretur, *Ecclesia* ab hostibus non vastaretur, *Israel* cum *Ægyptiis* mari rubro non submergeretur. *Imo* (inquit *Bradward.*) *Deum esse summè actualem & perfectum non est liberum sed absolute necessarium, non habet ergo Deus ab æterno suspensam voluntatem in possibilia nunquam futura.* Ideoque quid sequatur ex impossibili, videant adversarii.

Dei voluntas ad omnia futura, & non futura est determinata, omniaque ante decretum possibilia sunt.

Collegi. Salmanticense tract. 4. de volunt Dei disp. 5. dub. 3. q. 2. Ripa 1. q. 14. ar. 13. dub. 4. c. ult. Nazarius 1 q. 14. art. 13 contra. 1 notab. 1 Bradward. lib. 1. c. 15. Vasquez 1 p. disp. 79. c. 3. f. 17. Arubal 1. disp. 56. c. 2. fig. 5. Bradward. li. 1. c. 15.

Obj. 5. *Suavior sit providentia, positâ scientiâ mediâ, quia non necessitantur reprobi, nec necesse est desperent, & satisfit querelis Dei, nam constat homini illæsa libertas.* Resp. 1. Necessitatio reproborum stans cum libertate ipsorum suavis est providentia, nam decretum reprobationis non facit aliam peccandi necessitatem in reprobis, quam illam quam facit libera voluntas Reproborum; Nam necessitas ex hypothesi decreti Dei, & necessitas exercitii, seu

5

Ruiz. 1. dis. 69. sect. 10. fig. 1, 2.

Necessitas decreti & liberæ voluntatis eadem.

ex hypothesi quod ipsi reprobi vellent, eædem sunt necessitates, quæ mira est providentiæ conspiratio, non est ergo causa cur reprobi in Dei decreto desperent, sed in suâ liberâ voluntate causam desperationis quærant. Et querelis Dei locus est, quamdiu Reprobi sibi necessitatem peccandi ultro accersent, quod indies faciunt. 2. Eheu quis finis, quis modus quærelarum, cum credant reprobi cum Jesuitis connexiones cum infortunatis hypothesibus, ipsi Deo insuperabiles (quod sine horripilatione non dicendum) & DEUM non posse ullo providentiæ, æternæve, supremi siguli in lutum rationale, libertatis, aut gratiæ potentissimæ, dominio, plures convertere, quam convertit, aut liberas hominum voluntates suavi indeclinabilitate, quocunque vult, inflectere? consule *D. Tuissum.*

D. Tuissus in vindic. grat. cont. Armini. lib. 2. degress. 2. c. 14. crimi. 3. pag. 110, 111.

6. Obj. 6. *Permissio peccati non potest habere certitudinem nisi per scientiam mediam, quia Deus nec actum, nec malitiam vult. 2. Ex permissione sequuntur infallibiliter peccata, sed non illativâ necessitate. Deus tamen ea præscit, Ergo per scientiam mediam.* Ruiz. Resp. 1. Ex motivis infallibilizantibus, citra hanc scientiam, tu ipse, doces DEUM scire futuritionem peccatorum, item doces *Saulum peccantem Deo subordinari, ut principali agenti punienti Israelitas per ipsius peccata.* At judex actus puniendi in suo decreto puniendi videt, quid ergo opus scientiâ mediâ? DEUS enim non præscit se puniturum *Israelitas*, priusquam ipsos punire decreverit. 2. Vana est certitudo peccati per scientiam mediam, scilicet prius est futuritio peccati, & permissio peccati futuri, & tum DEUS decernit permittere peccatum, sic Deus præscit peccatum futurum, si futurum est, & præscit futurum esse, si futurum est, at sic Angeli & homines peccatum præsciunt. 3. Nulla est hypothesis, cum quâ peccati futuritio necessario cohæret, sed positis omnibus & quibusvis hypothesibus (si ipsam futuritionem peccati excipies, quod necessario dicendum) potest peccatum sequi vel non-sequi. 4. Falsum est DEUM non velle actum peccati, nam Deus non potest non velle id cujus ipse author est per veram causalitatem primæ causæ, at Deus causatur ut prima causa actum peccati qua est actus.

Ruiz. 16. fig. 8. Ruiz. de provid. tra. 2. disp. 11. sect. 2. fig. 8.

Permissio peccati certitudinem habet citra commenticiam hanc scientiam mediam.

7. Obj. 7. *Ipsa dubitabilitas & probabilis inclinatio causæ secundæ in hoc potius, quam in illud scitur ab hominibus, ut si oculus ebrius hoc*

ire-

ire permittatur ubi sunt multæ foveæ, ruet in foream, & hoc sciunt homines, Ergo multo magis infinita Dei scientia penetrat in omnes angulos voluntatis, scitque quid volitura sit, absque omni decreto. Resp. 1. Conjecturali tantum scientiâ homines sciunt cœcum ruiturum in foveam, *Angeli* enim custodes hominum aliorsum ducere possunt cœcum ebrium, & mirabiliter ducunt, itaque à conjecturali hominum scientia, ad scientiam DEI, quâ non scibile sciri dicitur, ægra est consequentia. 2. Inclinatio potentialis exactissime à Deo scitur in decreto suo inclinationes omnium causarum formante, Ergo actus liberi sciuntur in nullo tali decreto, nulla est hæc consequentia. Ruiz. 16. disp. 69. loc. cit.

8.

Obj. 8. *Impossibile est Deum cognoscere* (inquit Ruiz.) *actum in re futurum, qui præveniat actum voluntatis Dei, seu decretum excitandi voluntatem per auxilia gratiæ paratum concursum offerendo, attamen cognoscit actum liberum, qui decretum prædeterminans præveniat.* Resp. 1. Actus ergo liber futurus in ratione non in re, præcedit conditionatum DEI decretum, at quid, quæso, hoc est, dicit DEUS (*Ego conditionatè volo actum liberum fore*) prius ergo in re Deus vult actum liberum fore, quam præsciat eum fore, at hoc est evertere scientiam mediam, cujus objectum præcedit omnem actum divinæ voluntatis. 2. Si DEUS cognoscit actum liberum antecedenter ad decretum, quo ille actus fore decernitur, tum necesse est cognoscat actum liberum fore, & futuritionem habere ex se, sine omni decreto causante futuritionem, hoc autem est absurdum, nam cognoscit non ens esse futurum. Nihil enim est futurum sine DEI voluntate futuritionem rei statuente. Ruiz. in 1. disp. 71. sect 6. fig. 21, 22

Deus nihil futurum cognoscit absque decreto futuritionem causante.

9.

Obj. 9. *Deus rapit quosdam ex hâc vitâ, ne malitia mutaret intellectum, Ergo Deus præscit apostasiam multorum, si superviverent, item.* LUC. 16. *Dives accusat providentiam Dei, quod convenientia media tantum, Deus adhibuisset, puta Mosen & Prophetas, quæ sufficientia non essent media, at locus esset accusationi, si auxilium prædeterminans Deus negasset. Nec est ratio cur Deus negaret concionatorem infernalem, quia decrevit negare auxilium efficax, sic enim Deus negasset quinque fratribus Epulonis etiam Mosem & Prophetas. Ergo Deus præscivit concionem infernalem non profuturam quinq; fratribus ad salutem ante decretum prædeterminans, alioqui qui omnia utilia media procurat, id non omisisset.* Ruiz. Respondeo 1. Recte dicit Ruiz. in 1. disp. 6. sect 9 & 1. disp. 36. sect 5. fig. 2, 3.

Negatio efficacis decreti aut mediorum non magis obstat providentiæ quam negatio congrui decreti.

Alvarez de auxiliis divinis. l. 6. disp. 45. numb. 8. & lib. 4. disp. 29. nu. 4. lib. 2. dis. 7. n. 10. l. 2. di. 7. n. 24.

Alvarez ad priorem locum Apocryphon, qui authoritate canonicâ nos minimè premit. *Deum decreviſſe dare donum perſeverantiæ, uſque in id tempus, in quo videt talem ſibi relictum, lapſurum, ſi ſupervixiſſet.* Et dico Deum decreto prædeterminante, concatenaſſe Apoſtaſiam talis hominis, & ſupererogationem ipſius vitæ ultra talem periodum: & ideo eum è vitâ hâc evocaſſe, non quia non poterat ſuperviventem efficace gratia ab Apoſtaſia ſufficienter munire, ſed quia ſapiente ſuo decreto ita ſtatuit. 2. Dico ad *Luc.* 16. locus non magis favet cavillationi *Epulonis*, quia Deus negat quinq; fratribus auxilium prædeterminans, quam ex negatione auxilii congrui Jeſuitici cavillatio eadem concinnata valeret, quia Deus nec auxilium efficax, imo nec *Moſen & Prophetas* tenetur dare, nec dicimus *rationem negandi concionatorem infernalem, eſſe quia negavit auxilium efficax & abſolute noluit Epulonem ſalvari*, nam citra talem concionatorem potuit Deus quinque illos fratres ſalvaſſe, iis mediis quibus alios ſalvat, ideoque nulla eſt conſequentia quâ infertur, *Deum præſciviſſe concionem infernalem non profuturam, idque ante decretum determinans*, nam ego contrarium infero. Quia Deus præſcivit talem concionem fore inutilem, ideo præſcivit, quia prædeterminante decreto ſtatuit vivos non inſtituere per mortuos. Esa. 8. 9, 13. Dato & non conceſſo, quod concio infernalis eſſet medium utile convertendis hominibus, male infert *Ruiz*. *Deum hoc medium non omittere voluiſſe, eo quod omnia utilia media procuret.* Quia omnibus, quos ſalvari Deus vult, ex adverſariis, non omnia media utilia procurat, nam Tyriis negavit viſionem ſignorum & prædicationem Euangelii, exteris gentibus non dedit Prophetas, *Math.* 11. 21. *Ezech.* 3. 6. nec obligatur Deus omnia media utilia hominibus ſuppeditare.

10. Ruiz. 1. dis. 64. ſect. 13. fig. 23.

Obj. 10. *CHRISTVS* (inquit *Ruiz*) *non potuit prædicere Judæ proditionem, ſcientiâ quâ poſſibile prædicitur, quia ſic prædiceret Joannem proditurum eum; (id enim poſſibile erat) non ſcientiâ abſolutâ, quia ea preſupponit proditionem actu exiſtentem, & omnia media invalida eſſe, inter quæ erat præſens increpatio, & ſic prædictio illa (unus ex vobis me proditurus eſt) objurgativa, deſtinata ad impediendam proditionem, deſtinata foret ad ſeſe falſificandum. Ergo ſcientiâ mediâ prædixit eam proditionem.* Reſpondeo 1. *Arminiani* volunt Deum ſecundum nullam ſcientiam vel hortari vel reprehendere homines, ſed ex antecedenti

antecedenti affectu. Et hoc argumentum lædit illos, non juvat. 2. Falsum est Christum eâ prædictione objurgativâ intendisse Judæ emendationem, imo intendebat eum ἀναπολόγητον magis reddere, & eam proditionem ab illo Apostolo æquo & lubenti animo, (sicut & alias pœnas à Deo Patre absolutè destinatas) ferre, ideoque non sequitur eam prædictionem ad prædictionem falsificandam destinari: ideoque præscientiâ absolutâ Christus proditionem præscivit, neque est absurdum supponi eam objurgationem invalidam esse ad Judam ab illo facinore detestando revocandum, nam jam antea erat obduratus & eam pœnam erat justissimè commeritus. At stante scientiâ mediâ, ne Deus quidem poterat increpationem illam efficacem ad Judæ emendationem facere, quippe quæ antecedenter ad Dei liberum decretum erat futura inutilis, nam eam inutilem futuram esse Deus scientiâ mediâ præscivit. 3. Si Christus præscivit Judam prodituram Salvatorem conditionatè, Da, quæso, conditionem, nempe, si tentaretur, vel nempe, si modo vellet prodere Salvatorem, at utraque illa conditio erat contingens conditionaliter futurum, & de illis eadem redibit quæstio in infinitum.

Stante scientiâ mediâ Deus non præscit peccata, ac si ea impedire posset, aut mediis ad impediendâ destinatis uti posset.

Objic. II. *Si Deus in voluntate suâ absolutâ præscit proditionem Judæ, non potest non exequi, quod decreverat, & dicere, utinam promissa liceret non dare, imo executio decreti non poterat habere alium finem, nisi quem intendebat decretum eligendi ab æterno conceptum, sed electio Judæ in Apostolatum destinata fuit ad finem permittendi proditionem, & colligendi multa bona ex illo malo. At eum finem Deus intendere non poterat, nisi præsciret scientiâ mediâ, Judam fore proditorem, si eligeretur ad Apostolatum.* Respondeo 1. Deus in absolutâ suâ voluntate permissivâ præscit proditionem Judæ, sed impia est illatio Ergo Deus à fine intento necessitatur ad media dolenter exequenda, quasi imprudens fecisset decretum, nam decernit liberè & sapienter & de fine & de mediis ad finem. 2. Ex hac ratiocinatione Deus dicit. *Scio Judam proditorem fore, si ad Apostolatum eligeretur. Et ideo ego eligo eum ad Apostolatum.* Sed hoc est re ipsa idem, ac si Deus absolutâ voluntate decerneret proditionem Judæ. Quod evertit adversariorum principia. 3. Sic antecedenter ad providentiam Dei cohærent Apostolatus & proditio. O ferream fortunam, quæ tales pervigili Dei providentiæ pœnas irrogat. Si scio

II.

Ruiz. de scient. Dei 1. disp. 65. sect. 10. fig. 8. 9. 10.

Deus æquè intendit peccatum & interitum Creaturæ antecedenter stante scientiâ mediâ, ac si negaretur commentum hoc.

ſcio amicum ruiturum in foveam, ſi hac ire permittatur. At ſcio eum hâc iturum, & ire permitto, intendo igitur illi ruinam; videant igitur quid ſequatur. Scit paſtor populum DEI malè perituram & perditum iri, ſi talia dogmata credenda doceat, & inculcet. At lubens docet. Intendit Ergo interitum populi, & niſi DEUS ſupra legem eſſet, author eſt ruinæ populi, ſed hoc non admittent adverſarii. 4. Vanum eſt dicere (*Deus hoc vult, ſi talis poneretur conditio*) Cum conditio ſit DEO notiſſima. Si perfectiſſimè ſcjam Joannem eſſe pium, inſipienter dico (*amo Joannem, ſi pius ſit*) aut (*odi Diabolum, ſi malus ſit*) At talia conditionata decreta DEO omniſcio adverſarii tribuere audent: 5. Docent etiam adverſarii omnes has connexiones eſſe poſteriores voluntate DEI conditionatâ, ſed eſſe priores abſolutâ. Sed eſto hoc verum. Neceſſe eſt veritatem hujus admittant, DEUS dicit: *Ego volo Adamum labi, ſi tentetur, Judam prodere Salvatorem, ſi pretium ei numeratur.* At quoniam voluntas conditionata eſt verè in DEO voluntas, neceſſe eſt admittant DEUM velle Adamum, & Judam tentationi ſuccumbere, id eſt, peccare.

12. 12. Sic etiam arguit Ruiz. *Quicquid mente concipitur eſſe, poteſt*
Ruiz. 16. disp. 68. ſect. 2. *enunciari quod ita ſit vel non ſit: nam propoſitio mentalis eſt capax ut ei præbeatur aſſenſus vel diſſenſus, ſed coexiſtentia actus liberi cum hypotheſi poteſt mente concipi, etiam ante decretum. Tales ergo propoſitiones ſunt enunciativæ, & à Deo ſciuntur.* Reſpondeo 1. Diſtinguitur major. *Quicquid mente concipitur eſſe* determinatè, *poteſt enunciari, quod ita ſit vel non ſit* determinatè. Sic Major eſt vera, ſed falſa eſt Minor; Nam *coexiſtentia actus liberi cum hypotheſi, poteſt mente concipi,* verâ conceptione, & conformi rei ad extra, ut quid determinatæ veritatis, hoc nego. *Quicquid mente concipitur eſſe* poſſibiliter, ſi DEUS futuritionem ipſius liberè decreverit, *id poteſt enunciari, quod ita ſit, vel non ſit* poſſibiliter. Sic Jeſuita non intelligit Majorem, nam concluſio non eſt id quod negatur. Et plus ineſt concluſioni, quam præmiſſis. 2. Poteſt aſſenſus vel diſſenſus præberi huic enunciationi. (*mundus eſt creandus*) etiam antequam DEUS mundi creationem decreverit. Sed aſſenſus vel diſſenſus illi; erunt tanquam enunciationi poſſibilis veritatis non determinatæ. Omnis enunciatio eſt capax aſſenſus vel diſſenſus pro ratione rerum enunciatarum vel poſſibilis vel determinatæ veritatis.

Obji. 13.

Obji. 13. *Ante decretum verum est hoc; (si Petrus locetur in tali ordine rerum, peccabit) nam in hoc priore habent conformitatem cum re significata, hanc vero conformitatem solum manifestat, non facit instans temporis, in quo peccat Petrus. Confirmatur. Quia propositio conditionalis differt ab absolutâ, solâ conditione, ideoque positio conditionis sufficit ad determinandam veritatem, sicut itaque determinata veritas est in altera parte contradictionis, postquam veritas est determinata per positionem conditionis, ita erat determinata prius tempore, quam impleretur conditio. Probatur Consequens. Quia veritas conditionalis differt à veritate absoluta solâ conditione. Ergò positâ conditione est eadem veritas, quæ fuit antequam poneretur: ideoque dialectici dicunt veritatem propositionis de præterito & futuro, probari per veritatem de inesse, quæ in illo tempore pronunciata vera foret ut hæc est vera; (Antichristus peccabit) quia hæc est vera (Antichristus hic & nunc peccat) sic Ruiz, Vasquez, Arubal, Alexan. Pesantius.* Respondeo, *Ante decretum Dei verum est hoc (si Petrus locetur in tali ordine rerum, peccabit)* non determinatè, sed tantum possibiliter, nam hic est sensus. *(si Petrus locetur in tali ordine, possibile est ut peccet.)* Nam si nondum ponitur decretum permittendi peccatum, non peccabit determinatè & certò *Petrus*: tantum fieri potest ut peccet, si nempe Deus decreverit gratiam efficacem negare; sed si Deus decreverit dare *Petro* gratiam efficacem, tum *Petrus* locatus in quolibet rerum ordine sanctè abstinebit à peccato: ideoque conformitas hæc cum re, est conformitas cum re possibili, non cum re certò futurâ. 2. Falsum est, *Propositionem conditionalem differre ab absolutâ solâ conditione, & habere eam conditionali eandem veritatem determinatam.* Nam si sermo sit de conditione occasionali, & non determinante qualis est tentatio respectu peccati *Petri*, tum ea ponit meram possibilitatem non verò rei determinatam futuritionem; ideoque hæc *(si Petrus tentabitur, peccabit)* est possibilis tantum veritatis, vel falsitatis. Nam Petrus, si tentabitur, potest peccare; & potest non peccare. At hæc *(si Petrus tentetur, peccat)* est propositio determinatè vera, vel falsa. Ideoque est mera petitio principii. Sic vera est hæc *(possibile est mundum creari)* etiam in signo rationis antecedente Dei decretum. At posito semel decreto de mundo creando. *(mundus nunc creatur)* & creatio determinatè, & necessario necessitate decreti in tempore existit. 3. Etsi eadem sit veritas rei ante

13.

Ruiz. in disp. 68. ib. Vasq. in 1. tom. 1. disp. 67. q. 14. art. 13. c. 3. sig. 25. Arubal 1. q. 14. Alex. Pesantius in 1. Thom. 4. 14. art. 13. di. 14. *Alia est veritas propositionis conditionalis, cujus veritas ex conditione contingente suspenditur, alia propositionis absolutæ posita jam conditione.*

te positionem conditionis, & post positionem conditionis, non tamen est eadem quoad determinationem, si conditio ponenda non supponat decretum DEI, & conditio posita supponat decretum DEI. Tum si ponenda conditio sit tantum, propositio est possibilis veritatis, si jam posita sit, & supponatur decretum, propositio est determinatæ veritatis. Instat *Ruiz* sic, *licet decretum concurrendi cum libero arbitrio (sine physicâ prædeterminatione) prærequiratur, ut eliciendus sit noster actus liber, non est tamen necesse ut præsupponatur illud decretum actu existens, satis est in eo signo supponi ut futurum: quia futuritio causæ sufficit, ut effectus supponatur esse futurus, & ex eo determinatam veritatem accipiat propositio, alioqui quousque Samson actualiter existeret, & actualiter alligaret ignem caudis vulpium, non potuisset DEUS prævidere comburendas esse messes Philisthæorum.*

Ruiz, in tom. 1. de scient. Dei & Idæis disp. 86. sect. 4. fig. 9 10.

Respondeo 1. Ut vere eliciendus sit actus liber, hoc est, ad futuritionem actus liberi necesse est præsupponatur actu decretum, quod causa sit illius futuritionis, nam, ad effectum in actu, qualis est vera futuritio actus liberi, necesse prærequiratur causa in actu, quia effectus verè præsupponit causam sese priorem, sicut ad effectum in potentia, supponenda est causa in potentia.

Ad futuritionem absolutam supponitur decretum Dei determinans, ad futuritionem possibilem sufficit decretum, de rei possibilitate.

2. Si DEUS videt futuritionem actus liberi, & nondum actu sit decretum DEI concurrendi ad istum actum liberum, tum futurus est actus liber creaturæ, & decretum DEI potest tantum fieri. At illud decretum DEI vel potest fieri liberè à DEO, vel necessariò. Si liberè, potest Dei decretum illud nunquam fieri, nam quod decernit DEUS fore ut agens liberum, id potest DEUS non decernere, at in eo casu futurus esset actus liber creaturæ absque omni omnino DEI decreto vel existente vel futuro: Si decretum DEI sit futurum necessariò, illa necessitas vel esset conditionata, vel absoluta. Non conditionata: nam quoties DEUS decernit aliquid necessariò, necessitate ex hypothesi, toties hypothesis illa à DEO dependet, at in hoc casu hypothesis à DEO non dependeret. Quia 1. Absolutè quicquid DEUS decerneret, juxta naturam libertatis in æquilibrio ad nolle vel ad velle, posita omni actione DEI, actuum omnium liberorum futuritio aut non futuritio, prout creaturis liberis, non prout DEO visum est, antecedit DEI voluntatem. At DEUS illud non potest velle ex hypothesi, quod antecedenter ad ipsius voluntatem veram habet futuritionem

nem. At omnes actus liberi sunt tales, ex Jesuitis, qui veram futuritionem habent antecedenter ad ipsius DEI liberam voluntatem. 2. Quoties DEUS aliquid decernit necessitate ex hypothesi, illa hypothesis ab ipso DEO dependeret, at hypothesis hic ex DEO non dependet, nam hypothesis semper contingens quid est, quod etiam futuritionem habet antecedenter ad DEI voluntatem. Nec dici potest creationem agentis liberi esse hypothesin. Creatio autem ex DEO dependet, quia potest non creare, quod creat. Nam sic DEUS tale haberet decretum. (*Ego decerno concurrere cum voluntate Judæ ad sese interficiendum, si quidem creavero Judam liberimum agentem*) Nam creatio libertatis Judæ, vel ipsius Judæ non est vel conditio vel causa cur Judas sese interimat. Nam nulla ratio fingi potest quare creatio liberi agentis, sit conditio potius cur hoc velit, quam cur hoc non velit. At miserum est affirmare DEUM velle necessitate absolutâ futuritionem actuum liberorum; nam nullum fatum hoc fatalius excogitari potest. 3. Mirum est qua fronte Jesuita illam consequentiam tam damnosam nostræ causæ non probaret, nempe, infert, *Si ad futuritionem actus liberi necesse sit prærequiratur decretum concurrendi actu existens, tum Deus non potuisset prævidere messes Philisthæorum comburendas, donec Samson actualiter existeret*, At hoc sequi regiè dictitat, non probat; nam in actuali DEI decreto prædeterminante spiritum Samsonis excitare adversus juratos DEI hostes, vidit & præscivit DEUS messes Philisthæorum comburendas, idque ab æterno; nam non prærequirimus ad futuritionem illius combustionis DEI prædeterminatricem providentiam actu excitantem Samsonem ad segetes comburendas, (non tam stupidi sumus) sed ad futuritionem combustionis prærequirimus decretum DEI ab æterno actu existens, quæ causa fuerit illius futuritionis potius quam non-futuritionis. Et contra nostram hanc assertionem non militat argumentum Jesuitæ.

14. Sic Ruiz objicit. *Quando evenit à causis liberis eventus siniſter, ut fiebat filiis Jaakobi excusant homines non potuimus eventum conditionaliter futurum præscire.* GEN. 45. *Nunquid scire poteramus, quod dicturus esset, adducite fratrem vestrum vobiscum. Ergo supponunt tales propositiones esse enunciabiles & determinatè veras aut falsas. nec dicitur id nescíri, nisi quod ex objecto est assumabile & scibile, ideoque nullus sapiens accusaret alium his verbis; (nescis Petrus ambulando)*

14. Ruiz to. de scient Dei disp. 68. sect. 5. fig. 1. 2. & seq.

quia hic nullus est sensus. Hinc sæpè homines se accusant, quod opportunitates agendi non captassent. Supponunt ergo hoc bonum ipsis conditionaliter eventurum, si hoc vel illud feciissent tali occasione, Item rogati quid si hoc feciisses, quid tum futurum foret, dicunt ignoramus, Deus scit. Ergo talia conditionata sunt scibilia. Respondeo 1. Non concluditur τὸ κεχομενον; nam futura conditionatè non negamus esse scibilia, sed sunt scibilia ut possibilis tantum veritatis, at ut determinatæ veritatis, sunt scibilia in Dei decreto concatenante conditionem & conditionatum. Scivit Deus Josephum dicturum (*adducite fratrem vestrum vobiscum*) si fratres ipsius dicerent, sese habere fratrem domi, in decreto quo concatenavit ab æterno hanc conditionem & hoc conditionatum. 2. Etsi homines dicant sæpè, si hoc feciissem prosperè res successisset, nesciunt tamen an prosperè res fuisset successura etiamsi hoc feciissent; quia Deus decreverat, connexionem inter omnes optimas agendi talem rem opportunitates, & successum minimè prosperum. 3. Dico Deum scire quid eventurum foret, si *Josephi* fratres *Josephum* non vendidissent, & eum scire *Josephi* profectionem in Ægyptum non coactam, in suo decreto, quo concatenavit connexionem inter *Josephi* non-venditionem & talem eventum, quamvis *Josephi* non-venditio & ille eventus in rerum naturâ nunquam ponenda forent; nam ex nostrâ sententiâ omnes sapientes rerum connexiones sunt à Deo absolutè decretæ. Hæ autem connexiones sacrilegè eripiuntur Dei arbitrio à *Jesuitis* & *Arminianis*; & fortunæ aut fati imperio ascribantur necesse est.

Jesuitæ petunt principium supponentes omnes enunciationes de futuris contingentibus esse etiam ante Dei decretum determinatæ veritatis: quia sunt enunciationes, at hoc imprimis falsum, quia multæ enunciationes sunt possibile tantum verum.

15. Sic objicit Jesuita satis subtilis *Hieron. Fasolus. Deus scit media futura efficacia convertendis prædestinatis, & hæc scientia supponit voluntatem dandi talia media ad certissimam finis consequutionem. Ergo etiam ante hanc voluntatem supponit aliam scientiam cognoscentem & proponentem voluntati talia media ut infallibiliter connexa cum tali fine: quia cum ex innumerabilibus mediis quibus aliquis liberè consentire possit bono, quædam possunt tantum persuadere, quædam actu persuadebunt, antequam divina voluntas possit eligere prædestinato talia media infallibilia, debet intellectus divinus representare illi quæ sunt media fallibilia, quæ infallibilia: quia voluntas dandi hoc aut illud est voluntas quæ efficit existentiam & præsupponunt naturam & ejus proprietates. v. g. voluntas creandi ignem, dat quidem igni existentiam, non autem esse infallibiliter calefactivum,*

15. Fasolus in 1. Thomæ tom. 2. q. 14. art. 13. dub. 13. fig. 239.

calefactivum: quia etiam ignis, quem Deus non vult creare, est infallibiliter calefactivus suâ naturâ. Respondeo 1. Non necesse est ut voluntas dandi talia media præsupponat scientiam quâ DEUS scit quæ media sint infallibilia suâ naturâ; quia nulla media infallibiliter suâ naturâ movent voluntatem. Ergo movent infallibiliter ex DEI ordinatione liberâ, & sic in suo decreto scit quæ media sint infallibilia ad permovendam voluntatem. 2. Scit quæ media sint fallibilia, quæ non, non scientiâ mediâ, ante suum decretum, sed scientiâ simplicis intelligentiæ, novit omnia esse, suâ naturâ fallibilia. 3. Esto quod DEUS creet voluntatem, non tamen hinc sequitur voluntatem DEI, quâ creat voluntatem creatam esse causam dandi hoc vel illud medium ad exequutionem prædestinationis. Misera enim est hæc logica: DEUS creavit voluntatem Petri. Ergo dat Petro τὸ velle, potius quam τὸ nolle. Non sequitur. Alia argumenta pro commentitiâ hâc scientiâ, nullo ferè negotio diluuntur.

CAPUT VI.

De naturâ Permissionis.

HÆc de DEI præscientiâ, seu primò actu providentiæ sufficient: secundus actus est consilii divinæque voluntatis, de quo aliquid etiam dictum, addendum & hoc de permissivâ voluntate. Voluntas alia est efficiens, alia permittens. Quod ut intelligatur, de permissione divinâ hic disceptandum. Permissio propriè circa peccatum versatur. Variæ sunt divinæ permissionis considerationes. Prima consideratio est respectu moralitatis in permissione. Hinc permissio peccati, vel est justa, vel injusta. Justa est interdum permissio, quia *effectus per accidens* (ut docent Jurisconsulti) *sequutus ex actione vel omissione, non imputatur permittenti, nisi ei incumbat obligatio cavendi ne unum ex alio sequatur.* Quia ergo DEUS non obligatur impedire peccati existentiam, ideo permissio non est ei culpabiliter imputabilis. Permissio est injusta, cum quis morali obligationi impediendi subest. Sic

Prima consideratio permissionis.

Quid permissio

Sic Eli culpabiliter filios suos prævaricari permisit, quia eos, uti debuit, non repressit. 1 SAM. 3. 13. Potest quis physicum influxum, etiam ex debito morali, peccato contribuere, & non esse moraliter reus. Eli vitam & alimentum dans filiis (uti moraliter æquum est) non est reus ipsorum scortationis. Physicus ergo DEI influxus, quo dat vel potentiam peccandi, vel actum materialem non facit DEO notam imputabilitatis. 2. Interdum tamen homo physicè non impediens etiam per vim, ne laqueo quis sibi vitam finiat, est reus peccati propter moralem obligationem, innocens tamen hic est DEUS, esto quod physicè scelus illud promoveat. Hinc ista consectaria. 1. Nec influxus physicus qua talis permittentem societate sceleris implicat, nec negatio influxus, ubi adest moralis obligatio impediendi, è scelere explicat, & eruit. 2. Sola obligatio impediendi est formalis ratio imputabilitatis. 3. Quia vero, sola lex obligationem inducit, nota imputabilitatis ei qui legi non subest, inuri minimè potest.

2. *Secunda consideratio permissionis quatenus permissio positivam Dei voluntatem includit.*

2. *Permissio* consideratur 2° modo, ut ad DEUM refertur, sic verò permissio nec opponitur omninò DEI voluntati aut pervigili curæ quasi invitus, aut *Epicurei* more permitteret peccatum. 2. Nec omnipotentiæ contraria est permissio, quasi DEUS impedire non valeret. 3 Nec scientiæ DEI. 4. Nec denique determinato consilio aut intentioni est adversa. Quippe DEUS, volens, curans, omnipotenter agens, sciens, & ex deliberatâ intentione res permittit.

Tertia consideratio.

3. Permissio 3° modo refertur ad rem permissam, & hic quatuor respicit. 1. Permissio respicit actum materialem malitiæ, & est negatio efficientiæ, quæ necessaria fuisset ad actum, sed DEUS propriè efficit actum, non permittit. Quando verò actus permitti dicitur connotatur malitia ratione cujus actus permitti dicitur. 2. Refertur ad malitiam actus, & videtur esse negatio gratiæ & rectitudinis, quæ si adesset, actum gratioſè qualificaret, & sibi permittitur malitia. 3. Refertur ad aggregatum ex actu & malitiâ. In hac relatione est propriè etiam permissio peccati. 4. Refertur ad libertatem actus, estque DEI laxatio seu toleratio quâ DEUS voluntatem suo connaturali modo agendi dimittit, & hæc impropriè est permissio, seu potius est non violentatio causæ secundæ, ordinarius enim DEI concursus effectivus cum omnibus

causis

causis secundis, sive naturalibus, sive liberis, est non-violentatio eorum motuum connaturalium.

Quarta consideratio. Permissio legalis seu moralis, & physica.

4. Permissio 4° modo refertur ad Dei permittentis actionem vel moralem, vel physicam. Hinc alia est permissio legalis, alia physica. Legalis est cum quis non coercetur lege, ne malè agat, nisi reatum & pœnam incurrat. Hæc permissio non tam propriè actum quam moralitatem legalem actus respicit, dicitur aliter moralis, & suasoria permissio; est Deo, suppositâ æternâ lege de bono & malo morali, non libera, sed necessaria: nam repugnat Dei naturæ sanctissimæ malum imperare, aut bonum vetare. Permissio physica est quando quis, nec, obice posito, ab agendo alium impedit, nec ad agendum liberum agens vi impellit, sed objici potest. Act. 14. 16. *Deus permisit gentes suis ipsorum viis incedere*, Nempe negato illis lumine Euangelii, ut patet ex textu, nunc *omnes ubique jubet resipiscere*. Ergo Deus interdum morali permissione permittit quosdam peccare, nempe negando legem scriptam vel Euangelium. Respondeo. Permissio moralis duplex est. Alia est quando voluntate revelata significat sic laxare creaturam rationalem à lege, quo possit licitè peccare, & hoc est impossibile. Alia est moralis, quæ physicam etiam permissionem includit, quando Deus suasoria argumenta peccati impediendi aliqualem vim habentia uti interdum Euangelium, interdum propter peccata, cognitionem salutarem subtrahit, & sic hoc posteriore modo Deus liberè permisit gentes in viis malis incedere, & permissione morali & physica, negando Euangelium & operationem gratiosam spiritus, quæ Euangelium comitatur.

5. Quinta consideratio. Permissio opponitur effectioni actus vel impeditioni.

5. Permissio physica vel opponitur effectioni actus mali, vel impeditioni, quod accuratè in hac materiâ spinosâ observandum est. Permissione oppositâ effectioni, Deus non interdum, sed semper, non liberè, sed necessariò, permittit peccatum, quia nunquam efficit aut committit peccatum, & hæc permissio necessariò Deo convenit: at permissione oppositâ impeditioni, interdum tantum & liberè, quoties ita visum fuerit, peccatum permittit, nam liberè impedit, aut non impedit Angelos aut homines peccare, permittit Adamum peccare, poterat non permisisse, hoc est, non impedire, vel impedire poterat. Permittit hunc vocationi resistere, illum non permittit resistere, sed efficaciter ad Christum

trahit tollendo impedimenta, quia ita vult: Permissio opponitur effectioni contradictoriè, & in suâ generalitate plus est quam non impedire, vel efficere; nam locum habet non tantum in categoriâ actionis, sed etiâm in categoriâ substantiæ, qualitatis, relationis, & reliquarum. Ut permittit Pharaonem vivere, & esse patrem, & regem, hoc est, Pharaonem è medio non tollit, regno & filiis non privat: sic concupiscentiam in renatis habitare permittit, hoc est, non tollit, Jobum affligi permittit, hoc est, mala ei incumbentia nec antevertit nec aufert. Permissio opponitur impeditioni privativè, est enim quædam privatio impedimenti. Et permittens non ponit obicem agenti, qui tale est, aut ad agendum propendenti. Utraque consideratione Deus propriè non est permissor in actibus bonis, quia est effector, & non nudus non-impeditor. Deus vero suasor nunquam est in malis, hoc est, authoritatem jubentis nunquam interponit, ut quempiam ad peccandum hortatione soliciter. At quando Diabolus & homines malum suadent, Deus potest esse agens physicum, non impediens, quo minus suasiones Diaboli & hominum, eo directæ sint, ut homines peccent.

6. *Sexta consideratio. Permittitur vel intellectus vel voluntas.*

6. Si permissio ad homines permissos referatur, tum aliquid permittitur vel intellectui, vel voluntati. Intellectui bifariam. 1. Quando Deus lumen, quo quid agatur, scitur, negat; sic permissio in malis pœna est, licet sic Deus permittit nullos omninò in legem naturæ, quippe quam omnium cordi insculpsit, peccare. 2. Quando Deus non tam lumen habituale negat, quam usum luminis, nec concursum dat requisitum ad actualem pensationem & considerationem boni hic & nunc faciendi, hominemque oblivioni & ignorantiæ interpretativæ relinquit; ideoque Deus Adamum peccare permisit, & non permisit. Permisit voluntatem labi, non efficaciter movendo eam ad sanctè abstinendum à concupiscendo fructu vetito. Non permisit intellectum labi, & etiam permisit. Non permisit [illegible]ia actione suasoriâ, legis puta interdicto, vetuit peccatum primum, nec subtraxit lumen habituale quo poterat Adamus à peccato revocari. Permisit: quia Adamum ignorantiæ interpretativæ reliquit: nam Deus actu concursum non tribuit quo Adamus actu actum malum, & pœnam pensitaret.

7. 7. In eo qui propriè permittitur peccare, præsupponitur propensio ad agendum; ideo lapides & brutæ non permittuntur peccare: quia

quia iis nulla inest ad peccandum propensio. Si permissio sumatur, uti abusivè sumunt *Arminiani* & *Jesuitæ*, prout efficientiæ opponitur, tum concursus non est de essentiâ permissionis, quia concurrens est agens, permittens non agens. Ex permissione in hac notione forte negant illativè sequi peccatum, quia ex negatione non sequitur affirmatio: sed forte bona logica dictitaret ex negatâ formâ illative sequi privationem in subjecto capace, debito tempore, uti est hæc illatio. Deus non efficit in homine obedientiam hic & nunc imperatam. Ergo necessariò hic homo hic & nunc peccat. Optime sequitur. Fateor non sequi ex quacunque non-efficientiâ. Si permissio sumatur ut impeditioni opponitur, tum subtractio concursus non est de essentiâ impeditionis: quia impedire est ponere obstaculum & actui & propensioni ad agendum, at subtrahere concursum est quidem obicem ponere actui, non verò propensioni ad agendum.

Objectio 1. *Deum subtrahere concursum ab igne Babylonico est Deum impedire, quo minus ignis comburereret tres pueros. Ergo Deum subtrahere concursum est Deum impedire voluntatem, ne velit.* Respondeo. 1. Negatur Antecedens. Deum subtrahere concursum est actum impedire impropriè, quia non inhibuit Deus vim comburendi in igne. Interrumpit actum ignis, non propriè impedivit. 2. Miraculosè fortè Deus propensioni ignis vim intulit, inde non sequitur à facto miraculoso ad impeditionem ordinariam. 3. Simpliciter nego sequelam: quia Deus non statim impeditor est actuum, quos procurare potest, & non procurat; nam potest procurare actus bonos in Angelis & hominibus, quos nunquam creavit, at non dicendus est impeditor talium actuum. Obj. 2. *Quando voluntas renati movetur ad adulterium ex bono apparente, tum impeditur voluntas, ne velit actum castitatis, & voluntas formidine pœnæ impediri potest, ne velit adulterium. Ergo potest impediri actus voluntatis nullo obice posito propensioni voluntatis.* Respondeo. Fateor me talium hoc argumentum torsisse, sed dico vocem impeditionis laxius hic sumi, pro eo quod est quovis modo procurare, ut actus boni & mali non existant, hoc modo Deus actus voluntatis impedire potest & physicè & moraliter, at si impedire formaliter sumatur, pro eo quod est actum tollere, vel actui, quo minus fit, obstare; obice posito physicæ voluntatis propensioni, tum voluntas volens

Quomodo Deus impedias actus voluntatis.

impedita

impedita est voluntas contra suam physicam propensionem agens, id est, voluntas-volens nolens & invita, quod implicatorium est. Adde, quod omnis actio voluntatis liberæ, qua libera est, sit verè ethica & moralis vel ex bono vel malo apparente vel vero; at cujus voluntas est impedita in actu bono, is non est laudandus, & in malo, non est vituperandus, (ut patet in dæmoniis credentibus ex puro intellectus physico motu, sine ullâ voluntatis ad bonum inclinatione, cum interim contremiscant, Jaco. 2. 19.) ut cuivis patet: at si vellet quis actum castitatis impeditâ propensione, voluntate interim motu ethico & morali ductâ ad eum actum, invita vellet eum bonum actum, & talis volitio bona non esset ei laudi, quod grave est ἄλογημα. Factum invite præstitum laude non est dignum.

8. 8. Permissio Theologica non est nobis nuda negatio efficientiæ Dei, sed negatio gratiæ habitualis & actualis, qua creatura adjuvaretur ad actum: voluntas Dei ideo actum permittit, quia influentiam generalem & specialem subtrahit. Voluntas itaque permittens, quia fit, ut recte D. Clarisc. & doctiss. *An. Rivetus* ait, *ex (Dei) voluntate utendi creaturæ fragilitate ad suam gloriam. Non innuit Deum nolle actum fieri*, sed Deum non approbare, aut morali complacentiâ appetere nolle actus malam moralitatem. Itaque est in Deo physica complacentia in actu, quatenus juxta primævas sui instituti leges, ut prima causa concurrit ad actum, cum tamen actus vitiositatem, quod attinet ad moralem complacentiam, odio habeat: uti pater terrenus filium sibi nasci, complacentiâ physicâ gaudet, at sceleratum, morali displicentia, esse dolet. Malitia qua talis dupliciter permittitur. 1. Quatenus non curatur habitualis ἀνάμνησις. Nulla est hic derelictio voluntatis operationi suæ, nisi forte in habitu male agendi acquisito, sed tantum Deus non tollendo malitiam per infusionem gratiæ, malitiam permittit. At 2. ἀνάμνησις actualis permissio est negatio gratiæ habitualis & actualis, quæ efficientiæ gratiosæ negationem connotat, Deus concurrit cum homine oscitanter orante, negatâ gratiâ, unde fervor orandi remittitur, & cum igne ardente, imbre cœlitus dimisso ardorem extinguente. Hinc in eodem actu dantur 1. impeditio, per negationem gratiæ ut 6. datâ tantum, ut 3. & per contrariam actionem imbris ardorem ignis remittentem. 2. permissio

Rivetus in disp. Theol. 1. de prov. thes. 24.

Complacentia Dei physica fertur in actum, & moralis displicentia in ἀνάμνησιν actus.

Sæpè in eodem actu, hæc quinque concurrunt. 1. impeditio physica 2. permissio. 3. concursus Dei. 4. moralis impeditio. 4. moralis fusio.

Permissio, (tepidè & oscitanter orare, est peccatum) 3. & concursus, & 4. moralis impeditio, vetatur enim oscitantia in orando, & 5. moralis suasio; nam oratio jubetur, & imperatur à DEO. Et hæc quinque sæpè in eodem actu sunt.

CAPUT VII.

1. *An Permissio sit nuda non-violentatio, seu non necessitatio voluntatis, ut volunt* Jesuitæ, Pennottus, Pesantius, Ruiz, *&* Arminiani. 2. *An permissio & impeditio peccati fiant à DEO tantum suasorio modo?*

1.

DE *Permissione* septem mihi quæstiones agitandæ sunt. 1. est, An permissio sit mera voluntatis non-violentatio. 2. An permissio & impeditio fiant modo planè suasorio. Et de hisce hoc capite. 3. An ex permissione peccatum necessario & illativo nexu sequatur. 4. An permissio sit absoluta, an vero conditionata nitens voluntatis inclinationi, quæ prius permitti cupiat, quam à DEO actu secundo perficiatur permissio. 5 An permissio peccati sit reprobationis effectus à DEO intentus. 6. An voluntas DEI permittens sit pura nolitio rei permissæ, & anneget omnem actum positivum DEI voluntatis, prout ea terminatur in rem permissam, Hinc 7. restabit principalis, in hâc disputatione, quæstio, an permissio DEI sit talis actus actuosæ DEI circa peccatum providentiæ, quo DEUS aliquo modo velit peccatum fieri se permittente, videlicet, & permissive.

Septem quæstiones de permissione discutiendæ.

Permissio Jesuitis est merus usus liberi arbitrii.

2. Ut *Jesuitæ*, *Gabr. Pennottus*, *Dida. Ruiz*, *Ægidius de Coninck*, *Alex. Pesantius*, ut & *Arminiani* volunt, Permissio est tantum voluntatis suæ indifferentiæ, & connaturali agendi genio & indoli, derelictio seu dimissio, quâ pro suâ naturâ agere sinatur: ideo est tantum non-violentatio, non-constrictio, non-prædeterminatio voluntatis liberæ, ut docent *Pennottus*, & *Ruiz*, vel ut loquitur *Pesantius* 5.

Pennot. in propugnac. hum. libertatis, lib. 4. c. 8. fig. 4. Ruiz in 1. disp. 39. sect. 2. fig

Pezantius in 1. quæst. 19. art. 8. disp. 2. Coninck. tom. de acti. supernaturalibus lib. 1. disp. 3. dub. 16. sig 208. Remonstr. in confess. c. 6. de provid. thes. 6. Deutero. 18. 14. Levit. 19. 17. Genes. 20. 6. Psal. 105. 14. 1 Cor. 10. 13. Job. 31. 30. Act. 13. 18. Act. 14. 16. Act. 17. 30. Dyonisius.

Permissionem non esse nudam non violentationem libertatis probatur argumentis multis.

Pesantius non-impossibilitatio ad peccandum. *Remonstrantes* volunt ad veram permissionem requiri, *ut non tantum potentia, sed & usus potentiæ liber sit, atq; ad opposita indifferens, sive ut ab omni interna & externa necessitate immunis maneat.* At contra, nos docemus permissionem aliquid plus formaliter includere, quam est nuda non-violentatio causæ secundæ, quod sic demonstro. 1. Ea permissio non est ferenda, quæ locum habet in actibus bonis, & supernaturalibus, æquè ac in malis. Atqui non-violentatio, non-constrictio violenta locum habet in actibus bonis, & supernaturalibus, æquè ac in malis. Ergo talis permissio non est ferenda. Major est certa. Quia Scriptura permissionem ad actus tantum peccaminosos restringit. Et Minor æquè certa est. Nam Deus voluntatem ad actus bonos non violentat, & absurdum est, si quis diceret Deum permittere ut Christus peccet & ut *Petrus* non aliter quam *Hymenæus* & *Phyletus* in Apostasiam labatur; nam nec Christi nec Sanctorum voluntas à peccatis violentatione revocatur: Sic enim in hoc quod non peccant, Deo non obedirent; nam nulla actio violenta est obedientia. Et absurdum est dictu Deum permittere Christum orare, prædicare, aut Apostolos prædicare, credere, persecutiones pati æquo animo, & omnia hæc fieri permissione Dei. 2. Ea non est permissio liberæ voluntatis propria, quæ communis est omni causæ secundæ, ut patet: at hæc non-violentatio terminatur in omnes causas secundas, tam naturales, quam liberas; nam Deus, *cujus providentia* (ut ait *Dyonisius*) *est salvativa naturæ*, causas omnes etiam naturales non-violentat; nam concurrendo cum sole illuminante, igne calefaciente, lupo ovem devorante, non vim infert, sed tales causas modo connaturalissimo agere sinit. At aliter ignem calefacere Deus permittit, quam permittit *Sabæos Jobum* affligere, & *Pharaonem* populum Dei servitute opprimere. 3. Permissio in Scripturis, hortationi ad resipiscentiam per Euangelii prædicationem, opponitur. Act. 17. 30. Act. 14. 16. Sed permissio, quæ est non-violentatio voluntatis liberæ, non opponitur hortationi ad resipiscentiam; nam Deus ignem in ignescendo non violentat: quia sic permitteret ignem calefacere, nempe, non hortando ignem ad ignescendum, quod ridiculum est. 4. Sancti orant ne Deus ipsos in tentationem induceret, hoc est, ne ipsos peccare

peccare permitteret. At si permissio sit tantum voluntatis, suæ naturæ & connaturali agendo modo, dimissio, tum sancti orarent, sic, ut destrueret ipsis DEUS naturalem libertatem, & voluntatem cogeret & violentaret. Vide *D. Bannem.* At absurdæ & blasphemæ essent tales preces. 5. Solvere creaturam liberam in suis actibus à dominio Creatoris, ejusque providentiæ, non est permissio providentiæ dominatricis in causas liberas, earumque actus, propria, sed dimissio voluntatis suæ indifferentiæ, ut absolutè agat, vel non agat, est solvere creaturam a dominio Creatoris, ejusque providentiæ, uti jam antea probavi. Ergo talis laxatio & dimissio voluntatis non est permissio, *&c.* 6. Permissio Scripturæ sæpè est pœna peccati, sed sinere ut voluntas suâ utatur indifferentiâ ad agendum vel non agendum modo naturæ suæ connaturali, non est pœna: quia est naturæ beneficium. Hæc ergo non-violentatio non convenit omni permissioni. Non est ergo de essentiâ permissionis. At sic objicerent fortassè. *Permissio physice sumpta & actu primo est essentialiter talis laxatio voluntatis, sed moraliter tantum & in actu secundo, quoties sequitur peccatum ex tali laxatione, est pœna peccati. Hinc non recte dicitur Christum, & Apostolos, & Sanctos, quoties orant, credunt, sperant in Deum & eum diligunt, permitti à Deo ut peccent, quia peccatum non semper sequitur ex permissione in actu primo, hoc est, ex laxatione voluntatis, quæ ipsa suo connaturali modo agendi relinquitur.* Respondeo 1. At grave est adversariis inconveniens in primo lapsu *Adami* permissionem utramque reperiri ante omne *Adami* demeritum. 2. In diabolis homines ad stupra, veneficia, parricidia & ad omnia flagitia solicitantibus, hoc pacto, eadem permissio esset, nempe, non-violentatio voluntatis, (nam diaboli ad tentandum nullâ violentiâ coguntur) quæ est in CHRISTO & confirmatis in gratiâ, in omnibus actibus supernaturalibus; nam utrobique est Adversariorum non-violentatio: at hoc absurdum nunquam effugient. 7. Permissio est actus positivus divinæ voluntatis, DEUS enim sciens & volens permittit peccatum; at laxatio voluntatis Jesuitica est nuda non-actio, & actus merè negativus.

Bannes to. 1. q. 19. art. 23.

3. Hinc facilè viderit lector, quo tendat permissio adversariorum, quam illi DEI providentiæ dant. Nam 1. Nihil fecit DEUS in bonis Angelis, quò starent, & in gratiâ confirmarentur,

Qualem Deo affingant permissionem Adversarii.

quod non fecit in Angelis Apostatis, nam & horum & illorum liberum arbitrium non violentavit, & malis & bonis Angelis Apostasiam à DEO facere, erat ex æquo liberum. 2. Merè fortuito etiam respectu DEI hominis Apostasia, & incarnationis necessitas hoc pacto evenient; nam DEUS tantum causalitatis contribuit ad non-lapsum hominis, atqui ad lapsum & occasionem illustrandæ justitiæ vindicatricis, & misericordiæ parcentis. 3. Nihil DEUS ex se fecit, sed tantum motus à lapsu Adami, (quem nec voluit, nec unquam ex adversariis intendit) fuit, & ad decretum faciendum de mittendo Salvatore, & ad eum salvandi modum actu exequendum. 4 Nisi DEUS violentasset voluntatem Adami & Evæ non poterat procurare eorum perseverantiam in obedientiâ. Adeoque DEO impossibile erat & contradictorium procurare Adami obedientiam &, a lapsu sanctam abstinentiam, siquidem Adamus suo connaturali modo agendi, uti vellet. 5. Et CHRISTUS θεάνθρωπος, omnes Electi & confirmati in gratiâ, & qui sanctissimè viis obedientiæ invigilant, eodem modo permissi sunt finaliter à DEO labi, & Apostatæ evadere, quo Diaboli & primi parentes à DEO deficere permissi sunt, & ex parte divinæ providentiæ ex æquo ad tentationem inducti sint, si excipiamus, quod *Deus* quædam lapsus finalis impeditiva Christo & Electis tribuit, quæ tamen impedimenta si volet ita liberum arbitrium creatum, omninò ex setâ inefficacia sunt, quam impedimenta omnia voluntati liberæ diabolorum & primorum parentum quæ tanquam fulcra fragilia & frangenda à DEO opposita sunt. O fortunam lubricam!

Ruiz de scient. & ideis in 1. a quæst. 14. ad 18. dis. 39. sect. 2. fig. 5. 6. 7. 8. & sect. 5.

4. Palmaria ratio Jesuitarum est. *DEVS* (inquit Ruiz) *reliquit hominem in manu consilii sui, hoc est, permisit, non inclusit carcere, non vinculis constrinxit, ut non posset movere seipsum, quo vellet, non injecit necessitatem operandi, & permanendi in unâ operatione, nec addixit impossibilitati transeundi ad aliam operationem;* —— *Nam relinquere idem est in præsenti quod sinere & permittere.* —— *Præpositio* (*in*) *significat plerumque indifferentiam potestatis ut operetur & non operetur.* JOB. 6. *Non est auxilium mihi in me.* ROM. 1. *Quod in me promptum est.* —— *In manu, significat indifferentiam necessitate atque impossibilitate solutam.* ECCLES. 33. *Quasi lutum figuli in manu ipsius plasmare illud, &c.* PSAL. 30. *In manibus tuis sortes meæ.* —— JOB. 1. *Ecce in manu tuâ universa quæ habet.*

Satan

Satan non tantum radicalem potestatem voluntatis & propensionem spontaneam, sed etiam solutam vinculis necessitatis aut impossibilitatis habuit à Deo, verba (consilii sui) idem probant —— sub consilium cadere non potest actio quæ ab alio determinata est, &c. Alii sic. ACT. 24. *Felix jussit ut laxaretur Paulus, & ne quis prohiberetur ex ipsius familiaribus ei ministrare aut eum adire. Laxare ergo voluntatem est vincula tollere, quibus ad hæc determinatè alligatur, ne illud posset, quod vult, sicut Paulus ligatus non poterat huc vel illuc sese movere, & ipsum inclusum carcere non poterant amici adire vel non adire pro libitu.* Respondeo 1. Negatur quod ex falsâ loci interpretatione colligitur. Nam 1. Relinquere est quidem permittere, & à vinculis efficacis gratiæ primum hominem ad obedientiam liberam prædeterminatricis solvere, sed 1. Non erat Adamus providentiæ dominio solutus; nam sic DEUS non fuisset Dominus actuum liberorum ✝ nolle, & velle, Adami, quod blasphemum est. 2. Præpositio (*in*) non significat indifferentiam operandi vel non operandi; nam ad loc. JOB. 6. dico, si quid fuisset auxilii in Jobo, id determinatum fuisset ad miserum hominem ex ærumnis & cruciatibus, tum animi, tum corporis expediendum, quasi vero indifferens fuisset miser ad sese liberandum, si quid virium habuisset. Ad Ro. 1. Quicquid gratiæ aut virium fuit in Paulo ad Euangelizandum Romanis, illud indifferens non fuit ad concionandum, vel non concionandum; nam gratia non est indifferens ad peccandum vel non peccandum. Ad *Apocryph.* ECCLES. 33. v. 13. (*in figuli manu*) est quidem in potestate ipsius, sed semper regnante providentiâ, sed homo (nam claudicat omne simile) longe aliter subest absoluto DEI dominio. Ad loc. 1. JOB. Ille locus nobis favet; nam potestas illa Satanæ à DEO concessa non fuit indifferens ad Jobum affligendum, vel non affligendum; nam ex Jesuitis, sic motione morali incongruâ moveretur Diabolus ad commiserationem servorum DEI, ex Arminianis, potestas nocendi in Dæmoniis non subditur libero arbitrio; nam Diaboli non agunt jam liberè, si illis credendum. 2. Hæc potestas erat determinata Per malitiam Satanæ erga DEI servum, Per gratiæ efficacis, qua diabolis nocituris, Sanctis obex poneretur, negationem, Per sapiens DEI decretum, quo servi sui fidem & patientiam explorare, & tandem coronare statuerat.

Permissio bonum & Diabolo tributa in scripturis non est indifferentia voluntatis liberæ laxata à providentiâ Dei prædeterminatrice, quâ possunt peccare vel non peccare, ut aiunt.

Denique fatendum erat Jesuitæ liberum & indifferens fuisse torquendi vel non torquendi Jobum, Principium in Satanâ, quod est ἀδιάλογον. Neque vox *consilii* omnem determinationem respectu primæ causæ excludit. Milites verè consultabant, num Christi crura frangerent, at ut frangerentur erat impossibile. Dico providentiam prædeterminantem non esse instar vinculorum Pauli, & carceris: Paulus enim invitus vinculis ligatus, & carcere inclusus erat, amici inviti ab occlusis carceris foribus præpediti, ab eo invisendo detinebantur: at prædeterminatio Dei vinculis admodum placidis & liberalibus alligat voluntatem ad illud unum oppositorum, ad quod ipsa voluntas sese de facto alligat. Simile aliquid probaret, si prædeterminatio renitentem & contraluctantem alligaret, uti vincula Paulum exsolvi cupientem & ad sese expediendum imparem, implicitum ligatumque distinuissent, si ligatus fuisset.

Jesuitæ. Arminiadisp. pub. 10. thes. 4.

5. Secunda quæstio est de modo permissionis. *Arminius* sic definit: *Permissio* (inquit) *est omnium impedimentorum suspensio, quæ Deus novit, si adhiberentur, impeditura peccatum.* Sed *Arminio* omnis permissio, est suasionum moralium mera suspensio. Nec aliter, ex *Arminio* Deus peccata impedit, quam suasionibus. Quod omnino est absurdum. 1. *Arminius* vult aliam impeditionem peccati esse sufficientem, aliam efficacem. Jam posito impedimento sufficiente, & non efficace, non necesse est peccatum fiat, imo necesse est peccatum non fiat. Unde sequitur. Quotiescunque Deus sufficienter impedit peccatum, necesse esse, ut tum efficaciter & necessariò procuret ut fiat peccatum, & quoties Deus sufficienter suadet obedientiam, toties efficaciter procuret ut fiat rebellio & non-obedientia. Probatur sequi: quia si non sequatur efficax impeditio peccati ex sufficiente impeditione (uti certè non sequitur, sic enim impeditio aut suasio sufficiens esset efficax) necesse est sequatur non efficax impeditio, & non efficax suasio, nam necesse est subjecto capaci insit vel forma vel privatio. (Et hoc argumentum militat etiam contra impeditionem resistibilem) Et si sequatur non efficax impeditio peccati, tum sequitur tantum sufficiens impeditio peccati, at vero sufficiens tantum impeditio peccati necessario infert efficacem peccati existentiam. Ideoque quoties Deus *Pharaonem* sufficiente suasione à rebellione impedit, toties

Impeditio peccati quam Arminiani comminiscuntur est efficax procuratio ut fiat peccatum.

toties efficaciter procurabat *Pharaonis* rebellionem. 2. Si DEUS suasionibus tantum impedit peccatum, tum non majore vi aut fortiore dominio hic agit, quam *Cicero* aut *Demosthenes*, nec excellentior erit talis providentiæ actus, quoad speciem actus, quam hominum aut Angelorum suasio; nam esto quod infallibilior & certior sit DEI suatio, quam hominum propter DEI suadentis scientiam infinitam: scientia tamen illa nihil causalitatis suasioni confert, & sequitur tantum suasionem DEI esse excellentiorem secundum aliquod accidens, suasione hominum, at majus & minus non variant speciem. 3. Qui ita impedit peccatum, ut certa sit peccati futuritio, posità illâ impeditione, tam permittit peccatum fieri, quam impedit, quo minus fiat, & DEUS simul in eodem actu erit & peccati permissor & impeditor: At si DEUS suasoriè tantum impedit peccatum, tam permittit peccatum fieri, quam impedit, quia nulla suasio indeclinabiliter ponit peccatum non futurum, sicut neque ponit futurum. At quia permissio peccati & ejusdem impeditio inter se opponuntur, Absurdum est DEUM in eodem actu esse impeditorem & permissorem peccati. 4. Quia si DEUS suasionibus tantum impedit peccatum, non est quod quis DEO gratias abstinentiæ à peccato, potius quam non-abstinentiæ agat, quia posità omni DEI impeditione, potest tam peccare, quam non peccare, is qui solâ suasione impeditur, quo minus peccet. At hoc absurdum, nec potest quis orare ullâ, in DEUM, fiduciâ, ut à peccato committendo divinitus liberetur: quia suasione tantum, cui quis facile resistere potest, DEUS impedit peccatum. 5. Quia DEUS ex *Arminio*, *Vorstio*, & *Corvino*, prædicat verbum eo fine hominibus jam obduratis, ut tanto justior sit eorum pœna: at si suasoriè tantum impedit peccatum, tum Verbo dicit, se velle ut impediatur peccatum, nempè, istis suasionibus, & quia utitur iis suasionibus ut præfracti talia audientes gravius sibi judicium accersant, simul etiam intendit in eodem actu ut efficaciter exsistat præfractorum contumacia, & sic intendit in eodem actu ut fiat peccatum, & ut non fiat, ut fiat, ut justior sit pœna rebellantium, ut non fiat, quia suasoriè impedit, quo minus fiat peccatum. At sic contradictoriè erunt in Deo voluntates, & hypocrisis. Nec minus inconveniens est sententia *Jesuitarum* ponentium permissionem resistibilem, seu talem quam fallere, & suo fine spoliare potest humana voluntas.

Impeditio mere suasoria Arminianorum profligatur.

Arminius Antiperkins. p. 66. Vorsti. amic. colla. cum Piscato. pag. 36. Corvin. contra Molinæum c. 4. q. 4.

Arminiana permissio ponit in Deo voluntates contrarias.

CAPUT

CAPUT VIII.

An positâ permissione Dei, sequatur peccatum necessario saltem necessitate consequentiæ, licet non nexu causali.

1.

Fonseca Metaph. lib. 6. c. 2. q. 5. sect. 7. Lessius de divin. perfect. lib. 11. cap. 6. Fasolus in 2. tom. 2. q. 14. art. 13. dub. 11. fig. 143. Ruiz de prædefinit. tract. 2. disp. 11. sect. 2. sig. 3. Remonst. confes. c. 6. thes. 3. Episcop. disp. 7. de providen. thes. 13. Corvin. con. Molinæ c. 6. q. 6. Armini. Antiperkinf. pag. 667. edit Bertii.

HÆc tertia est quæstio. Docent Jesuitæ, positâ permissione necessario sequi peccatum, non vi permissionis, sed propter permissioni annexam præscientiam. Sic *Fonseca, Lessius, Fasolus, Ruiz.* Aliter instituunt *Remonstrant. Arminiani, Episcopius, Arnoldus Corvinus, Jac. Arminius. Corvinus* dicit *absurdum esse Deum ponere legem, secundum eam præscientiam quâ scit (hominem) eam transgressurum esse: quia sic determinata esset voluntas ad unum.* Et *Arminius* dicit *Deum non semper ex præscientiâ sibi finem proponere.* At sic nullâ necessitate peccatum sequitur ex permissione. *Vorstius* ait, *decretum permittendi esse posse, licet peccata nunquam fiant*; ideoque ait *permissionem non antecedere peccati perpetrationem causaliter, sed adjunctive tantum consequi.* At mirum est hominem prius peccare, quam à Deo peccare permittatur; nam subjectum est adjuncto prius, & adjunctum subjecto posterius. Non valet itaque ex *Arminio* hæc sequela. Hic est permissus peccare. Ergo hic peccat.

2. Censuram fert doctiss. & clariss. vir D. *Gul. Tuissus* in *Perkinsium* & *Piscatorem*, eo quod docuerint *illativè sequi peccatum ex permissione*, Sic arguebat *Piscator. Permissio & res permissa sunt relata: at posito uno relatorum, necesse est poni alterum.* Sic retorquet D. clariss. *Tuissus pari ratione, sequitur ab æterno Deus voluit mundum* (quippe ab æterno mundum creare decrevit) *sequitur ab æterno mundus est volitus. At non sequitur. Ergo ab æterno mundus est: ideoque non sequitur est permissio. Ergo est peccatum permissum.* 2. Sic arguit acute pro suo more Clariss. *Tuissus. Permittere est negare gratiam efficacem, quâ vitaretur peccatum, Deus semper negat re-*

Vorstius amic. dup ad Piscat. pag. 211. 212. D. Tuissus in vind. grat. cont. Arminf. Antiperkinf. lib. 2. digres. 3. sect 2. crimnat. 3. fig. 4. Perkinf. de præd. pa. 29. Piscat. ad Amic. Vorst. pa 231.

& alia

probis gratiam efficacem, quâ dirâ, vitarent fornicationem, homicidium & alia id genus flagitia. At non sequitur. Ergo reprobi semper fornicantur, semper occidunt. Sed forte facile est inter tantos tantas componere lites; nam *D. Tuissus* sumit permissionem pro negatione gratiosæ efficientiæ, & sic permittere est DEUM non efficere ut quis gratiosè abstineat à peccato. Hoc modo valet, quod urget *D. Tuissus.* DEUS semper permittit reprobos occidere, at non semper occidunt: Nam ex negatione qualicunque non sequitur affirmatio. *Ut Catulus ante nonum diem non videt*, non tamen sequitur. *Ergo catulus ante nonum diem est cæcus*: quia visus non inest à naturâ, nisi post nonum diem. Sed permissio, ut *Perkins.* & *Piscator* vocem sumunt, plus est quam nuda negatio efficientiæ gratiosæ; nàm sic aliquid superaddit tali negationi. Neque permissio sic est actus in DEO æternus, & immanens, uti intellectio & volitio, sed aliquid plus connotat, quam vel voluntatem negandi, vel ipsam negationem efficientiæ gratiosæ. Sic forte definiri potest permissio indefinitè & in genere prout opponitur efficientiæ: non vero prout opponitur & efficientiæ & impeditioni; sic enim permissio est positivus providentiæ divinæ actus non impediendi peccatum, & negatio gratiosæ efficientiæ hic & nunc requisitæ, ad vitationem peccati, urgente hic & nunc mandato affirmativo. Unde nulla est hæc sequela. DEUS Petro alto somno ligato negat gratiam efficacem, quâ oraret. Ergo Petrus culpabiliter non orat; Nam ex merâ negatione gratiosæ efficientiæ, nec sequitur peccatum esse vel in genere vel in specie; nam ad permissionem fornicationis plus requiritur, quam negatio efficientiæ gratiosæ. Requiritur enim negatio efficientiæ gratiosæ requisitæ hic & nunc, tentatione solicitante, & præcepto de abstinendo à fornicatione, hic & nunc urgente formaliter hominem dispositum, vigilantem, sanum non ægrotum. Negatio efficientiæ in genere rectius fortè dicitur defectio, quâ, nempe (ut docent clarissimi & doctissimi viri, professores Leydenses) *peccator potius peccato, quam peccatori peccatum permittitur.* Nam si ad talis actus boni individuationem concurrat necessario talis individualis efficientia gratiæ, ita necesse est ad talem non-actum individuandum concurrat talis negatio determinatæ efficientiæ requisitæ ad vitandum hoc peccatum hic & nunc, urgente præcepto, propter certum finem ex DEI constitutione

Permissio non rectè definitur nuda Dei non-coefficientia ad actum.

Professo. Leyd in censurâ confessi. Remonst. c. 6 sect. 3.

tutione destinatum. Et sic positâ permissione, semper illativè sequi & poni in rerum naturâ peccatum, docent *Perkinsi. Piscator* & vir doctiss. & clariss. *D. Antonius Walæus*, & omnes nostri *Theologi*. Sed ex gratiosâ non-coefficientiâ DEI (fateor) non sequitur semper peccatum; Nam DEUS negat sanctis dormientibus, aut fortè audientibus DEI verbum, gratiosum concursum, quo fortè vigilantes, & auditioni verbi Dei non intenti, orarent, at non sequitur eos dormientes, aut audientes concionem culpabiliter non orare. Imò assero permissionem, prout communiter sumitur à Theologis, malè definiri negationem gratiosæ efficientiæ; nam ea negatio sæpè ponitur, quando præcepta affirmativa non obligant (nam non obligant ad semper) in quo casu nec sancti, nec impii sunt formaliter permissi peccare: quia permissio formaliter obligationem supponit. At quando *David* est formaliter permissus, semper necessario necessitate consequentiæ seu illativæ, non consequentis & causali, mœchatur. Et quoties est formaliter non permissus peccare, semper & necessariò non peccat. Hinc illæ regulæ de nexu logicali inter permissionem & peccatum permissum. 1. Regula. *Positâ permissione in subjecto capace, semper valet consequentia ab ea ad peccatum habituale.* Ut DEUS permittit, hoc est, non curat concupiscentiam in renatis. Ergo semper est concupiscentia in renatis. Valida est sequela. 2. Regula. *Positâ permissione in omni actu morali, hoc est, Deo negante gratiam efficacem requisitam ad ferventiorem intentionem actus boni, necessario est culpabilis defectus in actu bono.* 3. Regula. *Si Deus puniat aliquem permissione judiciali, tum valet consequentia. Pharaoh* judicialiter permissus est obdurare cor suum. Ergo *Pharaoh* obdurat cor suum, tam firma est consequentia quam certum est peccatorem non posse pœnam à supremo Judice infligendam evadere. 4. Regula. *Positâ permissione prout opponitur efficientiæ, non valet sequela ad illationem peccati.* Ut rectè probant *D. Twissi* rationes; homo permittitur occidere. Ergo occidit, non sequitur. 5. Regula. *Positâ permissione propriè dictâ, in subjecto capace, præcepto hic & nunc urgente, hoc est, Deo ad talem actum negante gratiosam suam influentiam ex speciali suâ intentione dirigendi actum, actusve omissionem ad certum à se præconstitutum finem, semper sequitur peccatum tanquam necessarium consequens ex suo antecedente.* Ut *David* est permissus mœchari. Ergo *David* mœchatur. Optimè & necessariò sequitur. Hoc sensu argumenta

D. Twissi

Walæus contra Corvin. et 3. de prov. pag. 113.

Quinque Regulæ necessariæ cognitu ad dignoscendum quoties valida sit consequentia à permissione ad peccatum permissum.

D. Tuissi contra *Perkinsium* & *Piscatorem* non concludunt, neque ut concluderent fuit mens *D. clariss. Tuissi*: nam nulla est hæc sequela, *mundus ab æterno est à Deo volitus. Ergo mundus ab æterno est.* Ratio est: quia ab actu DEI immanente, qua tali, non sequitur necessariò realis existentia illius actus qui DEI actum terminat. At aliter se res habet de permissione prout communiter à Theologis & à Scriptura sumitur. Nam hæc permissio quamvis connotet actum DEI immanentem & æternum, est tamen, meo judicio, actus transiens, & temporaneus, imo contemporaneus rei permissæ, & in hoc differt à volitione DEI & aliis actibus immanentibus. Neque enim permissio est æterna, nec DEUS ab æterno homines peccare permittit. Sed Scriptura restringit permissionem ad certum tempus. ACT. 14. 16. *Deus præteritis ætatibus permisit omnes gentes suis ipsorum viis incedere.* Sic *Genes.* 20. v. 6. *Deut.* 18. 14. *Levit.* 19. 17. *Psal.* 105. 14. *Esai.* 63. 17. *Ezech.* 14. 4. 9. 10. Permissio semper, ut actus DEI temporaneus notatur, volitio ad tempus nunquam restringitur. 2. Permissio est executio decreti DEI æterni de permittendo peccato, at executio æterni decreti est temporanea. Antecedens probatur. Quia in tempore DEUS homines permittit peccare ut locus sit *Salvatori*, ut constet creaturæ sua fragilitas, ut homines coram DEO humilientur. 3. Si homines in tempore orant ne ipsos peccare DEUS permittat, tum permissio est malum quod creaturæ in tempore evenit. Sed prius est verum. *Ne nos inducas in tentationem.* 4. Permissio sæpè est pœna peccati, sed omne quod est pœnale aut potest esse pœnale est temporaneum quid, sicut omne peccatum; nam pœna & peccatum sunt relata. Hinc posità permissione, necessario sequitur peccatum necessitate consequentiæ. Non ergo jure merito clar. vir *D. Tuissus* quem ego (si quis alius) colo, venerorque, *Gul. Perkinsium* & *Joa. Piscatorem* Theologos gravissimos censura perstringit.

Permissio est actus temporarius & transiens, non immanens & æternus.

3. Sic probo. Scriptura infert per bonam consequentiam peccatum ex permissione & non peccatum seu abstinentiam à peccato ex non-permissione. Ergo peccatum sequitur ex permisione vi consequentiæ. Probatur Antecedens. DEUS permisit *Pharaonem* detinere populum DEI, & *Sibonem* negare populo suo transitum per terram suam. Ergo ille detinuit DEI populum, hic negavit

A permissione ad peccatum, à non permissione ad abstinentiam à peccato. scriptura argit

Genes. 12. 14. Genes. 31. 29. 1 Sam. 10. 7. Act. 17. 30. Judic. 10. 7. 2 Sam. 24. 1. Psal. 106. 41. Daniel 1. 1, 2, 3. 2 Thess. 2. 11. Jac. Armini. disp. publi. 10. thes. 8.

negavit transitum populo DEI. *Exod.* 7. 3. 4. *Josh.* 11. 19. Sic DEUS non permisit populum suum abhominationes Gentium perpetrare. Ergo non perpetrarunt. DEUT. 18. 14. Tales argumentandi formas passim videre est in Scripturis. 2. Si is qui permittitur peccare, potest non peccare: tum quia permissio est executio divini decreti de salvandis hominibus per CHRISTUM estque sæpè pœna peccati, fieri sic posset ut rescinderetur Dei decretum, & sic Deus aliquem puniret permissione judiciali, & is qui permissus est, non peccaret, tum ictus judicii divini esset à creaturâ declinabilis, & Deus peccatorem puniret, & peccator non puniretur à Deo, quod absurdum. Ratio sequelæ est: quia permissio, si non sequatur peccatum, non est pœna, sed ut rectè *Jac. Arminius* ait, *materia laudis.* 3. Necesse est vel formam vel privationem inesse subjecto capaci debito tempore, sed permissio privativè opponitur gratiosæ Dei efficientiæ, quâ datâ, hic & nunc vitaretur, sanctèque à peccato abstineretur. Si ergo ponatur permissio talis hic & nunc propter talem finem, necesse est non ponatur talis sancta abstinentia. 4. Permissionem poni, & non poni peccatum permissum funditus extirpat Dei timorem, fiduciam, orandi fervorem, humilitatem, & gratitudinem, frustra sanctè timeo ne Deus me peccare permittat, aut reprobæ menti me tradat, si posità permissione possim non peccare, nihil pensi habeo, neque metuo permissionem Dei, frustra fido in Deum, frustra sub potenti ejus manu humilior, frustra ut Apostasiam avertat, oro, nequicquàm & frustra Deo evitati peccati gratias ago, gloriam defero, si Dei permissio Apostasiam nec promovet, nec indeclinabiliter eam infert, imò si possim non peccare, majoremque promereri laudem posità omni Dei permissione. sum meæ obedientiæ faber & dominus. Frustra oro ne permittendo, in tentationem ducat, si posità permissione potero non peccare, sic enim omnis timor, fiducia, preces, gratitudo, & humilitas ultimatè in liberum arbitrium, quod potest, posità permissione, stare vel cadere, resolverentur. 5. Si is qui permissus est, potest non peccare, tum ablatâ gratiâ necessariâ ad evitandum peccatum in Spiritum Sanctum, posset quis non basphemare, & sic ea gratia non fuit necessaria ad evitandam blasphemiam in Sanctum Spiritum, quod planè Pelagianum est. Logica enim docet eam causam

Si permissio peccati relinquit permissum potentem & indifferentem ad non peccandum tollitur omnis Religio, timor, fiducia, oratio, gratiarum actio, humiliatio, &c.

causam non esse simplicitet necessariam ad effectum producendum, sine quâ effectus poni potest. Consequens patet: quia is qui blasphemare permittitur, non blasphemaret. 6. Consequentiam denique à permissione ad rem permissam probant *Navarrete, Crabrera, Bannes, Collegium Salmanticense, Joan. de Rada,* & nostras *Joan. Camero.* Fateor idem doceri à Jesuitis, sed malo dolo Nam *Suarez, Fasolus, Fonseca, & Lessius* docent sequi peccatum ex permissione, sed suppositâ scientiâ mediâ; sed hoc est lectorem ludificari; nam scientia media futuritionem peccati permissi supponit. Et si peccatum est futurum, & à Deo per scientiam mediam scitur futurum, bene sequitur. Ergo necessario erit peccatum. At sic consequentia Sophistarum erit hæc; peccatum est futurum. Ergo peccatum est futurum.

Navar. consrav. 55. q. 1. pro. 3. Crabrer. tom. 3. in 3. q. 62. art. 1. dis. 12. c. 12. fig. 258. Bannes. 1. q. 23. art. 3. lit. C.

Colleg. Salmanti. tract. 5. de præde. dub. vnic. c. 4. f. 28. Joan. Rada part. 1. contrav. 2. Camero ad Epistol. viri docti. pag. 280. 281. Suarez opusc. de grat. lib. 2. c. 3. fig. 4. Fasolus in 4. tom. 2. q. 14. art. 13. dub. 11. fig 151. Fonseca & Lessius loc. cit.

4. Palmare contra nos argumentum habent *Arminiani & Gabri. Pennottus. Si* (inquiunt) *ex negatâ efficientiâ Dei, hoc est, ex permissione, non potest non sequi peccatum, sequitur Deum esse peccati causam, saltem deficientem utpote qui effectivè non influat. At nihil aliud de homine dici potest, nisi quod sit causa deficiens, confirmatur. Causa efficiens in necessarius sub se continet deficientem, ideoque qui vas vitreum, quod manu tenet, permittit cadere in Petram, est causa confractionis vasis.* Respondeo. Causa deficiens bifariam sumitur. 1. Physicè & impropriè, nempe, qualis est ea causa quæ est physica causa actus quæ tamen non agit: quia non vult agere cum non obligetur agere. Et Deus hoc modo est causa deficiens actus substrati, sed non sequitur Deum esse causam deficientem eo modo quo homo est causa deficiens: neque efficiens sub se continet deficientem sensu isto. 2. Causa est deficiens propriè, quæ non agit, cum teneatur agere, quia legi superioris subest, & hoc modo Deus non est causa deficiens peccati, ideoque licet *is qui permittit vas vitreum cadere in petram, sit causa confractionis*, nempe, physica; quia effectus est planè physicus, non sequitur in genere effectuum moralium, Deum eo modo esse causam peccati per negationem efficientiæ. Rationem innuit *Franciscus de Herera*: voluntas enim humana quia talis non est causa moralis actuum moralium

Causa deficiens physica, quatenus est causa cui effectus moraliter imputabilis, quatenus non. Remonst. in Apol. c. 6. fol. 68. Pennottus propugnat. huma. lib. lib. 7. c 15. fig. 3. 4. Francis. de Herer. in lib. 2. sent. Scoti disp. 34. quæst. vinc. not. 1.

lium: sed voluntas qua regulabilis à lege superioris, voluntas humana qua talis, est tantum physica causa actuum moralium, & si suppponamus hominem legi non subesse, tum etsi non oraret, sabbathum non sanctificaret, non coleret Deum ex Verbi præscripto, eo casu esset causa non-actuum orandi, sabbathum sanctificandi, & ejusmodi physica, vel physicè deficiens, non esset causa moralis, cui effectus sit imputabilis. Et ratio est: quia omnis imputabilitas mali effectus fundatur in obligatione, cui quis subest, quatenus superioris mandato subest. Objici potest. Si imputabilitas fundetur in obligatione, tum nostra obedientia effecta à Deo per gratiam efficacem non esset Deo imputabilis, & laus illius Deo non deberetur: quia Deus ex nullâ obligatione obedientiam, ex merâ suâ gratiâ efficit in nobis. Respo. Imputabilitas ad demeritum fundatur in obligatione legali; adeo ut nemini ad demeritum imputabilis sit effectus moralis, nisi ad legi parendum obligetur; Deus autem hic nulli legi, superiori nulli obnoxius est, at vero imputabilitatis ad meritum alia longe est ratio; nam quo liberior, magisque ab obligatione bonum faciendi est immunis, eo magis imputabilis est effectus moralis, ideoque in majorem Dei gloriam, meritumque eminentius & præstantius cedit, quod non obligatus bonum cum creaturis communicet. Imputabilitas ergo in malis formaliter sita est in obligatione non faciendi; in bonis vero in liberalitate gratuitâ faciendi vel non-faciendi.

Imputabilitas qua tribuitur effectus Deo est longe alia ab ea qua nobis imputatur effectus.

CAPUT IX.

An permissio peccati sit absoluta, & ex libero Dei beneplacito dependens, an vero conditionata nitens determinationi voluntatis creatæ causantis illam permissionem. Gabr. Pennottus, Ruiz, Smising, Ja. Arminius, & *alii ad partes vocantur.*

Ruiz trac. de volunt. disp. 26. sig. 7.

Quæstio hæc de permissione ordinè quartâ, est admodum necessaria in hoc tractatu; Nam *Did. Ruiz* & alii *Jesuitæ* & *Arminiani* volunt eum qui peccare permittitur semper habere sibi paratum concursum Dei ad non-peccandum; ideoque non erit ex Deo aut ejus puro beneplacito, quod

quod existat in rerum naturâ permissio Dei saltem in actu secundo, sed ex liberâ voluntate hominum erit quod unquam *Adamus* ejusque posteri sint à Deo actu secundo permissi peccare. Sed titulus quæstionis esse potest Vel de primo hominis peccato, seu de obdurationè & repugnantiâ comparativâ quam quis Deo vocanti opponit, potius quam alter qui non repugnat, sed Deo pulsanti cor aperit, & vocanti respondet, & nos docemus ex puro puto Dei arbitrio esse, non ex cooperatione creatæ voluntatis, quod existat talis permissio. Adversarii vero in liberâ influentiâ voluntatis creatæ esse volunt, quod alla creatura sit à Deo peccare permissa; Vel quælio est de permissione judiciali, quem homines sibi accersere solent, per ante acta scelera; nam multi permissivam Dei desertionem commerentur, & nos docemus talem permissionem non ex puro Dei beneplacito manare, sed ex hominis demerito, & à divinâ justitiâ peccatum peccato puniente, & quæstio non est de hac permissione purè pœnali in hoc sensu; nam justitiam Dei hic eminere fatemur. Deinde quæstio est. An ideo homines permittantur peccare, quoniam volunt permissionem aliâ numero distinctâ volitione, quam eâ, quâ volunt peccatum permissum: quia eadem volitione, quâ volunt peccatum, dicuntur velle virtualiter & interpretativè ipsam permissionem. Nam juxta adversarios, ideo Deus voluntatem labi permittit: quia prius naturâ, quam ponatur permissio Dei, ipsa voluntas ad lapsum concurrit & influit, & ideo Deus permittit voluntatem labi, quoniam labi vult, non autem, ideo voluntas vult deficere & labi, (ut nos docemus) quia Deus eam prius labi permittit, negatâ ei coefficentiâ suâ, quâ datâ, non laberetur. Ideo nostra Thesis est.

1. *DEVS absolutus Faber, & independens est Dominus suæ permissionis, & ideo existit permissio Dei in actu secundo, quia Deus ita voluit, non vero quia creata voluntas ita voluit.*
2. Item. *Penes independens Dei dominium est quod existat talis determinatus numerus permissionum divinarum, non plures nec pauciores. Et talis numerus actuum liberorum hominum & Angelorum non plures.*
3. Item *Penes dominium divinæ providentiæ est ut locus foret per tot determinatas permissiones & actus liberos. Suppono* 25962.

justitiæ

inducat, nam si τὸ permitti, potiùs quam τὸ non-permitti peccare sit in indifferenti arbitrio voluntatis, tum τὸ non-induci in tentationem, potius quam τὸ induci in tentationem erit etiam in arbitrio meo. Hinc timor sanctus, ne non permittar peccare, fiducia in Deum quâ confido fore ut non permittar, neque deserar à Deo, humilis, erga Deum permittere potentem, subjectio, omnino corruerent, & omnes hæ virtutes in liberum arbitrium ultimatè, non vero in Deum permittentem vel non permittentem terminarentur. 6. Si non penes Deum, sed penes creatam libertatem esset quod existeret permissio in actu secundo, tum Deus non posset indeclinabiliter procurare obedientiam, neque impedire peccatum. Ratio sequelæ est, quia si Deus necessitetur ad ponendam permissionem in actu secundo, per voluntatem creatam, non potest non ponere eam, nisi violentaret libertatem, atque adeo non potest impedire peccatum, & necessitatur ad ponendam non-permissionem, quia ita vult libertas creata, ideoque obedientia ponenda foret, etiam hoc dato, quod Deus eam non poni vellet. Hoc vero sequi constat: quia Deus permittit homines peccare, quia homines volunt, non contra; nam non peccant (secundum adversarios) quia Deus eos peccare permittit, ideoque voluntas creata necessitabit Deum ad ponendam permissionem, & per consequens necessitabitur Deus ad ponendam non-permissionem, si ita voluntas creata voluerit,

Leonard. Lessius, duas causas permissionis recenset. 1. *Ne bonum opus videretur coactum.* 2. *Ut creatura solicita sit ne gratiæ Dei desit, si non* (inquit) *permitteret Deus mala, cessaret illa solicitudo, & omnia Deo committeremus.* Respondeo 1. Ex hâc *Lessii* sententiâ permissio est mera non-actio Dei in voluntatem, quod supra fuit profligatum. At vero permissio in actu secundo nihil superaddit permissioni in actu primo, sed tantum peccatum permissum, quod est permissionis merum consequens, & non est opus Dei, & si actus liber esset coactus, nisi Deus homines permitteret liberè agere, boni Angeli & confirmati in gratiâ permitterentur peccare à Deo. Quod absurdum: nam eorum actiones non sunt coactæ, imò Christus peccare permitteretur, quod absurdum. 2. Si homines liberè agere permittantur, ne agens liberum Deo cooperanti desit, tum in bonis Angelis, & in confirmatis in gratiâ,

Lessius de divi. perfecti lib. 11. c. 6. *Causæ permissionis Lessianæ profligantur.*

Conditionata hæc permissio tollit piam solicitudinem & numerum certum Electorum & Reproborum re refert in voluntatem creatam non in Dei voluntatem.

nulla esset pia solicitudo, ne gratiæ Dei cooperanti desint. Quod absurdum est dictu. 3 Inde sequetur solicitudinem, ne gratiæ Dei desimus, esse priorem naturâ permissione mali; nam si nos anxii & piè soliciti sumus, ne gratiæ Dei cooperanti desimus, hoc est, ne nollemus dissentire cooperanti gratiæ, tum Deus nos peccare haud permittit, si vero soliciti non sumus, tum Deus nos peccare permittit, atqui ipsa carentia piæ solicitudinis est peccatum, & ignavia culpabilis. Ergo illam solicitudinem præcedet alia solicitudo, ne desimus gratiæ Dei, cooperanti illam solicitudidem in nobis, & de ea priore solicitudine, rursus redibit eadem quæstio in infinitum. 4. Hæc etiam opinio, quæ voluntatem fibram permissionum etiam finalium Apostatarum facit, determinationem numeri Electorum & Reproborum, eorum qui pereunt, & eorum qui salvantur, in voluntatem creatam, non ad altitudinem supremi figuli, sapientiæ & libertatis revocat cum *B. Paulo.*

Pennott. in propugnaculo humanæ libertatis lib. 7. c. 7. s. 8.

4. Dependentiam permissionis à libero arbitrio sic explanat *Pennottus. Dicendum* (inquit) *inter bonum & malum usum auxilii sufficientis dari medium, nempe, non-usum auxilii sufficientis, qui nec sit formaliter peccatum, nec actus moraliter bonus, sed medium per negationem inter utrumque: militi bene utenti armis paratur majus auxilium, usq; ad partam victoriam, non utitur armis, sed prosternitur ab hoste, prius est non uti armis, quam feriri & prosterni ab hoste, sic non-usus auxilii sufficientis est prior permissione peccati, & permissio est prior lapsu ipso: —— nec est inconveniens aliquid esse altero prius in diverso causarum genere, ut patet in apertione fenestræ per ingressum venti, non-usus gratiæ per modum causæ deficientis est posterior permissione, at in genere causæ materialis & demeritoriæ est prior permissione.* Respondeo 1. Absurdum est fingere, *medium inter bonum & malum usum auxilii sufficientis, nempe, non usum; qui non sit peccatum*: quia non uti gratia est actus moralis liber prætitus ab eo qui legi est subjectus & oppositus usui gratiæ sive actui bono. Ergo erit actus vel bonus vel malus. Non bonus, quia opponitur actui bono; sed bonum bono non oppositum (ut docet *Aristoteles*) esse potest. Ergo malus, quia subjecto capaci, debito tempore inest necessariò vel forma vel privatio. 2. Non uti gratia est non uti talento divinitus indulto, at ea est ignavia culpabilis. *Matth.* 25. 27. 3.

Aristoteles

Nonuti gratia non est causa permissionis divinæ.

Est

Est actus oppositus exsuscitationi gratiæ ad quam *Paulus Timotheum* hortatur. Ergo est peccatum. 4. Si non uti gratia sufficiente non est peccatum, tum non credere fidem DEO imperanti non erit peccatum: quia uti gratiâ sufficiente est credere, & non-credere nihil superaddit non-usui gratiæ sufficientis. 5. Miles liberè non utens armis, cum posset, est culpabilis causâ suæ ruinæ. Ergo non utens gratiâ erit culpabilis causa sui lapsus. 6. Si non uti gratiâ non est peccatum, DEUS jure merito dare potest gratiam efficacem, non utenti gratiâ sufficiente. At contradictorium est dari gratiam efficacem non utenti gratiâ sufficiente: quia gratia efficax est ipse usus gratiæ sufficientis, ejusque actualis efficacia, & sic gratiæ non-usus esset gratiæ usus, quod ἀσυσσίτον est. Si vero DEUS negaret gratiam efficacem non utenti gratiâ sufficiente, tum ille non-usus gratiæ, ex *Pennotto* non sit peccatum, imo neque actus bonus, sed actus medius, sequitur DEUM hominis culpâ nullâ, negare gratiam efficacem, & per eandem rationem nullâ hominis industriâ dare gratiam efficacem. Hoc autem placita *Arminian.* & *Jesuitarum* planè convellit. 2. Quia immediatè sequitur peccatum ex non-usu gratiæ (quod non negat *Jesuita*) & *iste non-usus gratiæ* (ut dicit *Jesuita*) *per modum causæ deficientis est posterior permissione*, Tum DEUS permittens non-usum gratiæ erit causa deficiens non-usus, & sic peccati; quod ex non-usu sequitur. Quod est Jesuitis ἀβιβάσον. 3. Si non-usus gratiæ in genere causæ materialis est causa meritoria permissionis. Ergo non-usus ille est peccatum, cujus contrarium asserit *Jesuita*; nam quod meretur pœnalem desertionem est peccatum. Permissio Jesuitis est pœnalis desertio. 4. Sic etiam peccatum erit prius omni desertione. Quod absurdum; nam sic primum pecca um est commissum, antequam peccator permittatur peccare, neque simile illud de apertione fenestræ aliquid probat, ut alibi commodius docebitur.

5. *Permissionis* (inquit *Pennottus*) *causa duplex datur.* 1. *Naturalis exigentia libertatis defectibiliter operantis.* 2. *Non-usus auxilii sufficientis.* Priorem causam assignant *Corvinus* & *Remonstrantes* cum suo *Jac. Arminio.* *Sed notandum* (inquit *Corvinus*) *cum permissionis causa dicitur libertas arbitrii, una cum permissione considerari obedientiæ exactionis rationem, hoc est, totam institutionem Dei quâ & legem rigidè proposuit, & hominem etiam talem fecit, qui obedire legi ita proposita,* Pennott. 16. Corvi. cōs Molinæ. c. 6. q. 6. Remonst. confess. c. 6. thes. 9.

propositæ, vel non obedire posset, unde sequitur si vel efficax planè, vel ita sufficiens impedimentum poneretur, quod peccatum, certo esset impeditum, isti institutioni planè repugnaret. Respondeo 1. Cum quæritur cur Deus permittat peccatum, vel quæritur causa finalis & tum respondetur Deum eo fine peccatum permittere, ut illustretur nominis sui gloria, vel quæritur ratio impulsiva cur Deus ita agat cum voluntate liberâ, potius quam cum aliis agentibus, ut cur hunc finaliter peccare permittat, non illum. Respondent adversarii causam proximam permissionis esse non-usum libertatis bonum, vel malum. Laxius alii naturam libertatis pro causâ assignant. Sed si natura voluntatis liberæ esset causa quare Deus peccatum permittat, quia nempe, si indeclinabiliter voluntatem ad unam oppositorum partem flecteret, ipsam violentaret, nisi suæ indifferentiæ agendi vel non-agendi permitteret & dimitteret eam: Hinc sequeretur Deum ex æquo voluntatem Christi, & omnium Sanctorum permittere blasphemare, & in Spiritum Sanctum peccare; nam nec Christi nec Sanctorum voluntates violentat: imò permitteret Diabolos & flagitiosos homines benè & sanctè agere; nam horum voluntates non violentat. At vero actualis lapsus in atrocia peccata nihil addit naturæ permissionis: quia est consequens & quid extrinsecum permissioni; nec juvat quod ait *Corvinus, Causam permissionis non esse nudam naturam libertatis, sed etiam cum eâ totam institutionem Dei, quâ legem rigidè proposuit, & hominem talem fecit, qui obedire, & non obedire posset.* Nam rigor propositæ legis & libertas obediendi & non-obediendi nihil superaddunt naturæ libertatis hominis à creatione legi subjecti; quia hoc ipso quod *Adamus* habuerit potentiam ad nolle vel velle, habuit potentiam ad benè velle, & malè velle, si supponamus eum esse legi obnoxium. Quia, posito hoc, quod *Adamus* legi subjectus crearetur, impossibile erat, eum in moralibus actibus, posse nolle aut velle, quin hoc ipso benè & sanctè, malè aut impiè noluerit aut voluerit. 2. Hoc posito, quod talis sit natura voluntatis, impossibile esset, stante hâc scientiâ, ut Deus plures converteret, quam convertit, aut non-converteret, quam non-convertit, & sic determinatus numerus Electorum & Reproborum penes homines, non penes Deum esset: quia Deus everteret naturam libertatis (inquiunt) nisi eam suæ indifferentiæ absolutæ permitteret id quod asserit eruditus Jesuita

Causa permissionis à Pennoto & Arminianis præsertim Arnold. Corvino examinantur.

ta *Theodor. Smising.* Lovanii professor, *dicimus* (inquit) *Deum non debere, debito suæ essentialis rectitudinis vitare peccatum creatæ rectitudinis: quia id imprimis moraliter non potest, id est, non absq; maximo inconveniente, perturbando totum ordinem naturæ & causas liberas ad bonum necessitando, nec illis, sicut & naturalibus efferendo concursum naturæ congruentem; deinde nec potest idem physicè, quia suppositâ lege à se ordinatâ, qua vult cum omnibus causis secundis, juxta earum exigentiam, regulariter & ut plurimum concurrere, etiam physicè est impossibile, ratione suæ immutabilitatis & omnipotentiæ talem legem non mandare executioni.* Hic, lector, videat candorem, creaturæ Jesuiticæ miraculum. Inde patet, ex Adversariorum sententiâ, pugnare cum immutabilitate & omnipotentiâ DEI plures convertere, adeoque salvare quam convertuntur & salvantur, & per eandem rationem, quia permissio peccati est in eorum potestate liberâ, qui peccare permittuntur, non potest DEUS Ierius & ocyus homines convertere, neque in alio loco, aut tempore, quam in eo loco & tempore, in quibus de facto convertuntur, neque fidem intentiorem, aut auctiorem, sicut nec remissiorem, & infirmiorem dare, quam actu & de facto dat; ideoque quorsum illa oratio? (*Domine, adauge nobis fidem*) nam si permissio peccati est in potestate eorum qui permittuntur, tum etiam permissio peccati adeoque infidelitatis ut 4. potius quam ut 6. aut 7. erit in eorum potestate; nam ad peccatum ut 7. requiritur major permissio, quam ad peccatum ut 4. ideoque major laxatio & remissio voluntatis, & per eandem rationem non potest *Deus* plures non-convertere & damnare, quam non-convertit & damnat de facto. Sed aliter Scriptura. ROM. 10. 23. *Deus potest eos inserere.* ROM. 14. 4. *Potens est Deus eum stabilire.* JUD. 14. *Potens est nos à lapsu immunes custodire.* EPH. 3. 20. *Potest omnia, supra quam valeamus, poscere.* Ergo potest DEUS, suppositâ naturâ libertatis, quam nobis indulsit, plures convertere, ocyùs convertere, auctiorem fidem pro suâ gratiosâ liberalitate, dare, quam de facto hominibus dat, at absurdum omninò esset, si quis *Paulo* regereret, non posse DEUM hoc facere, nisi libertatem creatam evertendo. At contradictorium est DEUM posse procurare liberam creaturæ liberæ obedientiam, eversâ & destructâ libertate. Quasi vero Paulus diceret DEUM posse contradictoria esse simul vera, efficere, & omnipotentem, quòd omnipotentiæ & infinitæ sapientiæ ἀνυπαίτιον & simpliciter

Smising. disp. 1 theolog. tom. 1. tract. 3. disp 3 de volun. Dei q. 3. fi. 17

Smising ingenuè fatetur Deum non posse impedire peccatum ideoque peccatum Dei dominium, ut conversionem & non-conversionem pluriumquam convertuntur aut non-convertuntur, voluntatis Dei providentiam effugere.

pliciter ἀνεπιδεκτον est, posse facere. At si permissio peccati à libertate creatâ pendeat, ut sit vel non sit, hæc necessariò sequuntur. 3. Vel potest poni impedimentum peccato efficax secundum Dei præscientiam, vel non efficax secundum præscientiam, vel impedimentum secundum nullam præscientiam. Si primum; tum ex *Corvino* Deus posuit peccato impedimentum, quod institutioni legali repugnabat. Quod absurdum. Si secundum: tum obedientia necessitata fuit per impedimentum efficax, quod *Arminianis* grave est absurdum; nam sic obedientia erit non-obedientia, hoc enim ex *Corvini* principiis sequitur, qui nihil motionem voluntatis à Deo factam secundum eam præscientiam quæ infallibilizabit actum liberum, evertere libertatem; ita etiam argutat *Corvinus*. Et sic ex *Arminianis* præscientia Dei est libertatis humanæ destructiva. Quod erat impium dogma *Ciceronis*. Si tertium; Deus modo planè conjecturali movet voluntatem, non sciens quæ argumenta sint infallibiliter motura voluntatem, quæ non. Quod indignissimum est divinâ providentiâ. 4. Sub veteri fœdere, & sub novo etiam essentiale est voluntati, posse nolle vel velle, positis omnibus ad agendum requisitis, at sic si efficax impedimentum peccati primo fœderi repugnaret, tum etiam secundo æquè repugnaret, alioqui oporteret per lapsum aliquid voluntati liberæ essentiale tolli. 5. Quia *Adamus* ad tempus stetit, & unum actum obedientiæ saltem præstitit, sequitur Deum in illo uno saltem actu obedientiæ legem proposuisse *Adamo* secundum præscientiam quâ peccatum efficaciter impediendum erat, & sic in uno actu obedientiæ, saltem primo determinatam & necessitatam fuisse voluntatem. Vel sequitur Deum primum actum liberæ obedientiæ *Adami* procurasse secundum nullam præscientiam ac proinde secundum nullam providentiam. Replicat ad hoc *Corvinus*. *Posset quidem salvâ manente libertate iste actus singularis impediri, sed in universum non potuit Adam impediri impedimento secundum Dei præscientiam efficace, ne peccaret, nisi per læsionem libertatis quæ est ad malum.* Respondeo 1. Si potest Deus unum actum peccaminosum impedire salvâ libertate ad malum, idque efficaciter, potest duos, potest tres, & potest mille actus etiam efficaciter impedire. Et putidum est & dilutum commentum Dei præscientiam in uno actu vigilare, in aliis sopitam ac sepultam esse, quasi custos Israelis

Corvini *impeditio peccati Arminiana secundum nullam præscientiam refutatur.*

Corvin. contra Molinæū c. 6. q. 6. pag. 107.

Corv. loc. citat.

elis interdum dormitaret. 2. Ne quidem, stante libertate Armininá, potest Deus efficaciter unum actum peccaminosum impedire: quia si indifferens est voluntas, potest resilire ab omni motione Dei qualicunque, at absolutè indifferens est, idque essentialiter tam nolle quam velle respiciens, secundum Adversarios. 3. Si Deus non potest efficaciter impedire actus peccaminosos in genere, *nisi per læsionem libertatis ad malum.* Nec potest efficaciter impedire peccatum omne nisi per lesionem libertatis quoad exercitium, quo potest agere vel non-agere: quia libertas ad malum in homine legi subjecto nihil superaddit libertati quoad exercitium: quia hoc ipso quod homo legi subjectus possit moraliter velle vel nolle, potest moraliter benè vel malè velle vel nolle, nullii enim sunt actus morales in exercitio & usu à ratione deliberatâ procedentes, qui sunt indifferentes. 4. Præscientia Dei quæ naturâ est posterior actibus præscitis, non potest evertere libertatem ad malum: quia nec determinat voluntatem, nec magis ipsam ad velle vel nolle movet, quam ego possim dici causa motitationis rotarum in curru: quia rotulas currentes & motitantes video, oculisque intueor: sed aliud hic *Arminianorum* mens non potest esse quam præscientiam Dei, libertatem & contingentiam causarum secundarum sacrilegè tollere, ne homines servi fiant providentiæ, quod est impium *Ciceronis* dogma; nam *Arminianos* de Dei præscientiâ actuum contingentium perplexè & titubanter loqui, lector in eorum scriptis observabit. 5. Etsi libertas ad malum tolleretur, maneret libertas quoad essentiam, uti est in Christo, in bonis Angelis, & in renatis perfectè confirmatis in gratiâ, quibus blasphemia in Spiritum Sanctum vetatur sub pœnæ comminatione, ideoque maneret vera libertatis legi obnoxiæ, & obedientiæ liberæ punibilis & remunerabilis ratio & essentia, quod salvat Dei sapientiam legislativam.

Arminiani *Dei præscientiam negant necesse est.*

Pennottus *asserens Deum Adamo utenti gratiâ sufficiente conferre aliam gratiam secundum præscientiam efficacem, refutatur.*

6. Sed ad Jesuitam revertor. Si Deus *Adamo* bene utenti gratiâ sufficiente confert auxilium secundum præscientiam efficax, tum si *Adamus* semel benè usus gratiâ sufficiente, necesse est Deus illum bonum usum compenset auxilio efficace, & per eandem rationem, illam gratiam efficacem (nam efficax gratia essentialiter est bonus usus gratiæ sufficientis) aliâ gratiâ efficace necessariò Deus compensabit, & sic *Adamum* semel benè utentem gratiâ

tiâ sufficiente peccare foret impossibile. At dicent Deum dare auxilium efficax, non absolutè, sed conditionatè, si homo eo uti vellet. At hoc certè ἀτοπον nimis est; quia sic dicit Deus, *Ego do Adamo auxilium efficax, modo fuerit efficax, & do auxilium inefficax, si fuerit inefficax.* At vero si dixerint *Jesuitæ* Deum dare benè utenti auxilio sufficiente, auxilium secundum præscientiam inefficax, tum sequuntur hæc absurda. 1. Dei beneplacitum esse causam permissionis, non vero non-usum gratiæ sufficientis, quod grave absurdum est Jesuitis. 2. Deum bonum usum gratiæ remunerari gratiâ inefficace, quod illis est iniquum. 3. Tantum præmii gratiæ efficacis à Deo eum consequi, qui malè utitur gratiâ sufficiente, quam qui benè eâdem utitur: quia uterque gratiæ auxilio secundum Dei præscientiam inefficace tantum compensatur.

Pennottus propugna. human. libert. lib. 7, c. 10. fi. 5.

7. Addit *Pennottus.* *Deus* (inquit) *permittit lapsum facere bifariam.* 1. *Negando omne auxilium, quod ex infinitis possibilibus scit fore efficax. Et illius permissionis nulla est causa ex parte reprobi sed pertinet ad inscrutabilem & secretam Dei voluntatem.* 2. *Permittit, negando omne auxilium quod de facto esset efficax, nisi malitia obicem poneret. Hoc modo causa permissionis est in reprobo.* ——— *Causa demeritoria sufficiens cur Deus potest permittere peccatum, est, in omnibus peccatum originale; causa vero cur de facto Deus permittit peccatum, & negat de facto auxilium efficax est peccatum originale & actualis abusus gratiæ.* Respondeo 1. Hæc responsio Jesuitæ non tollit meum argumentum superius factum, nam ego quæro cur permittatur is peccare qui sex aut septem actus proximè elapsos, perquam bonos & laudabiles præstitit, cum in tali homine sit jam actualis bonus usus gratiæ, necessario, Vel Deus dabit auxilium, quod scit fore efficax, & si hoc Deus ex promisso & ordine justitiæ, facit, impossibile erit semel actu obedientem unquam peccare, quod Scripturæ, rationi, patribus, & omni experientiæ repugnat; Si vero Deus det auxilium, quod scit fore inefficax, sequuntur absurda superius à me inducta, & sequetur hominem de facto permitti peccare, sine ullo suo demerito, imò *Deum, & Dei gratiam deesse homini facienti totum quod in se est,* quod grave ἀτοπον est adversariis. 2. Peccatum est antecedenter ad omne Dei decretum, & peccator liberè locat se in eo rerum ordine, in quo est finaliter repugnaturus

Causa permissionis de facto non est actualis abusus gratiæ, ait Pennottus.

Deo

Deo vocanti, nulla ergo est hic secreta voluntas Dei, quæ sit absoluta; si det Jesuita voluntatem conditionatam nixam demerito hominis, At ea non secreta & inscrutabilis est. Antecedens probatur, Quia locatio sui ipsius in tali ordine, nempe Judæ proditoris auditio Concionis tali loco & Tempore, & talis mentis ad rationes & rerum sensus & momenta perpendenda intentio & applicatio, talis dissensus, actus impenitentiæ & infidelitatis, sunt actus verè liberi, ideoque futuritionem habent antecedenter ad actum tum scientiæ mediæ, tum ad actum divinæ voluntatis: Sic planum est Deum nunquam posse videre auxilium quod *scit fore efficax*. Quia Deus non potest præscire non ens, aut actus obedientiæ *Judæ* proditoris tanquam futuros qui ab æterno in æternum nunquam erant futuri, & voluntas *Judæ* potuit liberè reddere omne possibile auxilium inefficax. Quando ergo Jesuita dicit *Deum negare auxilium, quod de facto esset efficax, nisi malitia obicem poneret*, Idem est ac si diceret, *Deum negare auxilium efficax nisi negaret auxilium efficax*. Quia si homo ponit obicem, auxilium necessario & essentialiter fuit inefficax, ideo ludit Jesuita dicens, Deum dare auxilium efficax, si det auxilium efficax, & dare auxilium inefficax, si fuerit inefficax quod datum est. 3. Negare auxilium efficax, nisi homo poneret obicem, est Deum negare gratiam sufficientem, nam tale auxilium quod de facto produceret consensum ad bonum, nisi homo posuerit obicem, est gratia sufficiens, at sic homo ponendo obicem gratiæ non peccat, nam secundum *Jesuitas* & *Arminianos* Nemo peccat, ubi deficit ei gratia sufficiens, at si Deus negat auxilium efficax, si homo posuerit obicem, negat juxta hanc doctrinam sufficiens auxilium quod remotioni obicis sufficeret.

Jesuitæ deludunt nos in suis, de auxilio gratiæ sufficientis & efficacis, doctrinâ.

4. Positio obicis est de essentia gratiæ inefficacis, & sic *Adamus* in primo lapsu posuit obicem Deo, adeoque peccavit, antequam peccare permitteretur. Quia posuit obicem ante datum Dei efficax gratiæ auxilium quo minime ponere obicem permitteretur. At nemo peccat, nisi sit peccare permissus? hoc enim funditus evertit providentiam Dei.

5. Si *homo non posuerit obicem gratiæ Dei*, hoc est, si gratiæ sufficienti consensum præbuerit (nam assentiri & cooperari gratiæ sufficienti est non ponere obicem gratiæ) Deus non potest ex æquo & justo, imò non sine miraculo, aut contradictione, negare tali

homini sic cooperanti efficax auxilium, quia talis cooperatio & non positio obicis essentialiter includit efficax auxilium gratiæ, & consensus sive cooperatio gratiæ & negatio auxilii efficacis gratiæ sunt verè contradictoria, quia Prius essentialiter est consentire gratiæ, & Posterius est essentialiter non consentire gratiæ, at absurdum est Deum dare auxilium efficax sub conditione involvente contradictionem.

6. *Causa* (inquit Jesuita) *demeritoria sufficiens cur Deus potest permittere peccatum, est, in omnibus, peccatum originale: Causa vero cur de facto Deus permittit peccatum, & negat de facto auxilium efficax est peccatum originale, & actualis abusus gratiæ.* At respondeo. *Peccatum originale non est causa* demeritoria & adæquata cur Deus potest simpliciter in omnibus permittere peccatum, quia Deus permisit bonos Angelos & Adamum nondum lapsum, nullâ peccati Originalis labe, inquinatos peccare; nec potest *Originale peccatum* dici demeritoria causa cur Deus peccatum permittat finalis impœnitentiæ adversus Euangelium in *Juda* proditore potius quam in *Petro* Apostolo, quia licet peccatum Originale sit causa cur Deus posset justò quemlibet labi permittere, at non potest esse causa comparativa, cur hic, non ille permittatur finaliter Deo vocanti repugnare. Deus autem quosdam finaliter peccare in impœnitentiâ ad extremum vitæ articulum permittit, quosdam vero in glorioſum diem adventus Christi conservat. Jam, quæro, quænam causa sit cur Deus quosdam de facto permittit finaliter labi & impœnitentes in peccato diem claudere, alios non permittit, sed conservat eos immunes in adventum Christi. Causa non est peccatum Originale hujus actualis, & de facto separationis, ex Jesuitis: quia omnes ex æquo sunt peccati Originalis rei. Neque potest abusus gratiæ dici causa; si enim finalis permissio fundetur causativè in non-usu gratiæ sufficientis, tum etiam conservatio in glorioſum adventum Christi fundabitur causativè in actuali cooperatione gratiæ sufficientis factâ, nisi disparitatem ex Jesuitæ principiis ostendant Adversarii, qui tamen a libertate supremâ Dei ad justitiam ipsius in hâc causâ confugiunt. Deinde si Deus talem conditionalem ordinem servet, necesse est Deus hoc pacto procedat. Si Reprobi non fuerint peccato Originali inquinati, & actualiter non fuerint abusi gratiâ sufficiente, tum ego de facto

dabo

dabo iis efficax auxilium, neque permittam eos finaliter peccare & mori in infidelitate, & sic conservabo eos salvos in adventum Salvatoris. Cum autem *actualis abusus gratiæ*, si finalis sit, nihil aliud sit quam finalis impœnitentia (discrimen ostendant Jesuitæ) DEUS sic agit. *Si Reprobi finaliter cooperati fuerint gratiæ, ego non permittam eos finaliter non cooperari. Si vero finaliter peccaverint, ego de facto permittam eos finaliter peccare.* En vertigo Spiritus.

CAPUT X.

An admittendum sit fatum aliquod Christianum.

Providentia fatum quoddam est, licet à voce abhorreamus. Calvinus Justit. l. 1. c. 16. sect. 8. Augustin. de civit. Dei. l. 1. c. 5. Suarez in Meta. phy. to. 1. disp. 10. sect. 11. n. 11. Thoma. 1. p. q. 116. art. 1. Augustin. de civit. Dei l. 5. c. 9. Bradwar. de caus. Dei l. 1. c. 28. Did. Ruiz to. de providentia prædefini. disp. 4. sect. 5. n. 8.

DEcretum DEI absolutum ab æterno omnia prædeterminans, causas, consilia, actiones, res, nec non prædeterminationem DEI ad actus materiales peccati, *Jesuitæ & Arminiani*, præsertim cum summam necessitatem fluentem ex irrevocabili DEI voluntate sapiant, fatum *Stoicorum* fatalissimum vocant, quo ex decreto æterno ad unum prædeterminatur voluntas libera, & ex temporaneâ DEI prædeterminatione ad illud unum necessitatur, cum prædeterminatio essentialiter non minus quam decretum sit efficax impulsio voluntatis ad hunc actum materialem peccati potius quam ad illum. Aliquid igitur dicendum de fato, ex malo fato calumniarum Adversariorum quibus in DEI veritatem oblatrare est fatale admodum. Primo itaque de nomine fati. 2. De re. 3. De fato Christiano quatenus à fato Ethnico differat. 4. De amicâ necessitatis providentiæ divinæ, & libertatis humanæ, conspiratione & consociatione dicendum est.

De nomine religiosè *Calvinus* noster. *Nos* (inquit) *etsi de verbis inviti litigamus, fati tamen vocabulum non recipimus: tum quia est ex eorum genere, quorum prophanas novitates refugere nos* Paulus *docet: tum quia ejus odio conantur gravare Dei veritatem.* Rectè tamen *Augustin.* (quod & non diffitetur *Jesuita Suarez*, imò nec ipse *Thomas*) *Si quis Dei voluntatem vel potestatem fati nomine appellat, sententiam teneat, & linguam corrigat.* Imo & illud *Augustin.* Addo, docente *Bradwardino*, fatente *Didac. Ruiz*, *fati nomen ubi solet à loquentibus*

tibus poni, id est, in constitutione siderum, quâ quisque conceptus, aut natus est: quoniam res ipsa inanis est, nihil valere monstramus. Ordinem autem causarum, ubi voluntas Dei plurimum potest, neque negamus, neque fati vocabulo nuncupamus, nisi forte ut fatum à fando dictum intelligamus, id est à loquendo; non enim abnuere possumus, esse scriptum in literis sanctis: loquutus est Deus, &c. Inter pontificios tamen *Jovius Episcopus* Nucerinus à voce *fati, Martis, fortunæ, Genii* non abhorret. Uti *Lipsius. Sed Deus* (inquit) *& id quod fatum vocamus superat.* Quod & observat *Daniel Chamier.* Item & *Augustin. At qui omnium connexionem seriemque causarum, quâ fit omne quod fit, fati nomine appellant, non multum de verbi contraversiâ cum eis certandum atque laborandum est, quandoquidem ipsum necessarium ordinem, & quandam connexionem, summi Dei tribuunt voluntati.* Unde providentiam Dei fatalem aut fatum non vocamus; quia, ut ait *Suarez fatum ex primævâ significatione institutum est ad significandam radicem fatalis necessitatis quam absolutam necessitatem esse sentiebant, qui nomen fati invenerunt. Sic igitur in quantum omnia hæc* (inquit *Thomas*) *quæ hic aguntur divinæ providentiæ subduntur, tanquam per eam ordinata, & quasi præcognita* (ante fata & ante decreta à Deo) *fatum ponere possumus, licet hoc nomine sancti doctores uti recusaverint, propter eos qui ad vim positionis siderum hoc nomen retorquebant.*

Jovius in sua histor. Lipsius cent. 3. epist. 20. Chamier. in Panstra. Catholic. to 1. de prov. l 2. c. 11. Augustin. de civit. Dei. l. 5. c. 7. Suarez, in Metaph. to. 1. disp. 19. sect. 11. n. 12. Thomas 1. q. 116. art. 1.

Fatum quadruplex est (inquit *Joan. Picus Mirandu.*) 1. *Fatum est ipsa natura; vel causarum series ordoque, nexu necessario cuncta producens; vel syderum cursus constitutio, cumquid aut nascitur aut concipitur; vel denique divini consilii exequutio certa, & successus inevitabilis. Primum fatum est naturale. Secundum est Stoicum. Tertium, Mathematicum seu Astrologicum. Quartum, Christianum & Divinum.* Unde non facile est definire quid sit fatum.

Fatum quadruplex. Joan. Picus Mirandu. in Astrolo. judiciaria lib. 4. c. 4.

Sed de singulis aliquid est dicendum. *Fatum naturale* est ipsa natura, ita enim *Picolhomineus, fatum, ex Aristotele, fundamento idem est quod natura, dicitur enim natura ut est essentia rei & principium operandi; fatum vero magis præ se fert ordinem ex aliquo principio pendentem quasi effatum, mandatum, & enunciatum; nam ut in civili imperio constituatur princeps, cui congruit sapientia & providentia, quam sequitur constitutio legum, promulgatio & exequutio, ita in universo princeps est omnium Deus cui congruit sapientia & providentia, tanquam constitutio legum universi. Providentiam autem fatum tanquam promulgatio legum,*

Picolhomineus physico l. 2. cont. 14. pag. 253.

fatum

fatum sequitur natura tanquam executio legum, adeo ut fatum præsertim servet naturam ad primum principium. Hæc ille. Forte hâc de causâ *Possidonius*, ut refert *Pontanus*, & observant *Doctores Complutenses* tria principia rerum omnium ponebat, & *partes primas Deo, secundas naturæ* (inquiunt *Complutenses*) *tertias fato tribuebat.* Et fatum causam necessariam & inevitabilem putabat. Sed fatum hoc est rejiciendum; quia assertores fati omnia fato geri dicebant: atqui non omnia naturâ nec impetu naturæ fiunt, verum multa eveniunt liberè & contingenter. 2. Quia neque effectus naturales in hoc inferiore mundo, ut pluviæ, venti, fati naturalis necessitate eveniunt, ut recte ait *Suarez*: quia sæpè impediri possunt, & sæpè interventu causæ liberæ, nempe Angelorum ministerio eveniunt. Dicit quidem *Alexander Aphrodisæus, fatum interdum significare cujusq; rei naturam.* Et colligitur ex *Aristotele.* 3. Multâ vi planè extraordinariæ & supernaturalis providentiæ imperio contingunt, ut Mors, Resurrectio & CHRISTI in Cœlos Ascensio: *Sodomæ*, per ignem cœlitus demissum, consumptio; populi *Judaici*, regni *Babylonici*, *Assyrici*, & *Persici* deletio, quæ omnia non eveniunt fato, id est, naturâ, aut naturali necessitate. *Secundum fatum* est *Stoicorum*, estque talis series causarum quæ absolutè necessaria sit, alligans omnes causas inter se, ipsumque DEUM fato necessitans, quæ opinio *Stoicis* tribuitur, propter non-nullas phrases Rhetoricas & poeticas ab ipsis usurpatas, & hoc sensu sic sententiam *Stoicorum* hoc modo explicatam Patres & Doctores Ecclesiæ jure optimo damnant. Est enim hoc *fatum Astronomicum* seu *Mathematicum.* Verum enimvero hæc opinio fortasse *Stoicis immerito & gratis tribuitur.* Nam *Lipsius* in eorum doctrinâ non mediocriter excercitatus id negat eorum mentem esse. 2. Quia vir majoris tum eruditionis tum authoritatis hoc crimine *Stoicos* purgandos videri existimat. *Videtur enim Boetius* (inquit *Tho Bradwardin.*) *voluntariè arguere Stoicos in expositione primi* περὶ ἑρμενείας, ——— *eo quod posuerint omnia à fato provenire, ipsi enim loquebantur de fato secundum efficaciam voluntatis divinæ* ——— *quare & ab omni errore reali, etsi non vocali, forsitan sunt immunes,* ——— *hæc enim vox fatum apud Catholicos est suspecta, licet res ipsa sit sincera.* 3 Ipse *Plutarchus* sic. *Fatum omnia continet, ut etiam videtur, neque tamen propterea omnia necessariò evenient, sed unumquodq; pro suæ naturæ modo.* 4. *Augustinus* ex *Senecâ*, *Homero*,

Possidoni. Pontanus de fortuna l. 1. c. 19. Collegium Complutense comment. in Aristotelis phys. disp. 13. de fortu. & fato 9. 4. Suarez in Metaphys. to. 1. disp. 19. sect. 11. n 12. Alexander Aphrodisæus de fato l 3. Aristoteles l. 5. physi. c. 6. text. 5. 7. Lipsius in Manuduc. ad Stoicâ Philosoph. l. 1. c. 29. Bradwar. de caus. Dei l. 1. c. 29. Plutarchus l. de fato. Augustin. de civ. Dei l. 5. c. 8. Seneca

Bradward. loc. cit. Grevinch. contra Amesium pa. 64.

Homero & *Stoicis*, hos versus allegat. Pro quo & *Bradward.* Quicquid contradicit *Grevinchov.*

Duc me, Summe Pater, altíq; poli dominator,
Quocunq; placuit, nulla parendi mora est,
Assum impiger, fac nolle, comitabor Gemens,
Maluſq; patiar facere quod licuit bono.
Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.

Quibus verbis veritas evincit, & *Augustinus* probat *Stoicos*, sentire *Jovem* fato superiorem & in fatum dominari. 5. Quod vero *Isidorus* tres parcas statuat, idem evincit; nam statuunt tres sorores, quas parcas appellant à contrario sensu seu Antiphrasi, ut ait *Servius*: quia nemini parcant, (licet *Varro* à parcendo deducat) has tres in Throno sedentes fingunt, vestibus albis, capite coronato. Ausim dicere, quia notant ἀνηξεσιαν DEI sedentis in solio & vitæ humanæ tempora moderantis, & præfinientis limites mensium vitæ quos non potest homo transgredi, ut ait *Jobus*: & albis vestibus fingunt; quia alba, hoc est, maculæ injustitiæ expers, innocens & æquissima est hæc DEI ἀνηξεσια ut rectè *Natalis Comes.* Prima *Lachesis* loquitur & præterita canit, & res sub luná positas notat. Secunda dicitur *Clotho*, & scribit, & præsentia canit, & notat septem planetas. Tertia dicitur *Atropos*, & futura canit, fila deducit, & sphæram inerrantem notat. At vero *Plato* ait has tres sorores ipsius DEI fatalis seu animæ mundi filias. Scio *Picolhomineum* hanc, non sententiam *Stoicorum*, sed *Academicorum* vocare, sed fallitur, nam. parcas agnoscunt *Stoici* apud *Senecam.* Sed quid aliud sunt hæc omnia, *nisi Deus*, ut ait *Bradward.* & exponit *Boetius* sic. *Omnis generatio* (inquit) *rerum, cunctusq; mutabilium naturarum progressus, & quicquid aliud, aliquo movetur modo, causas, ordinem, formas, ex divinâ mentis stabilitate sortitur.* Quid aliud Poetæ, quid *Stoici*, quid *Academici* aliud hic quam absoluto decreto de terminis vitæ humanæ statuisse? aut cur *Jovem* precibus solicitarent, si ipsè fato constringatur? Respondeo 1. *Hoc tantum voluerunt* (inquit doctiss. vir *D. Andr. Rivetus*) *Deum semel statuta non mutare; non quia aliqua in eo sit necessitas, aut fatum dominetur, sed quia placuit ei stare decreto.* Unde DEI immutabilitas, (quâ quod semel

Isidorus 8. Eth. 47. Servius *Tres parcæ.* Varro apud Gellium l. 3. Job. 14. 5. Natalis Comes Mytholo. Plato 10. de Re-pu. Picolhom. phys. l. 2. cont. 4. pa. 252. Seneca. Bradwar. de causâ Dei l. 1. c. 28. Boetius de conso. philos. 4. prof. 6. *Dei voluntas fatum.*

Rivetus in Cath. Orthodoxo to. 2. trac. 4. q. 6.

semel decrevit, retractare aut rescindere non magis potest, quam potest mentiri, mutari, aut sese abnegare.) similis est fato, quod ferreâ & adamantinâ lege nunquam, ne in æternum, revocandâ, stat firmum & irrevocabile, & hæc causa erat cur *Stoici* DEUM & fatum idem esse finxerunt. 2. Ex hâc immutabilitate DEI decreti, Poetæ quibus gratis mentiri tutum est, & Oratores eos imitati in Rhetoricationibus suis hyperbolicis *DEVM servum fati*, *fatum in DEVM dominari*, *DEVM fato constringi*, DEUM & Jovem suum dolentem de morte *Serpedonis* finxerunt. At Scriptura pœnitentiam, dolorem, gaudium, optationes DEO tribuit, sed κατ' ἀνθρωπαθειαν. Ideo consequentiam erroneam, si secundum literam exponatur, de sceleribus per fatum excusandis intulerunt, ita *Seneca*.

Genesεos 6. 6. Judic. 10. 16. Deut. 5. 29. Esai. 5. 4. Seneca in Hiopolyt.

Fati ista culpa est, nemo fit fato nocens.
Ita & hoc *Quem fata cogunt, is cum venia est miser.*

Inde est quod ex hisce consequentiis *Stoicorum*, ita à Doctoribus secundum literam expositis, & in rigore heterodoxis, nostri *fatum Stoicorum* damnarunt. Sic *Calvinus*. *Non enim cum Stoicis necessitatem comminiscimur ex perpetuo causarum nexu*, &c. *Sed DEVM constituimus Arbitrum ac Moderatorem omnium*, &c. Ita & *Beza*. Quam perverse. Ergo *Nico. Grevinchovius* dicit, *Cum his carminibus* (*Duc me, Pater*, &c. de quibus supra) *fatum statuatur, ejus tamen gubernatio in manu DEI ponitur; Nam invocat summum Patrem, ab eoq; duci cupit: cujus tamen voluntatem, simulq; certam fore ac infallibilem demonstrat.* Sed tale fatum agnoscit Scriptura, tale *Augustinus*, hic homo negat fatum, id est, talem seriem & rerum connexionem quæ sit in manu DEI; at cum detur tale fatum, connexio rerum vel erit penes DEI manum & ejus potentem providentiam, vel penes fortunam, & sic dum evertit fatum, adstruit fortunam. At negat in DEI manu esse rerum connexionem. 2. Hoc fine ut neget fatum, damnat in *Stoicis*, quod voluntatem Dei certam ac infallibilem affirmat, nempe *Grevinchovio* voluntas DEI est incerta, anceps, pendula, fallibilis, alioqui voluntas DEI certa est fatum *Stoicorum*.

Calvinus just. l. 1. c. 16. s. 8. Beza cont. Castellii ar. 1. ar. 6. Grevinch. con. Amesium pag. 94. Esai. 15. 17. Augustin. de civitate Dei l. 5. c. 7.

Tertium fatum est Mathematicum & Astrologicum, hoc fatum est

quod nos detestamur, patres oppugnarunt, una cum fato, quod *Stoicis* fortasse non sine injuriâ imputarunt quidam, quia forte nonnulli, non universa secta, addiderunt consequentiam Rhetoricam & Hyperbolicam: quia ipse Deus tali connexionis rerum fatalitate constringatur, quod & nos oppugnamus, cum Deus noster, quæcunque voluit faciat citra omnem necessitatem ad extra, ipsum quocunque modo necessitantem aut determinantem.

Josephus Antiquit. 13. 9. Id de bell. Judai. l. 2. c. 12. Rufinus Epiphanius in Pharisæis. Concilium Braca. 1. c. 9. Eusebius de præparatione Euangeli. l. 6. c. 5. 1. *error fati. Astronomici.* Damasce. de fid. l. 2. c. 7. Augustin. de civitate Dei l. 5. c. 8. Clemens recog. lib. 3. Gregorius Nyuen.

An *Pharisei* hoc fatum tenuerint incertum; Pontificii quidam hoc asserunt. *Josephus* de iis sic *οἱ μὲν δὴν φαρισαῖοι τινα καὶ ἑπάντα εἱμαρμένης εἶναι λέγουσι. Pharisæi quædam non omnia fati esse dicunt.* Per fatum Dei voluntatem eos intelligere verisimile est. *φάσκοντες τὴν εἱμαρμένη* (alibi inquiunt) *τὰ πάντα ἐξιέντες, ὡς τῶ ἀνθρωπείω τὸ βουλόμενον ἢ ἐπ' αὐτῆς ὁρμῆς ἀφαιρεῖνται. Fati geri omnia credunt* (vertit *Rufinus*) *sed neq; liberum arbitrium hominis auferunt.* Unde non est verisimile eos liberum arbitrium Dei abstulisse. Alibi tamen laudant *Pharisei* fatum & astronomiam, ut ait *Epiphanius.*

At vero fatum imponens, ex astrorum influxu, in omnes causas inferiores, etiam voluntates liberas hominum, necessitatem, damnant *Patres, Concilium Bracarense, Eusebius, Damascenus, Augustinus, Clemens, Gregor. Nyssen.* seu *Nemesius, Boetius.* Errores in hoc fato à Patribus damnatos, damnamus & nos obviis ulnis. Quia 1. Docuerint astra dominari liberis hominum voluntatibus, adeoque evertere liberum arbitrium hominis. *Eusebius ὡ γὰρ ἀσφαλὲς καὶ εἱμαρμένη ὑ μόνα τὰ ἐκτὸς, ἀλλα καὶ τὰς κατ' λογισμὸν προαιρέσεις ἀναιρετέον, καὶ τὶς ἀπαραίτητος & ἀναγκη τὰς ἀνθρωπίνας ἐμβιαζέται γνωμας, διηκυρῶσθαι σοι φιλοσοφία, διηκύρῶσθαι καὶ εὐσέβεια. Quod si astris fatoq; non ea tantum quæ extra nos imputanda, sed etiam ipsæ rationales propensiones, sitq; quædam inexorabilis necessitas quæ conscientias hominum cogit, periit philosophia, periit Religio.* Clemens. *Cum Deus justus sit, & ipse fecerit hominum naturam, quomodo poterat fieri, ut ipse poneret Genesin contrariam nobis, quæ nos cogeret ad peccatum? Augustin.* Si ponatur fatum astrorum, destruitur liberum arbitrium in hominibus, in Deo & Christo. Ita *Hyeronimus, Gregorius,*

vel Nemesius philosoph. suæ l. 6. Boetius de conso philosophi 6. Eusebius ib Clemens recogni. l. 9. Augustinus quæstion. veteris & nov. Legis. q. 115. Hyeronimus lib. 11. in in Esa. 31. Gregorius homil. 10. quæ est de Epiphania.

Ambrosius

Ambrosius. Hisce addi possunt Philosophi, *Aristoteles*, *Ammonius*, *Simplicius*, *Themistius*, *Collegium Complutense*, *Collegium Conymbricense*, *Suarez*, *Vasquez*, *Picolhomineus*. Addere liceret *Thomam Aquin. Bradwardinum*, *Did. Ruiz* nobis hunc errorem imputare satagit his verbis. *Decretum prædeterminans ad actus materiales peccati erit fato hoc deterius, si non per omnia simile. Patres* (inquit) contra *Simonem Magum*, *Manichæum*, *Marcionem Apollinarismi*, & *Priscillianistas*. *Qui creavit astra & vires influendi vires, quibus homines ad peccata necessitarentur, erit saltem mediate author cujusque peccati, ex eorum influentia provenientis. Ergo cum solus DEUS produxerit prædeterminationem ad actionem odii DEI, & totam illius vim contulerit, saltem mediate primus author erit odii adversus DEUM ex ea determinatione necessario provenientis.* —— *Quidam enim nihil in potestate siderum relinquentes meram divinæ voluntatis exequutionem tribuebant sideribus. Augustin.* ait *decretum determinandi ad scelera esse ab intrinseco malum, & indignum esse divina voluntate quod Cœlis est indignum, & Priscillianistæ aut Manichæi partim aut nihil curabant de formali ratione malitiæ, modò obtinerent eam esse stellis quibusdam vim, ut homines sub iis natos per necessitatem adigerent ad materiales actiones furandi, adulterandi, &c. non satisfacit respondere nullam esse malitiam aut culpam siderum, quia sidera sola materialia opera peccatorum decernunt, & ad ea determinant pro ratione causarum universalium,* non enim ad malitiam determinant sydera (inquiet aliquis) quia non sunt causæ morales, sed Physicæ, Addit *Ruiz*, *Patres ex siderum necessitate tanquam inconveniens deducunt hominem excusari à culpâ. At vero quod sidera vel intendant vel non intendant formalem rationem malitiæ, quando ad DEI odium impellunt; nihil interest ad excusandum hominem vel non excusandum hominem à culpa, At plurimum interesset, si sidera necessitarent homines ad actiones materiales peccatorum.* Resp. 1. Argumentum Jesuitæ sic est. Qui est Creator & Author eorum astrorum quæ necessitant ad peccandum, est causa mediata & Author saltem mediatus peccati. Ratio, Quia Author rei necessitantis

Ambrosius in hexam oper. 4. dict. Arist. Eth. l. c. 1. Ammonius phys. l. 2. c. 6. Simplic. Themist. Collegii Complutense in Arist. phys. disp. 13. de casu & fort q. 4. Collegii Conymbricense coment. l. 2. c. 6. q. 1. art. 2. Suarez in Metaph. tom. 1. dis. 19. de necess. & cont. sect. 11. n. 7. Vasquez in 1 2. disp 38. c. 4. n. 16, 17. Picolhom. physico l. 2. cont. 4. pag. 252, 253.

Thomas 1. q. 9. art. 6. Bradwardin. de caus. Dei c. 1. & 28. Ruiz tom. de provid. & tom. de volunt Dei disp. 38. sect. 2. Did. Ruiz loc. cit. Augustin. in Psal. 91. August. 16. Nemesius lib. de nat. homi. c. 35.

Did. Ruiz. *male Deum creantem prædeterminationem ad actus materiales peccati ponit causam fatalem peccati.*

fataliter ad peccatum est mediatè fatalis author peccati. Atqui Deus creans & producens prædeterminationem ad actionem materialem odii Dei, creat & producit id quod fataliter necessitat ad peccandum. Ergo Deus creans & producens prædeterminationem ad materialem actionem peccati, erit author aut causa mediata peccati. Resp. 1. Assumptionem esse aperte falsam. Nam Deus producens prædeterminationem ad actionem materialem odii Dei, non producit id quod fataliter necessitat ad peccandum, sed producit id quod convenienter naturæ liberi arbitrii flectit voluntatem liberè inclinantem se ad id ad quod à Deo prædeterminatur. 2. Ad probationem, *qui nihil ponebant in potestate siderum & relinquebant syderibus meram divinæ voluntatis exequutionem*, & Cœlis faciunt injuriam & Deo. Cœlis quia, ut recte *Augustin.* *quod si easdem stellas putant habere hanc potestatem traditam sibi a summâ illius* (Dei) *potestate, ut volentes ista decernant, magnam Cœlo faciunt injuriam*, & Deo faciunt injuriam, *quia* (inquit *Nemesius*) *iniqua sunt astra quod alios Machos, alios homicidas efficiunt, & præ his Architectus eorum Deus*, iniquus enim erit Creator astrorum qui talem vim indidit astris quâ homines ad peccatum cogerent. 3. Falsum est quod *Augustinus* dixerit, *decretum determinandi ad scelera* (id est ad actus materiales peccati) *esse ab intrinseco malum.* Contrarium dicit *Augustin.* *non fit aliquid, nisi omnipotens fieri velit*, (adeoque decernit) *vel sinendo ut fiat, vel ipse faciendo.* Verum est, quod ait *Augustinus*, *non ita de Deo sentiendum esse* quod indignissimum visum est de stellis cogitare, & nos id dicimus & Deo Creatore & stellis Dei creaturis indignum quod impressa & ingenita sit stellis vis cogendi & Physicè necessitandi voluntatem liberam, uti docuerunt fati Astronomici patroni. 4. Falsum est *Priscillianistas & Astrologos, nihil curasse de formali ratione malitiæ, modo obtinerent stellas necessitare homines ad actus materiales peccati*: Nam 1. *Hoc ipso quod dicerent stellas necessitare homines ad actus materiales peccati*, nempe imprimendo liberæ voluntati talem vim Physicam quæ tollat vim electivam libertatis & indifferens judicium rationis, multum *curarunt de ratione formali malitiæ.* Quia si astra sic *necessitant ad actus materiales peccati*, tollunt vim liberæ electionis, tum astra erunt causæ peccatorum, & *Deus Creator* astrorum, & homines fato peccabunt. Licet autem Deus suo

Augustin. Enchir. c. 10.

Fati Astronomici & prædeterminationis Physicæ vasta differentia.

concursu

concursu prædeterminativo, qui genio & naturali modo agendi libertatis contemperatur, necessitet ad actus materiales peccati: quia Deus sic salvâ & illæsâ libertate hoc facit, nullo modo sequitur Deum esse eo modo Authorem peccati, quo dixerunt astra causari peccata; quia astrorum necessitatio libertatis est physica & illius modi agendi connaturalis destructiva, at Dei necessitatio est contemperata naturali modo agendi liberæ voluntatis, & libertatis minimè destructiva. Sic *Augustinus*. *Dicunt de Cœlo, tibi est inevitabilis necessitas peccandi, & Venus hoc fecit, aut Saturnus, aut Mars, scilicet, ut homo sine culpâ sit; culpandus autem sit Cœli & Siderum Creator & Ordinator.* Et Basilius. *Maleficæ stellæ, suæ ipsorum malignitatis causas in suum transcribunt factorem; nam si naturâ stellis competit maleficium, ipse sanè Creator effector erit malignitatis.* *Cyrill. Alexandrin.* ait *per hos accusari Deum qui Cœlo indiderit vim illam impulsivam hominum ad mala.* & ib. *Cum autem ad malè agendum homines Cœlum impellat, non possunt ipsi id malum devitare, remo enim reatè culpatur ob id quod non in suâ situm est voluntate. Qui ita dixerunt* (inquit Nemesius) *una cum liberâ voluntate contingentis naturam tollunt.* *Cyrillus Hyerosolymit* ait, *eos docuisse astrorum inclinationes ad amplectendum impietatem nos cogere.* Et *Simon Magus* (ut ait *Vincen. Lyrinensis*) *docuit Deum hominum naturam suis manibus talem creasse, quæ proprio quidem motu, & necessariæ cujusdam voluntatis impulsu, nihil aliud posset, nihil aliud vellet, quam peccare.* Est hoc secundum discrimen inter nos & *Astronomici* seu *Manichæi* fati patronos. Non enim necessitate naturæ conditæ à Deo, sed necessitate ex primo peccato innatæ, & extrinsecus adscitæ corruptionis peccamus. Ausus est ille Pelagii Sectarius *Nico. Grevinch.* necessitatem *Manichæam* peccandi nobis imputare. Sed *Euodius Manichæus* dixit *non voluntate vivimus aut agimus, sed necessitate. Manichæorum est* (inquit *Hyeronimus*) *hominum damnare naturam & liberum auferre arbitrium.* 3. *Fati Astronomici* Assertores ipsum Deum fato suo constringebant, nos Deum liberrimum in omnibus suis operationibus ad extra statuimus agentem citra omnem necessitatem. *Herodotus* τῷ πεπρωμένῳ μόιρῳ ἀδύνατον ἐστι ἀνθρώπῳ φυγεῖν τὸ θεῖον. & *Eusebius* ἐκ τούτου δὲ τῷ εἱμαρμένῳ οἱ γενναῖοι θεοὶ, &c. *Usq; adeo fatum metuunt generosi dij, ut confiteantur ne suis quidem templis cœlesti igne*

Augustin. confes. l. 4. c. 3.
Basilius in hexametr. hom. 6.
Cyrill. Alexand. l. 5. in Joan. c. 5.
Nemesius l. de nat. homin. c. 35
Cyrill. Hyerosolym. de statu homi. Catech. 4.
Vincent. Lyrine. pro Antiquit. fidei Cath.
Grevinch. contra Amef. pag. 61, 62.
Augustin. de lib. ar. l. 3. c. 3.
Hyeronim. in proœmio dialogi Advers. Pelagian.

3. *Discrimen inter nos & Mathematici Patronos.* Herodot. Chion. Eusebius de prep. Euan. l. 6.

igne correptis se posse ferre opem. Facile tamen est probare *Jesuitas* & *Arminianos* DEUM fato verè fatalissimo constringere: quia omnia futura contingentia absolutè possunt esse vel non esse, ut verè scibilia sint hæc & ut possint terminare & fundare certitudinem divinæ scientiæ. Hæ connexiones sunt determinatè veræ ante DEI scientiam mediam, & ante decretum conditionatum DEI. *Si Sabæi Jobum spoliarint, tum Jobus DEO humiliter sese subjiciet.* Item. *Si Patriarchæ Josephum vendiderint, Pharaoh Josephum gloriosè exaltabit.* Item. *Si Judas Salvatorem prodiderit, Judas laqueo sibi vitam finiet.* Item. *Si Petrus & Apostoli in carcerem & vitæ discrimen conjicientur, tum Petrus & Apostoli orabunt, vitamq; acceptam Deo ferent, gratiasq; agent.* Item. *Si ter mille homines audient Petrum concionantem, ii ter mille homines convertentur ad fidem Jesu Christi.* Omnes hæ connexiones antecedunt DEI decretum, & sunt veræ in se prius naturâ quam DEUS veritatem connexionis determinet & decernat; quia sunt scientiæ mediæ objectum: quia tamen hæ connexiones sunt gratiæ, misericordiæ, bonitatis, & divini gratuiti amoris plenæ, imo quædam ex iis sunt justitiæ divinæ plenæ; necessitabitur DEUS ad volendum, seu potius ad post-decernendum vel post-volendum vel approbandum has justas & gratiosas connexiones, & quidem postquam jam ante omne DEI decretum futuræ sint, & existentiam habituræ, & necessitabitur fato vel necessitate fatali quam nullo modo impedire potest, quia DEI scientiâ & decreto naturâ priores sunt hæ connexiones. *Imò* (inquit *Jesuita Fasolus*) *hic voluntas creata determinat ad utrumlibet hæc, & decretum Dei de extremis connexis dàtur quidem, sed tertium decretum de connexione ipsâ negamus, non enim dicit Deus* (*volo ut* Judas *converteretur, si taliter vocaretur*) Unde habemus reum foro cedentem; nam *Iobi* patientia vel connectitur cum calamitatibus quas patitur a *Sabæis, Lydiæ* conversio vel connectitur cum DEI vocatione gratiosâ, vel suâ naturâ, seu ex naturâ rei, quod non dicent Jesuitæ; vel liberâ & gratiosâ DEI voluntate, quod hic negat Jesuita; vel fortunæ arbitrio, quod atheon est; vel fatali necessitate, quod necesse est dicant. Cur gratias agit *Josephus* DEO de hâc connexione. *Si ego incarceratus somnium Pharaonis interpretatus ero, ille me Principem ad Ecclesiam Dei ædificandum constituet.* Certè DEO gratias non aget: quia hæc connexio existit antè, & citrà omne decretum

Fasolus tom. 1. q. 14. art. 13. dub. 14. n. 265. & dub. 16. n. 275.

Jesuitæ & Arminiani *Deum fato durissimo & insuperabili constringunt.*

DEI

DEI (inquit *Fasolus*) sed DEUS approbat & post decernit connexionem, postquam hæc connexio est, bene est. Non potest non velle & approbare illius rei existentiam quæ citra ipsius voluntatem & decretum est: hæc itaque existunt DEO non volente, imò dato hoc, quod DEUS per omnipotentiam hæc impedire vellet, fato DEUM constringente eveniunt. Unde hoc? quia citra ipsius voluntatem eveniunt: itaque omnes res adversæ, immatura mors, venena, ædium incendia, rotæ, furcæ, laquei, secureis, exilium, vivicomburia, quæ per causas contingenter operantes contingunt, omnes res secundæ, honos, gloria, dignitates aulicæ, opulentia, victoria, voluptates aureæ, secunda navigatio, ædes magnificæ, numerosa soboles, amicorum cohortes amplæ, quæ per causas contingentes eveniunt, sunt futura & existentiam habitura ante omne DEI decretum, & respectu DEI, fato fatalissimo eveniunt. 4. Fati Astronomici Assertores (ut habet *Collegium Complutense*) dixerunt esse *seriem causarum fatalem, quâ causâ causæ connexa rem ex se gignit*, ita tamen ut *hanc seriem, & ordinem in cœlestibus orbibus collocarent, statuentes certas Cœli & astrorum imagines ac figuras, sub quibus unusquisq; natus est, quarum talis sit vis & potestas, ut nihil ipsas mutare possit.* Ita *Ptolemæus, Apuleius*, ut ait *Albertus*. Nam membra humani corporis in duodecim partes dividebant juxta numerum duodecim signorum *Zodiaci*, ita tamen ut quælibet *Zodiaci* pars alicui parti & membro dominaretur, tantâque vi ac necessitate, ut nequaquam quidpiam in corpore humano accidere possit, quod in hujusmodi astris aut sideribus non fuerit præordinatum. Ideo *Genesin* fingebant, & horam nativitatis planetariam quæ in omnibus vitæ actionibus dominaretur. Contra quod *Clemens, Cum Deus justus sit & ipse fecerit hominum naturam, quomodo poterat fieri, ut ipse poneret genesin contrariam nobis, quæ nos cogeret ad peccatum?* Hinc crudelia & infausta astra, bona & fausta sidera. Nos hic docemus, 1. Corpora cœlestia agere in hominem quâ corpus physicum, quâ vivens & quâ animal, non verò in hominem quâ homo est, aut in illius animam rationalem, aut liberum arbitrium, homo itaque actiones liberas benè vel malè agendi, liberè loquendi, ambulandi credendi, resipiscendi, orandi non excercet fato aut imperio fatalis geneseos aut nativitatis planetariæ. 2. Docemus corpora cœlestia indirectè, per concomitantiam, per accidens agere in animam rationalem,

4. *Discrimen inter nos & sui Astronomici asserteres.*

Collegium Complutense in phys. disp. 13. q. 4.

Albertus phys. 2. tract. 2. c. 19.

Clemens recognit. l. 9. hierim. 10, 2, 3.

Calvinus com in Jerem. 10. v. 2, 3. Augustin. de civitate Dei l. 5. c. 9. Vasquezin 1 2. tom. 1. disp. 38. c. 4. Ferrariensis cont. Gent. l. 3. c. 92. Henricus quodlib. 6. q. 10. Picus Mirandula cont. Astrologiam l. 4. c. 2. Calvinus com in. Matth. 2. 2. Cajetan comm. in Matth. 2. 2. Gregorius Nissenus oratio de nativitate CHRISTI. Chrysostomus homil. 6. in Matth.

quia animales & physicæ inclinationes physicæ temperaturæ sic vel sic dispositæ à corporibus cœlestibus aliquo modo inclinant liberum arbitrium: quo modo videmus Cholericos iracundos, Phlegmaticos actiones etiam morales suæ temperaturæ convenientes exercere, sed non necessitate fati, & hæc sensu vetat *Propheta ne nobismet à signis Cœli aut sideribus metuamus*; qui fuit olim superstitiosus timor *Ethnicorum*. *Hinc orti sunt Genethliaci* (inquit *Calvinus*) & volunt ex *horoscopo vitam pendere, & ex astris utramque fortunam & bonam & malam prænunciari posse*, & natum aliquem, dum Sol est in capite vel cauda talis signi, manere bonam vel malam fortunam. & *Chaldæos* ex astris gentis suæ prosperum & florentem statum, victorias & nationum debellationem sibi vaticinatos fuisse, quo pacto DEI timor religiosus, fiducia orandi prorsus extingueretur. Eâ de causâ negat *Augustinus* ullam esse causam naturalem bonæ fortunæ, sed regnare DEI providentiam. 3. A fato astrorum non esse effectus per accidens, *neque esse aliquam constellationem*, (ut recte ait *Vasquez*) *quæ hominem inclinet, quando imminet ruina domus, ut domo exeat, eâ ratione, quia tunc imminet ruina*; *nam illa ruina per accidens conjungitur cum exitu è domo. Ferrarienſis, Henricus, & Joan. Picus Mirandula* consuli possunt & de hac re legi. Ridiculum itaque est quod CHRISTI regnum spirituale referant in ipsius nativitatem sub *novâ stella* quæ à *Magis* visa est in *Oriente*. Sed rectè dicit *Calvinus stellam fuisse omninò extraordinariam præter solitum naturæ cursum ortam*. Et *Cajetan non fuisse stellam*, sed *Cometam igneum in aëre qui* motu progressivo eos diduxit ad CHRISTUM, & quievit suprà *Bethleem* in quo natus erat. Ideo *Gregorius Nissenus, Chrysostom. Augustin. Isidorus, Ambrosius, Hyeronimus, Fulgentius* dicunt stellam non *fuisse fatum pueri, sed puerum fuisse fatum stellæ*. Certè puer stellæ istius CREATOR fuit. Nos tale fatum impium & execrandum putamus.

Augustinus contra Faust. l. 2. c. 5. Isidorus l. de passi. Domi. c. 13. Ambrosius l. 2. in Luc. Hyeromin in Esai. 47. Fulgentius sermo. de Epiphania.

Quartum fatum. Bradwar. de cau. Dei l. 1. c. 28.

Quartum fatum est Christianum & divinum. Fatum divinum (inquit *Bradwardin.*) *est procul dubio concedendum, nonne scriptum est in principio creaturæ, dixit* (*fatus est*) *DEUS, istud autem est fatum divinum, estque maximè voluntatis divinæ, quæ est efficax rerum causa.* *Augustin.*

August. Divinâ providentiâ omnia constituuntur, quæ si propterea quisquam fato tribuat, quia ipsam Dei voluntatem, fati nomine appellat, sententiam teneat, linguam corrigat. Augustin. de civ. Dei l. 5. c. 1.

Verum hoc fatum ego triplicitèr considerandum crederem. 1. *Activè.* 2. *Passivè.* 3. *Relativè*; Et prout dicit mediam relationem inter utrumque. Fatum activum, est ipse DEUS quatenus omnia quæ sunt, fuerunt, aut erunt, fatur, destinat & decernit. Fateor DEUM decernentem impropriè dici fatum. Fatum passivum sunt res ipsæ omnes sive necessariæ, sive contingentes, quatenus fato, & dicto, & quasi pronunciato DEI decreto sunt statutæ, decretæ, & immutabili DEI & æternâ constitutione fixæ & statutæ. Et sic fatum est in rebus, potius quam in DEO qui fatur & irrevocabiliter decernit. 3. Fatum sumitur relativè, pro ordinatâ connexione rerum, causarum & effectuum, non quidem in se & comparatione causarum secundarum (sic enim erumpi & dissolvi potest hæc connexio, cum sit in permultis contingens, non vero necessaria) sed in relatione ad DEI decretum & irresistibilem & immutabilem DEI constitutionem & providentiam. Et quamvis nomen fati Christianum non sit, tamen res ipsa sensu orthodoxo, negari non potest: 1. Quia hæc est invictissima Spiritus Sancti consequentia, *Hoc fatus est* JEHOVAH, *hoc loquutus est* JEHOVAH, *hoc consilii inivit* JEHOVAH. Ergò res hæc vel illa, de quâ fatus est, vel de quâ JEHOVAH consilium inivit, licet in se contingentissima (si sic loquendum) necessario futura est; Vel hæc res prout subest DEI fato & enunciato, decreto & consilio, non potest non esse. Ita ubique sacræ Scripturæ. * *Sic loquutus vel fatus est, & faciet. An Deus loqueretur & non faceret?* Item. *Ego loquutus sum & faciam.* DEUS autem non fatur vel loquitur rem fore, nisi quam decreto immutabili fore statuit: *Num.* 23. 19, (2.) Quia quæ DEUS semel fieri decrevit, ea quatenus DEI decreto subsunt, non magis possunt non esse, quam DEI decretum rescindi & mutari potest: 3. Quia, cum DEI voluntas sit efficax causa rerum omnium,

* Gen. 21. 1. Gene. 24. 51. Gene. 28. 15. Exod. 9. 12. v. 23. Exod. 32. 13. Num. 10. 29. Num. 23. 19. Deut. 26. 19. Deut. 6. 19. Josh. 21. 45. 1 Sam. 25. 30. 2 Sam. 3. 18. 2 Sam. 7. 19. 25. 2 Chro. 6. 15.

2 Chro. 18. 22. Psal. 50. 1. Psal. 60. 6. Esai. 1. 20. Esai. 21. 17. Esai. 25. 8. Esai. 40. 5. Esai 46. 11. Jer. 48. 8. Jer. 51. 62. Joel 3. 8. Obadiah v. 18. Mica. 4. 4. Math. 3. 3. Acta 3. 21. Esai. 14. 24, 25, 26, 27. Jerim. 51. 29. Esai. 29. 22. Esai. 23. 18, 19. Jer. 4. 28. Jer. 49. 20. Jer. 50. 45. Thren. 2. 8.

um,

um, *omniáq; operetur secundum consilium voluntatis suæ,* Eph. 1. 11. Nihil est futurum in rerum naturâ nisi necessarium sit fore, hoc posito quod Deus, qui est omnium entium prima causa, id fore decrevit. 4. Quia dominium providentiæ Dei nullum foret, neque infallibilis ratio in Dei voluntate cur potius non frangenda sint ossa Christi, quam cur frangenda sint, cur potius Apostoli sint Evangelium prædicaturi, quam non prædicaturi: cur *Gentes* convertendæ sint ad fidem, potius quam non convertendæ; si rerum futurarum, vel non futurarum existentia à Dei voluntate non necessariò dependeret, 5. Quia corrueret fides, spes, fiducia in Deum; precibus & gratiarum actioni nullus foret locus, patientiæ & consolationis Christianæ nullus usus, si à Dei liberâ voluntate & decreto bona & mala contingenter evenientia, res secundæ & adversæ, pauperies & opulentia, honos & infamia, gaudium & tristitia non necessariò promanarent, sed hæc indifferenter obtingere nobis, vel non-obtingere possunt, prout lubricis causis secundis visum est, citra divinæ voluntatis efficacem determinationem; 6. Quia quæ sunt naturâ suâ necessaria ea necessitatem in illud quod est præter vel contra naturam sortiuntur à Dei libero decreto, ut necesse est mare rubrum dividatur, Deo ita volente, hoc libero decreto factum ut *stella Veneris* sub *Ogyge* Rege mutarit *colorem, magnitudinem, figuram & cursum,* quod *portentum* vocavit non tantum *Varro,* sed etiam *Adrastus, Cyzicenus, & Dion Neapolis,* nobiles Mathematici. Idq; ut ait *Augustin. quando Deus vult, naturæ leges suas mutat.* Hoc facto divinæ voluntatis facta est nova apparitio in *Cassiopeiâ.* Hinc contra naturam fit sæpè frigus intentum Sole existente in Caniculâ, & dum est in Capricorno æstus vehemens. Sic *Fonseca* ait verum *fatum nihil aliud esse, quam infallibilem & suavem, juxta cujusque rei naturam divinæ providentiæ executionem,* ita *Thomas, Collegium Complutense. Suarez* idem asserit, *Calvinus* (inquit) *& alii hæretici negant voluntatem liberè operari: quia indiget divinâ motione determinante illam ad operandum, vel certè quia subjecta est dispositioni divinæ voluntatis, per quam ita sunt ordinata omnia, antequam fiant ut non possint aliter fieri, aut evenire.* Sed audax homo nos liberat eo crimine ablatæ & spoliatæ libertatis humanæ, vel eam labem *Augustino* adspergit. *Imo* (addit *Jesuita*) *Augustinus ex Senecâ ita explicat Stoicorum sententiam, ut scilicet, Per fatum intellexerint hanc dispositionem*

Augustin. de civ. lib. 21. c. 8. Nova stella, Anno 1572. Fonseca Metaph. l. 6. c. 2. q. 2. s. 5. Thomas 1. par. q. 115. art. 2. Collegium Complute. phys. disp. 13. de fort. & fat. q. 4. n. 17. Suarez de operi. sex dier. tract. de anima disp. 1. sec. 2. n. 3. Augustin. de civ. Dei l. 5. c. 8. Seneca de Benefic. & epist. 18.

nem divinæ voluntatis & judicat in hoc sensu non esse improbandam illorum sententiam.

Denique sæpius moneo, de conspiratione rerum, quæ contingenter eveniunt cum invicto decreto hæc quæ breviter repeto hic. *Positiones de consociatione Dei decreti cum rebus contingentibus.*

1. Non neganda est hæc amicissima consociatio creaturæ, e jusque modi vel liberè vel necessariò agendi cum invictâ Creatoris efficacissimâ voluntate, etsi nos homunciones minimè mente capere, vel intellectu comprehendere possemus tale mysterium.

2. Atheon est negare, imo Scripturis, DEI naturæ, attributis, sanæ rationi, Orthodoxæ Theologiæ contradicentissimum, omnia entia, futura, necessaria, contingentia, libera, cogitationes, curas, consilia, eventus, actiones, circumstantias, modos operandi, utramque (ut vocant) bonam ac malam fortunam, ortum, interitum, pacem, bellum, peccatum, justitiam non subesse DEO, ut Moderatori, Domino, Decernenti, Statuenti, Creanti, Dominanti, efficacissimè Operanti, invictè & irrevocabiliter Volenti, aut permissivè (ut in actionibus pravis Hominum & Angelorum fit) Constituenti subesse, & ab eo regi & determinari qui mundum fecit, factum gubernat.

3. Voluntas in id ex insitâ vi electivâ non potest non conspirare, & in illud ipsum interpretativè consensum præbere, quod DEUS externâ, secretâ, & genio creaturæ amicissimè contemperatâ necessitate ab æterno immutabiliter decrevit, nec magis læditur agendi modus liber, nativa voluntatis aut causæ contingenter operantis indoles, in attingendo suum objectum, quam si per impossibile imaginaremur nullam esse providentiam, nullum decretum, determinationem DEI nullam.

4. Quin imò ipse agendi modus liberè & contingenter, non minus quam ipsa actio, est immutabiliter à DEO statutus & determinatus.

5. Neque hæc inter se pugnant, ut Adversarii somniant, *Aliquid futurum est sub disjunctione, potest hoc evenire & potest non evenire*, Et *Hoc est in se, & à parte rei, futurum necessariò*, nempe, necessitate secundum quid, *Ut fractio ossium Christi* a nefariis sicariis, in illud plus æquo propensis & odio in CHRISTUM turgentibus, omninò potest esse vel non esse, sub disjunctione 1. In relatione ad causam liberam quę manet causa libera sive prorumpat in hunc effectum

ut frangant ossa *Christi* sive ex aliâ causâ & motivo minimè religioso & pio abstineant. 2. At in relatione ad naturam ipsius eventus necessaria est vel *fractio* vel *non-fractio*: quia copulativè impossibile est, ut simul existat *fractio ossium Christi*, & etiam *non-fractio ossium Christi*, sed sufficit ex naturâ rei, imo necessariò est ut alterutrum tantum à parte rei existat, nempe, vel *fractio ossium*, & tum impossibilis est *non-fractio* necessitate non-existentiæ seu impossibilitate secundum quid, si existit fractio, ut ex logicâ notum est: Vel si existit *fractio*, necessaria est etiam ex hypothesi, & secundum quid *non-fractio*. Et eodem planè pacto, potest *fractio ossium Christi* in se contingens esse, tum in relatione ad causam liberam, cujus salva manet essentia & salvus est operandi modus, sive existat fractio, sive non existat, tum respectu naturæ ipsius rei, quæ ratione disjunctionis potest esse effectus liber actu existens, potest esse effectus liber nunquam actu existens: at in relatione ad primam causam, quæ non dat esse eventibus absolutè & sub indeterminatâ & volubili disjunctione; sed dat esse determinatum, fixum & necessarium, necessitate secundum quid, *non-fractio* est eodem modo necessaria, quo alterutra pars disjunctionis & à parte rei est necessaria, nempe, necessitate secundum quid: quia omne quod est, quando est, necesse est esse. Et omne futurum, quando est futurum, necessariò est futurum.

Futura contingentia sunt à parte rei determinata disjunctive non copulative.

6. Nihil facilius quam demonstrare DEUM absolutè & citra omnem conditionem decrevisse, & ab æterno constituisse omnia & singula quæ eveniunt, præcisè in eam partem disjunctionis quâ eveniunt, ex Scripturis. 1. Quoniam Scriptura invictè argumentatur à DEI decreto ad necessariam rei existentiam & futuritionem, vel non-existentiam & non-futuritionem. Ut JEHOVAH inivit consilium & hoc decrevit. Ergo *Chaldæi* à *Medis* vastabuntur: quia consilium JEHOVÆ in æternum consistet immutabiliter & irrevocabiliter. Consule *Isai.* 14. 27. *Psal.* 33. 10, 11. *Esai.* 46. 10, 11. *Jer.* 4. 28. *Eph.* 1. 9. *Jer.* 49 20. *Jer.* 51 29. 2. Juravit JEHOVAH exercituum se facturum multa (& est omnium par ratio) quæ ministerio causarum contingenter operantium eveniunt. Ergo absolutè decrevit ea contingentia in effectum præstiturum, *Isai.* 14. 24. *Hebr.* 6. 16, 17, 18. *Gen.* 26. 3. *cap.* 24. 7. *Exod* 13. 5, *cap.* 11. 1. *cap.* 33. 1. *Num.* 14. 16, 23, 30. *cap.* 32. 10, 11. *Deut.* 1. 8. *Deut.* 9. 5. *Deut.* 26. 3. *Josh.* 21. 43, 44. *Psal.* 95. 11.

Futura contingentia sunt à Deo ab æterno determinata.

Ratio

Ratio autem consequentiæ est: quia quod DEUS juravit se facturum, id DEUS decrevit & voluit ab æterno facere, idque absolutè, nullâ conditione suspendente actum volendi, est enim impossibile dari actum immanentem in DEO qui habeat aliquam causam aut conditionem in creaturâ.

3. A promissione DEI idem demonstratur, DEUS enim multa promittens, adeoque dare & ad extra efficere volens & decernens quæ Ministerio causarum contingentium fiunt, non potest ea decernere ex hypothesi quod futura sunt, (id ridiculum foret) neque ex hypothesi quod causæ liberæ ad tales eventus aut effectus liberos sese determinarint, cum libera determinatio *Gentium* ad CHRISTI vocationi obediendum, *Mariæ* ad contrahendum cum *Josepho* matrimonium, patrum CHRISTI ex semine *Abrahami*, *Davidis*, & aliorum ad matrimonium & liberorum procreationem, multaque id genus merè contingentia, sunt res à DEO promissæ. Non ergo possunt esse conditiones promissionum conditionalium; quod talia contingentia sint promissa, adeoque decreta absolutè, clamant Scripturæ, *Gen.* 3. 16. *Gen.* 9. 27. *cap.* 15. 4, 5. *Gen.* 22. 16, 17. *Esai.* 54, 1, 2. *vers.* 10. *cap.* 44 1, 2, 3, 4. *Zach.* 12. 10. *cap.* 12. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7. *Esai.* 64 1, 2. *Ezech.* 36. 26, 27. *Deut.* 30. 6. *Ezech.* 11. 19, 20. *Jer.* 32. 33, 34. 35, 36, 37, 38, 39. *Jer.* 34. 39. 40. *Psal.* 2. 8, 9. *Psal.* 72. 7, 8, 9, 10, 11, 12. *Hose.* 1. 10, 11. 1 *Pet.* 2. 9, 10.

4. Omnes prædictiones, quibus bona contingenter futura, vel etiam pœnæ & supplicia, aliaque quæ indifferentia in se sunt, continentur, sunt à DEO decreta & absolutè statuta: non enim prædicit DEUS futurum hoc, vel non futurum, nisi quod decrevit futurum vel non futurum. At multa talia sunt in Scripturis, sicut est scriptum, *Joan.* 15. 25. *Math* 2. 5. *Math.* 26. 24. *Marc.* 1. 2. *Rom.* 8. 36. 1 *Cor.* 10. 7. *Joan.* 13. 14. *Joan.* 19. 36. *Mar.* 15. 27, 28. *Math.* 27. *vers.* 35.

5. Decretum conditionatum quorundam futurorum contingentium prorsus nego, si conditio referatur ad DEI voluntatem decernentem, quasi DEI voluntas decernens suspenderetur ab ullâ conditione, causâ, opere, aut motivo in creaturâ. Est enim voluntas aut decretum propriè suspensum quid ambiguum, dubium præsupponens ignorantiam aut judicii defectum in DEO, quod mihi blasphemum

Quomodo decretum Dei de futuris contingentibus est absolutum, quomodo conditionatum.

phemum est. Qui enim infinitæ est scientiæ nihil non fixum & determinatum statuit, & irrevocabile: terrenus enim Judex qui aliquid decernit, si hoc aut illud evenerit, si vero non evenerit, nihil decretum, nihil fixum vult, in tali decreto justus esse potest, sed decretum tale manifestò involvit defectum sapientiæ, scientiæ, potentiæ, misericordiæ, bonitatis, &c. quod de DEO sentire nefas, ideoque plura non addo iis quæ à me alibi dicta sunt, & quibus nihil est responsum. Decretum enim tale DEO indignum ex Scripturis demonstravi, & contra Adversarios hanc DEI veritatem me ad extremum vitæ meæ spiritum propugnaturum & defensurum per DEI gratiam confido. At vero decretum conditionatum ex parte objecti non nego. DEUS enim decrevit regnum *Sauli* stabilire, siquidem obediisset: sed non est decretum hoc ambiguum aut suspensum: quia fixò peremptoriè, & irrevocabiliter DEUS stabilitionem regni *Sauli* concatenari & connecti voluit cum *Sauli* debitâ obedientiâ, nec hoc decretum DEUS retractavit aut retractare potest. At quoniam DEUS in *Saulo* talem obedientiam per gratiam efficacem nunquam efficere decrevit, est propriè decretum absolutum & immutabiliter fixum, non conditionatum, nisi impropriâ & loquutione Metonymicâ: quoniam objectum est tantum conditionatum.

Exercita. Apologe. pro divina gratia exer. 1. c 3. pag. 57, 58. 59, &c.

Inter nostros nemo pervicacius providentiam & immutabilitatem divinorum decretorum impugnavit, quam *Th. Jacksonus* Arminii Sectator acris, libro anglice scripto de providentiâ, *ca.* 17. *ca.* 20. *ca.* 21, 22, 23. *Deus* (inquit *c.* 17 *sect.* 2.) *in multis actionibus humanis decrevit mixturam & possibilium entium multitudinem, sensus noster est, statum æterni & omnipotentis Dei fati* (*aut verbi aut decreti*) *unde omnia tam legem quam essendi modum habent, ut & ipsum esse respectu eventuum possibilium decretorum non copulative & categoricè sed disjunctive decretum esse. Ratio ejus. Potest* (inquit) *Deus æque concipere & facere propositiones verè disjunctivas, atque nos: & decretum hoc de possibilibus sub disjunctione semper est impletum.* Respondeo. Insulsè DEUS dicitur decernere possibilia sub disjunctione, uti insulsè dicitur DEUM decrevisse hominem esse animal: quia impossibile est hominem non esse animal, ita impossibile est, quin possibilia sub disjunctione sint futura, vel non futura: Non est fingendum tam

Th. Jacksonus *Anglus Arminii Sectarius omnia decreta esse sub disjunctione docuit.*

pendulum

pendulum & ambiguum in DEO decretum quo statuit ossa CHRISTI frangenda vel non frangenda; Dominum asini concessurum CHRISTO, vel non concessurum CHRISTO Asinum, pro indifferentiâ arbitrii; Pueros clamaturos hosanna, vel non clamaturos; milites divisuros vestes CHRISTI, vel non divisuros: Discipulos derelicturos CHRISTUM, vel non derelicturos. 1. Quia hæc sunt necessaria simpliciter, sub periculo æternæ contradictionis. Vel frangenda vel non frangenda sunt ossa CHRISTI, etsi supponeremus per impossibile nullam providentiam, decretum nullum sapiens. 2. DEUS in decreto plus aliquid habet quam cæcutiens homo, atqui cæca fortuna, ignari & fatui homines possunt decernere omnia sub disjunctione contingentia. Num, quæso, dæmones respondere non possunt, & omnes DII & Idola *Gentium*, futura contingentia de morte *Achabi* futurâ, de *Israelitarum* interitû, *Jobi* ægrotationê, & infinitis id genus eventibus, omnia hæc futura, vel non futura sunt: num propterea (mi *Jacksone*) Idola, fortuna, homines DII sunt, qui futura prædicere queant, uti JEHOVAH noster? 3. A DEI decreto Scriptura infert; rem determinatè fore, non sub pendulâ disjunctione & ambiguo, nempe, *Medi* vastabunt *Babylonios*, quia sic JEHOVAH consilium inivit. Vide *Esai.* 14. 27. *Psal.* 33. 10, 11. *Esai.* 46. 10, 11. *Ier.* 49. 20. Non autem decrevit *Medos* vel vastaturos, vel non vastaturos *Babylonios*. Ac sic 1. Nihil fixi certive decrevit DEUS. 2. Nihil certi ex decretis illis pendulis & disjunctivis potest prædicere. 3. Nihil spei, fidei, patientiæ, consolationi hominum materiæ, nihil fulcri, substituere potest DEUS circa futura: quoniam DEUS decrevit te affligere per organa Diaboli, vel non affligere, te cibare vel non cibare, à vi gladii eripere, vel non eripere.

Denique quoniam scit JEHOVAH propositiones discretivas fore veras & implendas vel impletas fore, non sequitur DEUM ea decernere; scit verum esse, se DEUM, esse omniscium, justum, misericordem, an propterea decrevit liberè se fore DEUM Omniscium, vel non fore? se esse justum vel non justum? non enim quicquid DEUS scit, id statim sub liberum DEI decretum cadit, scit bis tria esse sex, at non decernit bis tria esse sex.

Objicit ibidem *Jacksonus*. *Dei decretum respectu totius ac cujuslibet*

partis proprii objecti est aquè omnipotens, ideoque tam est impossibile ullam necessitatem (quolibet prætextu, aut cujuscunque causæ respectu) irrepere in tales eventus contingentes, quorum modam legemque, quod attinet ad productionem, Deus contingentem fore decrevit, quam effectus necessarii possint fieri contingentes. Respondeo 1. Decrevit DEUS quidem, ut causæ aliæ contingenter, aliæ verò necessariò operarentur. Sèd quæstio est de naturâ causæ contingenter operantis; Jesuitæ aïunt contingenter operari voluntatem, esse voluntatem absolutè posse operari vel non operari. At hoc probandum, non citra probationem supponendum, nos enim DEI determinationem restringentem voluntatem ad unam partem contradictionis minimè tollere naturam contingentiæ, sed cum eâ optimè consistere docemus, modo ita operaretur, ut in relationem ad causam secundam, non ad primam posset sic operari, vel non, in sensu diviso, non in composito.

CAPUT XI.

Jacksoni *de fato & necessitate sententia examinatur.*

CUm Scripturis asserimus milites partiri vestes CHRISTI, non frangere ossa CHRISTI, *Medos* vastare *Chaldeos* contingentissimè, libertimè, electione nullo modo pressâ vi sed judicio rationis indifferente, quoniam, in plerisque ejusmodi graviter peccarunt, & simul necessario, necessitate modali, κατὰ τὶ, & ex suppositione divini decreti, ita ut non potuerit non evenire talis partitio vestium, talis non-fractio ossium, & talis per *Medos* vastatio, ideoque Deus, ut hæc omnia contingenter fierent, decrevit.

Jacksonus *de fato cum suis Arminianis ignorat quid sit voluntas signi, quid beneplaciti.*

Objicit *Jackson.* ibid. *DEI voluntas igitur non impletur, si non facit homo, quod Deus eum facere vult, & jubet. Duo Respondet* ad hoc. 1. *cujuslibet hominis conscientiam arguere ipsum DEI voluntatem in terris minimè facere, sicut Angeli in Cœlis,* 2. *DEUM implere voluntatem suam in illo puniendo, quoties non impletur per illum.* Resp. Naturam voluntatis signi prorsus ignorant Omnes *Arminiani* & *Jesuitæ*

Jeſuitæ, nam DEI voluntati propriè dictæ tam eſt impoſſibile reſiſtere, aut quo minus fiat impedire, etiam quando per agentia libera fit, quam DEI Omnipotentiæ poſſet reſisti, aut DEUS conſilio, & votis ſuis cadere, promiſſis falli, juramento excidere, quæ omnia fieri non poſſe Scripturis ſupra demonſtratum eſt. Peccatores ergo non faciendo voluntatem DEI approbantem, voluntati DEI non reſiſtunt. *DEUS enim quodcunque vult, facit Omnipotenter, per agentia etiam libera.* ESAI. 14. 26, 27. PS. 115. ESA. 46. *&c.* (2.) Voluntas DEI puniens temper impletur in hominibus, ſed quæſtio jam eſt de voluntate DEI per homines implenda: DEUM hic voluntate, conſilio, decreto, intento, voto, promiſſione, juramento blaſphemè excidere ſomniant adverſarii, quoniam vero hæc voluntas DEI per homines implenda nunquam impletur, nobis non eſt voluntas DEI propriè dicta, ſed tantum officii Creaturæ approbatio, ſive illud officium actu præſtetur, ſive non. DEUS autem quod voluntatis approbantis objectum qua tale eſt, non decrevit fieri aut in rerum natura exiſtere, nec ab æterno fieri voluit, ut autumat *Jackſonus.*

Platonici (inquit *Jackſonus.* c. 20.) *Derivant pleroſque humanos eventus vel ſucceſſus ab ordine & diſpoſitione cauſarum Cæleſtium, diſpoſitionem vero, quando à cauſis ſecundis eſt inſuperabilis, fatum, quando ſuperabilis ab induſtria, ut deſidiam expugnare queat, fortunam vocant.* Reſ. at Quid *Platoni* fatum, non eſt quæſtio, ſed quid *Jackſono*, quid *Arminianis* & *Jeſuitis*, ſi enim futura contingentia eveniant ante & citra omne DEI decretum aut intentionem, reſpectu DEI & non hominum, fortuita ſunt, quo quid abſurdius. 2. Nihil non in ordine ad cauſas contingenter operantes ſuperabile per hominum induſtriam DEO juvante & concurrente. An ergo edimus, bibimus, ambulamus, mercamur, loquimur, dormimus, vigilamus, reſpiſcimus, & irati numinis plagas effugimus, fortuna? minimè vero, at vero in Relatione ad DEI decretum, quo fixa & determinata ſunt omnia, nihil ſuperabile, quia Conſilium JEHOVÆ & cogitationes ejus in Æternum ſtant. Ps. 33. 10, 11. ISA. 13. 24. c. 46 10, 11. HEB. 6. 16, 17. etiam quando DEUS illa invicta ſua & fixa conſilia exequitur per homines, *Mædos, Perſas* & alia libertimè agentia.

Quid fatum Platoni ex Jackſono.

Plato *potius fatum videt & mulieribus ſententiam de ſuo aſcribere viſus eſt in Gorgia. Mulieribus* (inquit) *credendum ἐπὶ πλεῖ ἐμαμάνθανον ὑπὸ ἀν εἰς ἐκφύγοι. quod nemo ſuum effugere poſſet.*

Plerique (inquit c. 21.) *Creaturæ ſunt ſubjectum contingentiæ, Genus humanum*

Jacksonus præmia & pœnas fato id est sapienti DEI decreto includit, omnia alia entia providentiæ & decreto DEI excludit, quasi pœnes cæcam fortunam esset rerum omnium gubernatio.

humanum vel societas humana est propria sphæra extra cujus circumferentiam neque fortuna neque fatales eventus vagantur; non tamen quælibet hominis pars fato subdita est. Hoc immutabile (inquit) *fatum est, ut qui bonum faciunt, præmia reportent, qui malum faciunt, puniantur juxta id Pauli* ROM. 2. *DEUS unicuique secundum opera reddet. actiones & electiones hominum ipsæ sunt contingentes non fatales, tolleretur sic ratio virtutis & vitii, at eventus seu consequentiæ actionum fatales sunt, non contingentes.*

Resp. Si *fatum* sumatur pro decreto DEI sapiente & immutabili & absoluto, quo DEUS cuncta apud se decrevit, & fatus est in mente suâ Æternâ quæcunque eveniunt in tempore, uti nos sumimus, citra ullam relationem ad sidera, aut Cœlos, non tantum Genus hominum, sed omnia necessaria, contingentia, bona, mala, futura, præsentia, præterita, prospera, adversa, fames, inedia, generationes, corruptiones omnium viventium, accretiones, decretiones, fertilitas, copiosus proventus, honos, ignominia, sterilitas, orbitas, numerosa & fœcunda soboles, & quicquid evenit, quicquid nunquam evenit sed evenire potest, ut liberatio CHRISTI à morte per plusquam duodecim legiones *Angelorum*, fractura Ossium ipsius; Hoc fato, id est divino decreto, vel eveniunt, vel fortunâ & Casu volvuntur omnia, quicquid homines Atheoi in contrarium dicant, nec Scriptura restringit ad fatum id est, ad DEI decreta, *pœnas & præmia & eventus & consequentias actionum contingentium*, magis quam ipsas actiones, & omnia hic enumerata, quod *Jacksonus* somniat, qui supra & extra quod Scriptum est, sapit. Nam quoniam *Paulus* præmia & pœnas voluntati DEI subjicit, an omnia alia excludit divino fato & immutabili providentiâ? nihil minus, plenæ sunt Gonciones Prophetarum, plenæ CHRISTI & Apostolorum, qui ventos, pluvias, procellas, serenitates, reptilia, passerculos, aves omnes, pisces, bruta, & eorum motiones, actiones, accessus, recessus, & nihil non huic fato ascribunt, id est, sapienti DEI consilio & providentiæ.

Plagæ (inquit) *aut pœnæ tum proprie fatales dicuntur quoties Deum pœnitere nequit, aut sententiam retractare non potest. Cum clausi sunt DEI oculi hominum lachrimis, aures obstructæ precibus.* Resp. Satis clarè innuit *Jacksonus* DEUM pœnitere posse omnium quæ decernit, aut ab Æterno apud se constituit, sive bona sive mala

sint

sint, sive ab ipso fluant effectivè sive permissive, si non sint pœnæ quas indurati commeriti sunt, eæ quidem fatales sunt. Potest ergo retractare DEUS quod de Filii sui incarnatione, de fide & perseverantiâ Electorum, liberatione Ecclesiæ, perditione hostium (si non sint admodum obdurati) de immutabilitate & stabilitate novi fœderis & promissis Euangelicis ab æterno apud se constituit, hoc est, DEUS est mutabilis. Sententia DEI aut ulla DEI dispensatio externa, non est illud, de quo loquimur, fatum; nam DEUS actiones externas fato, id est, sapienti decreto suo regit. Alioqui *Arminiani* hic insinuant internam mutationem & revocationem consiliorum DEI quod *Conradus Vorstius*, & *Socinians* de DEO blasphemè fingunt, ideoque pœnæ absolutè decretæ, ut non fractio ossium CHRISTI; imo omnia quæ eveniunt aut non eveniunt fatalia sunt: quoniam fato, id est, DEI Omniscii & Sapientissimi consilio immutabili omnia eveniunt. & in DEUM ne quidem umbra mutationis circa volatum passerculi magis quam circa pœnas æternas, aut præmia hominum & Angelorum, cadere potest.

Jacksonus. *Homo respectu quorundam objectorum veram habet libertatem, electionem aut contingentiam, & à Creatore suo donatur potestate faciendi varietates antecedentium in cogitatione, verbo & facto, sed factis semel ab hominibus antecedentibus, licet non absque divinâ cooperatione, Deus solus consequentias decernit, absque ullo concursu aut suffragio hominis.* Respondeo 1. Hominem habere veram libertatem & electionem, ex nostris nemo negat: sed an hæc libertas sit absolutè indifferens, & soluta ab omni determinatione etiam suavissimâ quâ limitetur ad unam partem contradictionis (licet quoad modum tendendi in illam partem electio sit liberrima) quæstio est. Nos tam laxam electionem certissime credimus adversari dominio DEI in actus creaturarum, speciali promissioni fœderis gratiæ de efficiendâ in Electis novâ obedientiâ, fiduciæ orandi unde DEUS cor etiam hostium infensissimorum, & nostra corda ad sese & ambulandum in viis suis flectat, consolationi, spei, speciali in suos curæ & amori, misericordiæ & gratiæ electionis separatrici Electorum ab aliis nativæ suæ duritiei relictis, immutabili & absoluto decreto, unicæ, primæ, & invincibili causæ futuritionis omnium actuum creaturarum, Omnipotentiæ divinæ gratiæ. 2. Si vero homo omnes varietates antecedentium liberè & absolutè potest, nempe, audire simpliciter,

pliciter, nunquam audire, credere, vel non, orare, resipiscere, vel non, perseverare, vel deficere, nihil ex hisce decretum à DEO. Vah qualis, quam supina, somnolenta, Epicurea providentia? 3. Sæpè consequentes pœnæ fiunt libero Ministerio *Chaldæorum* punientium obstinatam defectionem *Judæorum*, *Absolomi*, *Shimei*, populi rebellis, & deficientis, quo in peccata *Davidis*, *Salomonis* vindictam excercet DEUS. Non ergo solo DEO Authore eventus & consequentiæ magis fiunt quam antecedentes malæ vel bonæ actiones quas sequuntur præmia & pœnæ.

Jacksonus & Arminiani *omnia fortunæ possibilitati & vagæ contingentiæ relinquunt, quasi vero DEVS non omnia ab æterno determinasset immutabili suo decreto.*

Jacksonus. *Cuilibet bono aut maleficio creaturæ possibili vel morali vel spirituali quoad gradus & pondus ab æterno destinata sunt supplicia aut præmia, non tamen absolutâ necessitate: quoniam æternum decretum reliquit homini possibilitatem non offendendi in hoc vel illo genere, neque in tali gradu, aut si offenderit, veniam & misericordiam orandi.*

Respondeo. Vides, chare Lector, nec bona nec mala opera, neque eorum gradus à DEO decerni futura: sed omnia pendulæ & Epicureæ possibilitati agendi vel non agendi commissa, at cur pœnæ aut præmia tam peremptoriè decerni, & non actiones bonæ & malæ & secundum tales gradus etiam? Omnia sunt scripta in libro ejus antequam sint: qui guttulas aquarum, micas arenæ, cogitationes nostras ab Æterno *Isai.* 40. *Psal.* 139. numeravit, an hæc omnia novæ Dominæ Deæ *Possibilitati* aut *Divæ & Reginæ Cœlorum Contingentiæ* demandavit? 2. Væ nobis si ab Æterno laxavit habenas arbitrii meræ possibilitati offendendi vel non-offendendi, gravius vel levius, quantum operæ dant Atheoi hi, ut Scripturis contradicant: *elegit nos antè jacta mundi fundamenta, ut essemus sancti.* Elegit ut fructus proferremus, prædestinavit, ut simus ad laudem *gloriæ*. Alii ad hoc judicium προγεγραμμένοι prædestinati. *Jacksonus* totum negotium electionis & reprobationis & eorum media, meræ possibilitati offendendi vel non, committit, ah sceleste, *ovem lupo commisisti.* Interim DEUS pœnas & præmia, sub disjunctione tali, vel tali gradu destinata in paratu habet: si fortè homines boni vel mali suæ Æternæ fortunæ sint fabri, ita cum illis DEUS agere statuit. Ubi, quæso, mediorum æquè ac finium decretum & ordinatio? 3. Nihil igitur DEUS de bono vel maleficio creaturæ futuro decrevit fixè & immutabiliter. At Scriptura ait nos constitutos & *prædestinatos esse ad sanctè ambulandum*, Eph. 1, 4. *ad bona opera*, cap. 2. 10.

Eph. 1. Joan. 15. Ephe. 1. 6, 7, 8.

Scriptura abunde omnia & singula quæ suo demum tempore eveniunt à Deo ejusq; æterno decreto & invincibili providentiâ, determinare demonstrat.

ad

ad salutem obtinendam per Christum, hinc (credo) liberrimè apprehensum, *non ad iram.* 1 Thes. 5. 9. *Per sanctificationem Spiritus, & fidem veritati habitam.* 2 Thes. 2. 13. (hæc non sunt vaga possibilia) *electos & ordinatos secundum Dei Patris præscientiam, per sanctificationem Spiritus* εἰς ὑπακοὴν καὶ ῥαντισμὸν αἵματος Ἰησοῦ Χριστοῦ. Non ergo ad possibilem sanctificationem & contingentissimè indifferentem & vagam obedientiam absolutè liberam seu potius fortuitò volubilem, lubricam, possibilem, vertibilem, relinquit nos DEUS. *Nos prædefinitos ad conformitatem cum Filio DEI*, Rom. 8. 29. non putò possibilem. *Positos seu constitutos ad afflictiones* per Diaboli instrumenta, perpetiendas. 1 Thes. 3. 3. Imò DEI decreti aut specialis providentiæ objectum in Scripturis nunquam statuitur vagum & & indifferenter possibile, sed quod est actu futurum vel non-futurum, uti sunt casus passerum in terram, *Math.* 10. 29. accipitris pansio alarum versus plagam australem potius quam borealem, *Aquilæ volatus, Job.* 39. 26, 27. *Substractio stillarum aquæ, stillatio super homines, extensio densarum nubium, fragores ad populi judicium, aut benedictionem*, prout DEO visum est. Job. 36. 27, 28, 29, 30. tonitruo nivi, imbribus, pluviæ DEI *mandatum datum, ut obsignetur manus hominum ab operibus in agris*, Job. 37. 3, 4, 5, 6, 7. de quibus *Elihu* v. 11. *Denique ipse Deus per vicissitudines versat secum sapientia sua consilia de opere istorum, quodcunque præcipit istis* (*faciendum*) *in superficie orbis, in terra.* v. 12. *sive ad flagellum, sive ad terram suam, sive ad beneficientiam efficit, ut præsto sit.* Imo hujus decreti sapientissimi determinata (non possibilia vaga) sunt incalescentia à vestimentis. c. 37. 16. *Bases & angularis terræ lapis*, c. 38. 5, 6. *occlusio & circumscriptio maris ne* à superbientibus undarum excursitationibus obruatur terra. 8. 9 10. Auroræ exortus ad maleficorum terrorem. v. 12, 13. *Thesauri nivis & grandinis ad diem belli parati.* v. 22, 23. *Euriflationes, aquæductus subterranei, pluviæ, rores, glacies, influentia Pleïadum, lora Orionis, Arcturi & signorum Borealium Ortus, Occasus, Cælorum in hæc inferiora* actiones efficacissimæ, *saphirinarum nubium & aeris serenitates.* ver. 24, 25. *&c. Leonum & corvorum voracissimorum cibatio.* Job. 39. *Rupicaprarum & cervarum partus, & mensium, quibus gravidæ sunt, numerus.* 4, 5, 6. *Onagri domus, feritas, pascua.* v. 8, 9 10. *Unicornis* feritas, qui DEO, non hominibus mandantibus inservire queat, *&c.* Hæc omnia quæ ex se possibilia

sunt, qui librum *Jobi* & sacram Scripturam legerit quivis sapienti DEI decreto ad unum, nempe, certam futuritionem fixa & determinata esse facile intelligat. Deinde sortilegium, terræque in tribus Israelis per sortes divisio hæreditaria, eodem modo obtingit. *Ioshuæ* cap. 14, 15, 16, 17, 18, 20, 21, 22 quo ex vaticinio *Iacobi*, quod multos annos sortilegium præcessit, ex singulari DEI sapientissimo decreto, *Gen.* 49. Item & *Deut.* c. 33. eventura fuerat. Ita *Prov.* 16. 33. Et quis non videt partitionem vestium CHRISTI & sortilegium de iis, quod in *Davide* nunquam impletum, item & perforationem manuum & pedum, *Psal.* 22. 17, 18. non fractionem ossium CHRISTI, *Psal.* 24. 20. Nativitatem CHRISTI in *Bethlehem*, *Mic.* 5. 2. quæ liberâ taxatione facta ab *Augusto*, *Luc.* 2. 1, 2, 3. liberoque adventu *Iosephi* & *Mariæ* ex urbe *Nazaretâ* in *Iudeam* in urbem *Davidis* quæ vocatur *Bethlehema* ut censerentur, evenire DEO decernente, & sortem quę *Mathiæ*, non *Iosepho Barsabæ* DEI decreto ad unum determinante rem ex se possibilem, ita obtigisse: ut taceam infinita id genus alia quæ ex sese & quod ad possibilitatem illam laxam & lubricam, ex solâ potentiâ DEI factivâ, nullo modo ex voluntate & decreto pendentem, attinet, nullam causam rationemve cur potius nunquam sint, quam sint, habeo nisi ad liberum DEI consilium confugiamus: DEI autem singulare consilium hactenus à Scriptura, ab omnibus sani judicii Theologis prima & invincibilis causa statuitur omnium rerum, vitæ, necis, honoris, infamiæ, paupertatis, opulentiæ, prosperæ & adversæ fortunæ: reclamant (fateor) *Iesuitæ*, *Arminiani*, imprimis *Gabriel Pennotus*, *Thomas Iacksonus*, qui decretum DEI disjunctivum novum commentum, cum fictitiâ scientia media excogitarunt.

Non negamus modum operandi, nempe, liberè & contingenter, esse à DEO decretum, ut nempe DEUS decrevit ut *Petrus* liberè crederet, hoc est, nullâ naturæ necessitate, sed ex internâ & vitali & plusquam spontaneâ electione & indifferentia judicii cernentis nullam connexionem tam simpliciter necessariam cum ultimo fine quin id quod elegit *Petrus* posset ex se & in sensu à DEI decreto & prædeterminatione divisio repudiare: attamen hoc non impedit quominus actus credendi in *Petro* liber sit determinatè futurus, & à DEI decreto determinatus, ut falsissimè *Iacksonus* dicat, *quisquid est non esse objectum aut partem objecti divini decreti, sed tantum id*

Jacksonus de prov. c. 22. sect. 2.

quod

quod est capax persuasionis ad bonum aut malum, & in suâ inclinatione alterabile metu pœnæ, aut premii spe: curant Magistratus ne homines furiosi, & rabidi canes noceant; sed canes quo minus mordeant, aut amentes legibus aut statutis non constringunt, sed homines ratione utentes jubent canes & phreneticos constringendos curare, ne noceant: decretum Dei de homine gubernando est regula & norma omnium humanorum decretorum, & supponit hominem rationis capacem & divinæ sanctionis magis susceptivum quam bruta animantia. Proprium & formale objectum divini decreti est moderatio hujus contingentiæ & libertatis hominis, obtinendo vel cavendo eventus & consequentias misericordiæ, justitiæ & benignitatis quæ exactè proportionantur naturæ & qualitati electionis & consilii.

Jacksonus possibile tantum statuit esse objectum divini decreti.

Resp. Scriptura dicit omnia quæ sunt à DEO decerni. Præter id quod diximus, idem probant *Rom.* 11. 36, 37. *Apoc.* 4. 11. *Prov.* 16. 4. negat *Jacksonus* providentiam ideoque DEUM ipsum si omnia & singula DEI consilio, decreto & speciali providentia evenire neget. Hoc Scriptura, Theologorum Systemata, libri clamant, loci Communes demonstrant, Concordiæ & Confessiones evincunt, ipsæ Cetecheseis docent. (2.) Motiones Rabidorum canum, orationes, verba, dicta, facta hominum furiosorum DEO decernente fiunt. *Math.* 8. 28, 29, 30. an non pœnæ peccatoribus sunt decretæ? id concedit *Jacksonus c.* 21. at Canum morsus sæpenumero pœnæ sunt a Justo Judice inflictæ. 1 *Reg.* 14. 11. *c.* 16. 4. *c.* 21. 19. 2 *Reg.* 6. 9, 10, 36, 24. 2 *Reg.* 22. 38. *Jer.* 15. 3. Fert DEUS legem canibus & omnibus creaturis ne suis noceant, *Exod.* 11. 17. imo Solem & stellas obsignat, ne oriantur, ventos prohibet, ne flent, pisces, mare, fluvios alloquitur, & arefacta tremiscunt. Ergo omnia hæc fieri decrevit, *Eph.* 1. 11. atheos homo restringit providentiam & DEI decreta ad hominem qua liberè agentem. Nempe decrevit, ut *Petrus* posset credere, posset non credere, en gratia, en providentia *Jacksoniana*, at possibile qua tale non cadit sub decretum, est enim omne possibile tale per creativam DEI potentiam, ex necessitate naturæ, antecedenter ad DEI liberam voluntatem, & si ponamus per impossibile DEUM nihil decernere, potest *Petrus* loqui, ambulare, non loqui, non ambulare. Tantum abest ut homo liberè agens qua potest agere vel non agere sit formale decreti divini objectum: imo omnia fortuna, aut per creaturarum providentiam sic eveniunt. Quid enim DEUS

magis facit decernendo ut homo possit agere vel-non-agere, quam fortuna aut Creaturæ? nempe Creavit hominem liberum, at hæc donatio est potentiæ liberè agendi, nihil hic decretum facit, quo magis posset *Petrus* credere quam non credere, vel non-credere quam credere. Et idem dicendum de omnibus actionibus contingentibus, cum vero nihil magis oppositum sit providentiæ quam fortuna, facit *Jacksonus* meram fortunam & vertibilem indifferentiam rerum (quæ esse possunt, vel non esse possunt, sopitâ providentiâ) proprium & formale objectum decreti: quod est nigrum albi, tenebras lucis statuere objectum. 2. Falsum *est divinum decretum de gubernando homine esse Regulam aut normam humanorum decretorum.* Nam leges humanæ regulandæ quoad moralitatem à DEI verbo & à voluntate revelata, at DEI decreta quibus permittit DEUS omnia quæ eveniunt scelera, non est nobis Regula actionum moralium.

CAPUT XII.

De variis gradibus seu speciebus necessitatum, juxta Jacksonum *de* Prov. *cap.* 23. *examinantur ejus Rationes.*

Jacksonus. c. 21.

QUis neget DEI legem aut fœdus magis strictum & peremptorium esse in quibusdam effectibus, quam in aliis, supponit propheta fœdus DEI prò die & nocte certius & immobilius, quam fœdus pro primis & serotinis pluviis, at lex DEI pro creaturis Cœlestibus non est instar legis Medorum ac Persarum; Josua precante facta est de eâ lege dispensatio, motio Solis & Lunæ non est perpetuo necessaria respectu ipsius decreti, tempora sementis & messis certa & immobilia evadere possunt, ambulantibus in DEI mandatis. Levit. 26. 4. *talis fuit sapientia legum datarum populo DEI, ut observando ipsas, aeris & Cœli dispositio mutari posset.* Ref. Non concludit *Jacksonus* decreta DEI esse alia aliis magis peremptoria & immuta-

Jacksonus *falso statuit quædam respectu Dei decreti esse magis quædam minus necessaria.*

& immutabiliora nisi mutata DEI decreta statuat, nam à comparativo gradu ad positivum valida est consequentia, nec procul abest à blasphemia *quod lex* seu *decretum DEI* (nam de tali lege loquitur) *circa glorioſiſſimas, in firmamento, creaturas non ſit inſtar legis Medorum & Perſarum*, quasi decretum DEI de motu Solis & Lunæ mutatum ſit ad preces *Joſhuæ*, ſic *Medi* immutabiliores in ſuis decretis quam JEHOVAH in ſuis decretis, cum *Medi* homines varii & inconſtantes ex ſecundarum cogitationum novo lumine decreta ſua retractarint, quod à DEO, in quem transmutationis umbra non cadit, nunquam factum, imo cogitatu impium est, sed ne hili quidem est argumentum *Jackſoni*. Quid? res decretæ mutatæ ſunt, nempe Sol conſtitit, nec motus est, ad preces *Joſhuæ*, quæ non mediocris est mutatio in Sole & Luna, Ergo DEI decretum de motu Solari perpetuo & naturali non est tam immobile & invariabile quam lex *Medorum*, nullo modo ſequitur. Quia pari ratione, quoniam DEUS decrevit varias in Luna, in hominibus mutationes, ergo DEI decretum est mobile & mutabile, ſicut Luna & homines? hæccine est logica *Jackſoni*? ſupponit enim DEUM non tam immutabiliter decreviſſe Solis & Lunæ conſiſtentiam ad preces *Joſhuæ*, quam motus naturales primos & ſecundos Solis, quod est atheon, nam ſic illa miraculoſa conſiſtentiâ Solis eſſet facta abſque DEI decreto, & fortuna aut Caſu dominante, & omnia miraculâ, in quibus DEUS cancellos & conſuetum naturæ alveum transgreditur, eſſent totidem mutationes & non tam certæ & peremptoriæ in DEI decretis determinationes, *quam leges Medorum*. 2. Quia hæc videtur minima neceſſitas vel neceſſitas in infimo gradu quæ diſpenſationem paritur. Revera tamen fallitur *Jackſonus*, dum putat neceſſitatem decreti recipere magis & minus, quæcunque enim DEUS fieri decrevit, ſive neceſſaria, uti ortus & occaſus Solis & Lunæ, ſive contingentia uti diſputatio *Petri*, ſunt æqualiter neceſſaria reſpectu decreti, quoniam æqualiter fundata ſunt in DEI infinita immutabilitate, ideoque falſum est quædam non eſſe tam neceſſaria reſpectu DEI decreti quam alia, nam illa quæ ſunt minus neceſſaria, qualia ſunt primæ & ſerotinæ pluviæ, ſerenum Cœlum, Meſſis copioſa, fertilitas vel ſunt à DEO decreta ſapienteque conſilio ab æterno præordinata, vel non; ſi poſterius, multa beneficia quæ à DEI benignitate & miſericordiâ profluunt, fiunt in tempore, quæ ab

Omnia ſunt æque neceſſaria reſpectu divini decreti.

Æterno

Æterno Deus fieri non vult, quod ἄθεον est, nam fortunâ & casu eveniunt, quæ Dei nullo consilio Æterno, providentiâ nullâ obtingunt. Quid *Epicurei* insulsius somniant? si vero sunt ab Æterno à Deo decreta, 1. sunt necessaria respectu Dei decreti: & æque necessaria atqui omnia alia quæ à Deo decreta sunt, si minus sunt necessaria quam alia, respectu decreti, ideo sunt minus necessaria, quoniam, quamvis decreta sint, possint non esse: ideoque sunt decreta Dei mutabilia, at sic Deus ipse mutabilis, contra Scripturas *Rom.* 1. 23. 1 *Tim.* 1. 17. *Jac.* 1. 17. *Mal.* 3. 6. *Psal.* 102. 27. esset, ideo enim mutabilis est quoniam decreta & consilia in dies mutat, quemadmodum nos homines, in quibus secundæ cogitationes primis sunt maturiores, & aliquid hodie discimus, quod hesterno die ignoravimus, at blasphemum est hoc de Deo cogitare: si vero hęc mala, nempe intemperies Cœli, Tempestates, inundationes, sterilitas, fames, terra ferrea, Cœlum ahæneum, non sunt decreta, Justus mundi Judex nullo consilio pœnas irrogat, quod in terrenos Judices non cadit, nisi insulsi & injusti sunt, & sic Deus comminatur id malum in tempore, quod ab æterno fieri non decrevit. Si vero conditionatè decreta sunt bona vel mala quæ *Jacksono* sunt *possibilia*, *& consequentia nostri officii vel functi vel neglecti*, hæ conditiones ipsæ saltem quod nostri est officii facere, nostraque libera obedientia, vel cadunt sub Dei decretum, vel non: si posterius, actus omnes obedientiæ & per Dei gratiam prestiti, etiam per gratiam quæ nobis ante tempora sæcularia data est, 2 *Tim.* 1. 9. effugiunt Æternum Dei consilium, contra Scripturas. *Apoc.* 4. 11. *Rom.* 11. 36, 37. *Ephes.* 1. 11. si conditiones non sunt decretæ (uti ex *Jacksono*, nullo modo sunt decretæ præcisè in hanc potiùs quam in illam partem, sic enim non essent actus liberi *Jacksono* & *Iesuitis*) tum omnia bona opera quæ Deus προητοίμασεν ordinavit & præparavit ut iis ambularemus tanquam nova Dei creatio, creati in Christo ad hæc opera. *Ephes.* 2. 10. sunt secundę Dei cogitationes in tempore exortæ in Deo, non ab Æterno volitæ & decretæ, si non conditionatè, sed absolutè decreta sunt hæc bona vel mala, tum immutabiliter necessaria sunt respectu divini decreti, contra *Jacksonum*. Denique satis manifestò innuit *Jacksonus*, observatione legum Dei datarum *populo suo potuisse mutari dispositionem aeris*, *& alterari inclementiam Cœlorum.* Cœli & aeris

Nostræ actiones Dei decreta non alterant aut mutant, sed contra Dei decreta alterant nostras actiones.

aeris conditionem non fuisse à Deo decretam, nisi minus necessariò, hoc est, ita fuisse fixam ut non fuisset tam immobile quam *sunt leges Medorum quæ inalterabiles fuerunt*, imò decretum Dei de serenitate aut procellis mutabile fuisse, & actu mutatum; uti ille somniat, in diebus *Iosuæ* decretum & Legem Dei Æternam de perpetuo Solis & Lunæ motu fuisse retractatam, & revocatam, quasi Deus cum novo miraculo novum hodie inirct consilium quod ei in mentem non venerat hesterno die, imo ab Æterno: sed Deum necesse foret *Medis* cedere & *Persis* legum stabilitate & decretorum immutabilitate.

Jacksonus, *eventus notabiles & insignes qui hoc instante sunt merè contingentes & facile impedibiles per varias praxeis DEO gratas, possunt successione & temporum revolutione evadere magis necessarii, & tandem verè fatales, & omnino inevitabiles. Absolutè necessarium ab omni æternitate, nihil verè æstimari potest præter deitatem & internas operationes Trinitatis in æternum beatæ. Multa quæ ab initio temporis habuerunt primos gradus possibilitatis (cum eorum contraria vel incompossibilia opposita in extremo gradu probabilitatis essent) siniſtro continuo tractu & cursu hominum cogitationum & actionum malarum tracta fuerunt à meris possibilitatibus ad plusquam probabilia ad primum gradum necessitatis, quæ tamen in principio non fuerunt absolutè & irresistibiliter necessaria. Hæc fata minora Ethnicis dici consueverunt. Iidem eventus omissione praxeon quæ ad necessitatem antevertendam præveniendamque Dei decreto statutæ erant, evadunt omnino irresistibiles & absolutè necessarii, non tamen absolutè necessarii ab æterno; eventus hoc modo omninò nudati omni contingentiâ & possibilitate quâ evitari possent, Ethnicis fato majori tribui consuerunt. De quibus in tractatu de prodigiis.* Respondeo 1. Per *eventus* hic *Jacksonus* notat judicia & supplicia divinitus interminata & infligenda propter peccatum: nempe, captivitas *Babylonica*, excidium *Hierosolymæ*, quæ quidem Deus comminatus est conditionaliter nisi resipuerint, fuerunt semper respectu decreti necessaria & inevitabilia, & verum est Deum comminatum fuisse in principio captivitatem illam conditionatè tantum & avertendam & præveniendam esse, Deus dixit, si resipuerint *Iudæi*. Sed illa comminatio non revelabat Dei secretum & occultum consilium de captivitate. Captivitas semper & ab Æterno fuit æquè necessaria respectu decreti, semper fuit inevitabi-

lis respectu decreti, etiam cum Deus comminatus est eam conditionaliter, & cum respectu mediorum & causarum secundarum puta resipiscentiæ *Iudæorum* fuerit vitabilis & per seriam ad Deum conversionem declinabilis. Sed *Jacksonus* strenuè asserit supplicia quædam respectu divini decreti esse in principio vitabilia & merè contingentiâ necessitatem illam decreti seu hypotheticam crescere à minoribus seu paucioribus gradibus necessitatis ad plures gradus necessitatis, donec tandem eventus evadat absolutè necessarius respectu decreti, cum antea fuisset necessarius respectu decreti secundum quid, & ita ut vitabilis fuisset, & non necessarius respectu decreti, sed tantum possibilis: & hoc modo insidiosè & astutè innuit decreta Dei, instar Lunæ, incrementum capere & evadere è decretis mutabilibus & retractabilibus ad stabiliora & paulò radicatiora & firmiora, & tandem crescentibus *Iudæorum* peccatis decreta Dei de fame, peste, captivitate evadere fatalia, & simpliciter immutabilia, & peremptoriè irrevocabilia, cum antea fuissent minus stabilia, & mutabiliora longe, quam *decreta Medorum & Persarum*, & omninò intercidi & abrumpi potuissent talia Dei decreta, sed ne vocuIam ex Dei Verbo, ne umbellam rationis, nisi jejunam similitudinem quæ extra oleas vagatur, ad hoc probandum adfert. At vero talis decretorum accretio, & intercisio ponit Dei decreta alia mutabilia & revocabilia, & alia irrevocabilia & immutabilia. Quæ blasphema est distinctio. 2. Sequitur ex hoc, Dei decreta non esse rerum causas, sed contra res extra Deum esse causas quæ dant stabilitatem, firmitatem & immutabilitatem decretis Dei. Deum facit pendulum, quasi nec posset nec auderet completè, peremptoriè & irresistibiliter decernere captivitatem, donec videret poculum iniquitatum *Iudæorum* impletum, paratusque esset pari passu incedere decernendo, quo *Iudæi* pergunt peccando, neque compleri decretum Dei nec adolescere in decretum firmissimum & immutabile, quod *Jacksono* est *majus fatum*, nisi temporum successu, valeant ergo & facessant Æterna Dei decreta: nec decretum integrari & consummari donec res decretæ actu extiterint in tempore. 3. Paratum esse Deum ad decretum revocandum & intercidendum sequitur, si homines resipuerint, & decreta Dei incipere & desinere, Deumque hesterno die decrevisse, hodie nihil tale decernere, cras vero idem decretum de novo reassumptuum, si *Iudæi*

Fingit Jacksonus decreta Dei eminus fixis & mutabilibus, ad fixa & simpliciter peremptoria & irrevocabilia in tempore cum actionibus creaturarum bonis vel malis adolescere.

dei ad vomitum cum cane redierint: quod docet Atheos *Conr. Vorstius.* Certum enim est DEUM mandasse ceremonias quæ nunc non mandat, sed vetat, & certum decrevisse ab Æterno illas res *Judæis* ad tempus mandare & decrevisse, easdem res postea vetare. Hic est in rebus mutatio, in DEI decreto nulla. Quin in Æternum permanet in DEO eadem voluntas. Agnoscimus necessitatem captivitatis, respectu *Iudæorum* peccantium vel resipiscentium, crescere, & tandem fieri hoc respectu summam, sed nunquam absolutè necessariam, uti ille autumat: sed necessitas decreti par & eadem est semper, nisi probet *Jacksonus* DEUM semel decrevisse ab Æterno, captivitate *Babylonicâ Judæos* plectere propter primam defectionem (quod nunquam probabit) & postea retractare paratum id decretum. At verò decrevit ab Æterno inferre captivitatem illam propter omnia illa superaccumulata peccata & finalem rebellionem continuatam (non obstante hoc quod prophetæ assiduis concionibus eos ad resipiscentiam adducere conati sint) propter quæ actu abducti sunt in captivitatem. fateor DEUM non infligere *Achabo* suo tempore, nec *Ninivitis* cladem quam comminatus est: sed non sequitur fuisse decretum puniendi eos isto tempore in DEO & quidem Æternum (nam temporanea decreta DEI ignorat Scriptura) sed retractatum: quando enim decretum conditionatum exequutioni non mandatur, propter resipiscentiam quorundam, non est tale decretum mutabile & revocabile, imo est impletum; nam est conditionatum tantum ex parte objecti, & DEUS decrevit & punire *Ninivitas*, si non resipiscerent, & simul ab Æterno decrevit dare gratiam resipiscendi quâ cladem, quam DEUS est comminatus, effugerent. Sed manet decretum Æternum firmius & immutabilius, licet conditionatum tantum, quam decreta *Medorum.* Omnia enim decreta sunt æqualiter immutabilia & irrevocabilia. Ergo omnes res decretæ sunt æquè necessariæ respectu decreti. *Nullâ eventus evadunt magis irresistibiles & necessariæ respectu decreti DEI*, propter accumulata alia peccata, quam fuerunt ab Æterno. Neque *unquam eventus contingentes nudati sunt contingentiâ & possibilitate quâ evitari possent*, ratione causarum secundarum, si homo resipuerit, qui peccavit, nisi postquam eventus præteriti sunt; nam tum certè nihil præteritum est vel possibile vel contingens. Neque unquam *eventus contingentes* vestiti sunt *contingentiâ*

Vorstius disp. 6. de Dei volun. th. 35. *Deum quædam nolle facere, quæ ante, facturum se recepit, imo juravit: quia res extra DEUM mutatæ sunt.*

tingentiâ & possibilitate quâ evitari possent, ratione primæ causæ & divini decreti, nam ratione DEI decreti habent necessitatem non augmenti aut graduum additionis capacem, sed tantam & tam maximam, ubi semel decretæ sunt res, quantam suscipere possunt, ita ut non possint non fieri suo demum tempore, si DEUS fieri decrevit: uti certè omnia quæ existunt, & non existunt DEUS decrevit existere & non-existere.

Necesse est Jacksonus statuat decretum electionis etiam incrementi & decrementi, uti luna est, capax.

2. Licet *Jacksonus* mentionem faciat tantum actionum malarum quæ reddunt eventus contingentes absolutè necessarias, nihil ad rem dicit, nisi intelligat, etiam DEUM decretum habere salvandi electos & illud decretum crescere prout superaccumulata eorum obedientia, donec tandem tam fatale & absolutè necessarium sit eos salvari, ut eorum salvatio nudata sit omni contingentiâ & possibilitate quâ possent non salvari. Et sic Electi sibi ipsis debent quod ad statum indeclinabilis salvationis perveniant. Et cum in principio cursus obedientiæ electi sunt, DEUS decernit eos salvari, sed necessitas salvandi minima est quoad gradus, est tantum probabilitas & possibilitas, & decretum hoc DEI de salvandis iis hoc tempore est instabile & mutabile, *nec instar legum & decretorum Medorum*, ex quo conficitur, omnes mortales actu salvari, vel actu damnari posse, si velint, *Deumque* habere decretum sed mutabile omnes & singulos salvandi, si velint per actiones liberas (uti possunt) firmum & immutabile hoc decretum reddere & promovere ad statum maximæ & fatalis necessitatis. Et habere DEUM etiam decretum parallelon damnandi omnes & singulos. Aurea somnia.

Jacksonus. Quædam (inquit) *dicuntur absolutè necessaria & prorsus inevitabilia, licet illa necessitas orta sit ex occasionibus temporariis: uti morbi quidam dietâ & incuriâ evadunt insanabiles. Ita mors Salvatoris erat absolutè necessaria ab exordio mundi. Sed an absolutè necessaria ab æterno citra suppositionem lapsus Adami (qui non fuit necessarius) non hic disputabitur: certum est nihil à Deo decretum tam necessarium esse absolutè quam est natura Dei & sacrosancta Trinitas. certum est quædam, quæ hodiè non sunt necessaria posse esse crastino die, absolutè necessaria in suo genere.*

n. 23. p. 186, 187. sect. 2. Mors Christi absolute necessaria Jacksono attamen libera fuit, quod Jacksono & Arminianis contradictorium est.

Respondeo. Quædam esse absolutè necessaria, ineptè dicitur. Solus DEUS est absolutè necessarius. Nulla creata entia tantum habent necessitatis. 2. Necessitas decreti Æterni non oritur ex occasionibus

casionibus temporariis, sicut nullum æternum à re temporariâ ortum habere potest, citra contradictionem. 3. *Mors Christi est necessaria ab exordio mundi.* Gratias non debemus *Jacksono* propter hanc Theologiam; nam secundum illum non fuit necessaria ab Æterno; nam necessitas mortis CHRISTI *Jacksono* non est orta à DEI decreto, sed à lapsu Adami. ut ait pag. 182. Lapsus autem hic nullam necessitatem à permissivo æterno DEI decreto habet pag. 187. Quomodo ergo est necessaria, nempe, a creaturis; nam *Judæi* liberè crucifixerunt Salvatorem, poterant ergo non crucifixisse. CHRISTUS liberrimâ obedientiâ DEO præstitâ, obiit, JOH. 10. 18. PSAL. 40. 7. HEBR. 10. 7. Qualis ergo, *Jackson*, hæc absoluta necessitas? an necessitas naturalis? non dixeris. Id alias refuto, an decreti? Ea Chymerica est *Jacksono*. An libera necessitas? repugnantia in adjecto est hæc *Arminio.* Ita Corvinus in Anatomen. Pet. Molinæi c. de providen.

Jacksonus. Quidam siniſtri eventus, evadunt divinâ providentiâ, irreſiſtibiliter neceſſarii, multo antequam impleantur aut infligantur: tale eſt excidium Pharaonis, Senacherebi, *clades regni* Judæ & Hyerosolymæ *per* Titum. *Alia paucis diebus aut horis, antequam fiant, alia fiunt irreſiſtibiliter neceſſaria, non niſi eo quo fiunt momento.* c. 23. sec. 4

Respondeo 1. Excidium *Pharaonis, Senacherebi*, &c. factum est necessarium multo antequam est necessarium. Quid? an non ab æterno est necessarium excidium omnium sceleratorum, necessitate decreti? 1 PET. 2. 8. JUD. v. 6. An germinat in *DEO Antiquo dierum* novum Atributum Justitiæ quod ei non inerat ab Æterno, imo sic nunquam DEUS justus fuit, neque justum exercuit decretum, donec Pharaoh aliique scelerati in tempore crearentur. 2. At quando actu persecutus est Pharaoh populum DEI in mare rubrum; peccavit Pharaoh, postquam CHRISTUS lachrymis ubertim effusis prædixit peremptorie decretum esse Judæis excidium, & quæ *ad pacem spectant, & salutem ab oculis eorum abscondita.* Luc. 19. 42. Peccarunt gravissimè crucifigendo DEI Filium. Ergo non perierunt absolutâ & irresistibili necessitate, siquidem nemo irresistibili voluntatis motione peccat. Ergo necessitas eventus hujus irresistibilis & absolutè necessaria vel nulla fuit, vel tota à DEI decreto. Vide quæ supra sunt. 3. *Ab æterno omni peccato atra ſors æternæ pœnæ inciſa eſt*, (inquit *Jacksonus*) postea. Peccati ergo pœna erat Pharaoni ab æterno præordinata. Jacksonus de providentia c. 24 sec. 12. pag. 212.

Ita Gabri. Pennottus propugna. humanæ libertat. li. 4. cap. 4. quo modo vapulat à D. Tuisse de sci. me. c. 30. degrel. 5.

Omnia Dei decreta temporanea, ortui, interitui, obnoxia fingit,

JACKSONUS. *Memoria semper tenendum est DEVM non ita decrevisse omnia, priusquam eveniunt, aut modum quo eveniunt, ut non adhuc eadem decerneret; nam continuo decernit tam necessitatem quam contingentiam, & producit effectus tam contingentes quam necessarios, ab hâc presenti horâ, cum utrumq; aliquando possibile fuerit.* —— *Partes* DEI *decreti disjunctivi, & gradus tam rerum ab eo decretarum, quam temporum in quibus fieri possent, numerum excedere possunt respectu nostri.* —— *Et homo non captando opportunitates rerum quibus potentias agendi Dei voluntatem antecedentem in actus reducere posset, ipsas agendi potentias amittere potest, in æternum, vel ad longum tempus.*

Respond. Hoc est quod exspectabam. Decreta DEI esse temporaria, & actionibus nostris Temporariis coæva & coexistentia, ita ut DEUS hodie decernat, quod hodie fit, decreverit heri, quod heri factum, decreturus sit die crastino, quod die crastino futurum est, non ita decrevit omnia antequam fierent, quin adhuc fieri decernat. Non (credo) hodiè decernit mundi creationem, CHRISTI filii sui incarnationem: si quædam decrevit, antequam fierent, nempe *Josue* nomen, ortum, facta, *Cyri* nomen & facta, *Emmanuelis* CHRISTI è semine *Abrahæ, Davidis, Mariæ*, nativitatem, humiliationem, patientiam, miracula, mortem, resurrectionem, gloriam, cur non omnia? *quoniam quædam necessario, quædam libere & contingenter eveniunt, non autem decuit DEVM quæ libere & contingenter futura sunt, præcise ad unam partem determinare, ea enim possibilitati relinquit.* At vero quædam quæ liberè & contingenter eveniunt, præcise ad unam partem decreto suo determinavit, etiam antequam eveniant, cur ergo non omnia libera etiam determinarit? Antecedens multis modis patet. 1. Determinavit Captivitatem *Judæ* excidium Hierosolymæ, Babyloniorum Vastationem, per Chaldæos, per Titum Vaspasianum, per *Medos* & *Persas* tanquam agentia liberrima præcise ad unam partem, fatentè *Jacksono*. 2. Quia, fatentibus Jesuitis matrimonia liberrime contracta, & consensus in illa, generationes liberas ex semine Judæorum unde est CHRISTUS secundum carnem, præcise imo absolute ad unam partem determinavit DEUS. 3. Liberam CHRISTI voluntatem præcise ad liberam, obedientialem & ultroneam

am mortem subeundam determinavit. Si vero hæc & multa alia, DEUS, quanquam contingenter evenientia, determinarit, antequam fierent, ad annos duos, nulla esset ratio ex metu necessitandi aut violentiam inferendi liberæ voluntati cur non ab æterno determinarit voluntatem liberam ad eosdem actus.

2. Videat lector super hac re quæ alibi scripserim. 3. Videmus tria fœdissima errata in *Jacksoni* decreto quod ille DEO atribuit. 1. Quod decretum DEI sit temporaneum, non æternum, sed coævum actibus temporalibus creaturæ, cum contra consilia DEI sint æterna, at quænam Scriptura dicit DEUM jam incipere velle & decernere hoc quod creatura agit, & in tempore, ut dum creatura agit & semper donec actio consummata sit, decretum DEI sit in fieri. Si enim DEUS præscit omnia quæ futura sunt, antequam sint, quod certum est ex Scripturis, *Ps.* 139. 2, 3, 4, 5. *Psal.* 94. 9, 10, 11. *Esai.* 41. 22, 23. *Acta* 15. 18. Illa vel vult fieri quæ fiunt in tempore, & ab Æterno vult & decernit; Vel ab Æterno non vult, non decernit. Non potest DEI voluntas ab Æterno fuisse suspensa, & in potentiâ tantum ad volendum, & tum demum actu velle, non nisi in tempore, quia sic in tempore faceret multa, quæ tamen ab Æterno, & ante tempus non decrevit facere. At ne homines prudentes aliquid faciunt quod non ante statuunt & constituunt facere, quam faciant, maxima enim imperfectio & consilii inopia, & sapientiæ repugnans est facere id quod nec cognoscere nec decernere possunt, sit ne rectum, an non, congruum rationi, an non. Ideoque DEUS nec esset agens intellectuale, si faceret quod nunquam decrevit facere, nec esset agens intellectuale æternum, si incipit hodie vel in tempore velle & decernere. Ergo ab Æterno voluit & decrevit. (2.) Quod DEUS inscripsit libro suo antequam sit factum in tempore, id ab Æterno fieri decrevit; quia inscribere libro ab Æterno est decernere, id quod est futurum, Metaphorâ sumptâ à Rege, vel duce, qui Senatorum vel militum nomina libro inscribunt. Atqui DEUS omnia habet libro inscripta, etiam ossa, & membra omnia Davidici corporis, priusquam efformata essent in tempore, PSAL. 139. 16. *Massam meam vident oculi tui, & in libro tuo hæc omnia scripta sunt, quæ per dies formata sunt, cum nondum illum ex iis extaret.* Qui inscribit

Tria heterodoxa & fœdissima absurda Jacksonus in Dei decreta impingit.

Omnia decreto Dei æterno decernuntur quæ sunt quasi libro inscripta. Calv. com. in Psa. 139 16.

inscribit omnia libro, cum nondum essent, is ab Æterno ordinavit & decrevit ut fierent. Totam (ait *Calvinus*) *rationem Creationis Deo compertam esse.* Atqui DEUS ab Æterno omnia inscribit libro suo, & quasi in commentarios refert, כלם significat omnia & res & homines, cum nondum esset ullum membrum, vel dies ab Æterno. Ita æternitas negativè explicatur, *antequam ulla esset creatura.* ut *Psal.* 90. *Tu DEUS noster & habitatio nostra in sæculum.* In æternum (notatur non actualis existentia populi in tempore creati) sed æternitas decreti. *v.* 2. *Antequam editi essent montes, Prov.* 8. Dum æternitas Filii describitur. *v.* 13. Addit sapientia illi increata. *v.* 24. *Cum nullæ essent abyssi, edita eram. Cum nondum fumarentur montes & colles, edita eram. Cum adhuc non fecerat terram,* &c. Ita solium DEI ab Æterno. *Ps.* 93. מעולם Ergo decreta Regis ab Æterno sunt. *Psal.* 78. *v.* 69. *Ædificavit sanctuarium suum, sicut excelsa: sicut terram stabilivit,* fundavit. Id in sæculum לעולם. Sanctuarium non nisi in tempore & ad tempus brevè fundatum erat. Ergo in Æterno decreto fundatum erat. *Psal.* 103. 17. *Benignitas Dei à sæculo, ab æterno in æternum timentibus ipsum,* hoc aliter fieri non potest ab anteriore, nisi de misericordiâ in gratuito DEI decreto æterno fundata. *Esai.* 22. 11. *Lacum fecistis inter duos muros.* —— *Et non suspexistis ad factorem ejus & plasmatorem ejus* מרחוק, *De longè non vidistis.* Hâc voce notatur æternitas DEI. At non formavit DEUS lacum ab Æterno: Ergo decrevit formare ab Æterno. *Esai.* 25. 1. *consilia tua* מרחק *à longè, ab æterno veritas.* sic Esai 37. 26. *nonne audivisti à longe ab æterno eam feci;* nihil ab Æterno DEUS formavit nisi in decreto suo. ACT. 15. 18. *Nota sunt opera omnia Deo* ἀπ' αἰῶνος *ab æterno.* Præscientia DEI nunquam incepit esse: quia sic aliquando sciret, quod antea nescierat, & disceret formaliter quod absurdum. Opera autem omnia DEI haud aliter ei nota sunt ab Æterno, cum nulla essent opera ejus ab Æterno, quam in libero suo decreto, quod propterea ab Æterno fuerit, necesse est. Si vero de novo vellet & decerneret quod ab æterno non decreverat sed hodiè ab hâc horâ decernit, (ut ait *Jacksonus*) verè de non volente & non decernente fit volens & decernens, incipit in eo nova scientia & nova rei volitæ consideratio quæ in eo antea non erat; & si ideo dedecernat, quia res in tempore oritur, utpote actus liber de novo

germinans

germinans & subsiliens antecedenter ad liberum decretum, & ideo non vult, non decernit actum liberum: quia placet voluntati creatæ id nolle, quo sic temporalis & coæva DEI decreti coexistentia contemporanea fiat: DEUS vult, quod antea non voluit, quoniam creatura vult & decernit; & non vult & non decernit, quoniam creatura non vult & non decernit. Atqui cum hoc modo fit in homine actus pœnitentiæ & actus non-volendi & non-decernendi, quod semel voluit & decrevit; & rursus actus volendi quod noluit: (nam *Euripi* more retrocommeat & reciprocatione contrariarum dispositionum sese fatigat voluntas hominis) eodem passu & pari itinere per omnia incedit DEI decretum, quod ab omnibus æternum hactenus creditum, ante exortos PENNOTTUM, JACKSONUM & ejusmodi. At sic pœnitentia & retractatio decreti DEO ascribatur necesse est, contra Scripturas, NUM. 23.19. 1SAM. 15.29 PSAL. 33.11. Ps. 102.23, 24, 25. MAL. 3.6. PROV. 19.21. ESAI. 46.10. ESA. 14.27. In quibus omnibus locis decretum DEI causa est omnium decretorum liberorum creaturæ, non contra.

2. DEO attribuit decreta quorum objectum, non est unum determinatum, sed merè possibile. Quod nemo sapientiæ micâ præditus inter homines faceret.

3. Disjunctivum decretum in DEO fingit, nempe, DEUS mundum creare vel non-creare, *Petri τὸ* credere, vel *τὸ* non credere decernit. Et omnia quæ eveniunt in rerum naturâ decernit fieri vel non fieri, prout causarum secundarum cursui & genio arriserit, quod est repugnans in adjecto, & decretum non decretum, & mera fortuna. Quæ, quoniam sunt ludicra & futilia, ulterius refutare nec est otium nec animus.

CAPUT

CAPUT XIII.

Quomodo quidam respondeant locis quæ pro scientiâ mediâ militare videntur, & an prædeterminatio non evertat eam scientiam, de actualissimâ Dei voluntate in quâ scit futura contingentia.

AD Enodationem loci, 1 SAM. 23. 9, 10. supra modum sese multi fatigant.

Vers. 9. Et resciscens David Saulem fabricari contra se hoc malum edixit Abiathari sacerdoti applica amiculum.

10. *Dixitque David, O Jehovah Deus Israelis certò audivit servus tuus Saulem quærere ut invadat Keilam ad perdendum civitatem meâ causâ.*

11. *An dedituri sunt me Kehilæi in manum ejus? an discensurus est Saul quemadmodum audivit servus tuus? O Jehovah Deus Israelis, indica, quæso, servo tuo: cui dixit Jehovah, discensurus est.*

12. *Deinde dixit David, an dedituri essent me Kehilæi & viros meos in manum Saulis? cui dixit Jehovah, dedituri essent.*

Vorstius in notis de Deo ad di. 5. n. 4.

In quem locum *Conr. Vorstius. Restat ultimum genus eorum, quæ neque simpliciter, neque ex hypothesi necessaria sunt, sed vel possibilia tantum, vel etiam prorsus impossibilia & contradictoria, itaque hoc genus bipartitum est, sub prima specie continentur ea, quæ tantum potentiâ sunt nunquam vero actu, hoc est, quæ nec sunt, nec fuerunt, nec unquam erunt per aliquam tamen potentiam, vel creatam, vel saltem divinam, esse possunt, hæc igitur per simplicem sive nudam quandam ideam ex hypothesi aliquâ possibilis existentiæ exstructam, tanquam si futura essent, DEUS intelligit, cum tamen revera futura non sint. Sic v. g. prævidit DEUS Davidem à civibus Ceilah proditum iri, si is illo in loco mansisset,* 1 Sam. 23. 11. *& Tyrios creditutos, si Evangelium ipsis prædicatum fuisset. Neutrum tamen unquam fuit, vel futurum est. ita novit se plurima facere aut permittere posse, quæ tamen nunquam definitè facturus aut permissurus est, hæc igitur talia, licet ipso actu non cognoscantur in sese, quippe quæ actu nihil sunt: quatenus tamen aliquam habent essentiam,*

Vorstii, Molinæ, Fonsecæ *glossemata de traditione Davidis a Keilitis futurâ in Saulis manus.*

sentiam, viz. aliquo modo possibilem, & in causis indefinitis latentem, eatenus aliquid de iis sciri potest, viz. Hoc ipsum quod entia sint possibilia, quodque, talibus causis in actu causandi positis, ipsa quoque certò sunt exitura.

Unde *Vorstio* futurum contingens conditionatum est tantum possibile, nunquam futurum, & tamen certo scitur, futurum, quod contradictorium. 2. Nobis vero actualis est concatenatio in Dei decreto, inter conditionem & conditionatum, quæ non possibiliter tantum, sed actu cohærent per decretum Dei. 3. *Essentia entis possibilis* nunquam futuri *latens in causis & certo exitura positis causis*, est essentia Chymerica certo exitura, ideoque certo futura & cognita ut futura, & *tamen tantum in potentia, & quod nunquam actu est, nec unquam erit*, & sic nunquam futura, judice *Vorstio*. *At est futura essentia conditionatè.* Resp. Conditio est in æternum non ens actu, ergo simpliciter nunquam est exitura. Unde sequitur quod ait solidè & acutè pro suo more doctissimus & celeberrimus Theologus *Gisb. Voetius*. *Aut æternitatem non esse totam simul sed veluti Tempus triplicem durationis suæ differentiam habere —— aut futuritionem rerum in tempore & ævo non esse æternam sed temporariam, & nunc adhuc quotidie, novas produci rerum futuritiones*, quo nihil absurdius.

Voetius de conditionat. scient. sect. 1. n. 5. pag. 270.

Placet audire *Molinam*. *Deus duo illa* (inquit) *futura contingentia, quæ ab humano arbitrio, agnovit & revelavit Davidi, quæ tamen nunquam in rerum natura extiterunt aut existent, ac proinde neque in æternitate.* ibid. lit. f. *DEVS per scientiam naturalem seipsum comprehendit, & in seipso omnia quæ in ipso eminentur sunt, atque adeo liberum arbitrium cujuscunque creaturæ, quam per suam Omnipotentiam potest condere: Ergo ante liberam determinationem suæ voluntatis ex altitudine suæ scientiæ naturalis, qua infinitè superat singula (id est, nunquam futura cognoscit futura, & non scibilia & contradictoria scit) quæ in seipso eminenter continet, penetrat, quid liberum arbitrium cujusque creaturæ, datâ hypothesi, quod velit illud creare in hoc vel in illo ordine rerum cum his vel illis circumstantiis aut auxiliis, pro suâ innata libertate sit facturum, cum tamen posset, si velit, continere actum aut facere oppositum, & si esset id facturum, ut liberè potest, Deus id ipsum prospiceret: quod reipsa ab eo faciendum esse prospicit.*

Molina in 1. Thomæ tom. 1. q. 14. art. 13. disp. 14.

Fonseca sic. *Aliâ quoque ratione distinguitur Dei scientia, in scientiam,*

Fonseca Metaph. l. 6. c. 2. q 4. sect. 8.

am, naturalem liberam & quodam modo mixtam: eo quod DEVS *sciat quædam, quæ non potest non scire, cujusmodi sunt ea omnia quæ primis quatuor quasi gradibus representationis Idearum exprimuntur, quædam vero sciat, quæ posset quidem non scire, si vellet, sed cum semel scire voluit, non potest ea non scire, nempe ea quæ duobus ultimis gradibus sciuntur: quædam denique etsi posset non scire, quia voluntates creatæ pro sua libertate aliter sese determinare possent, quam determinant, tamen* DEVS *non potest non scire, quopacto illæ sese determinabunt, quibuscunque in occasionibus ponantur: atqui hoc quasi mistâ scientiâ cognoscuntur ea quæ quinto representationis gradu ideis divino intellectui objiciuntur.*

Ibid. *Pertinet hæc scientia non solum ad ea quæ revera futura sunt, sed etiam ad ea, quæ futura essent, si* DEVS *alium ordinem dispositionemve in rebus instituisset, ut si alium mundum creasset, aliisve occasionibus creatas voluntates posuisset, quæ tamen nunquam in naturâ erunt.*

Fonseca Metaph. l. 6. c. 2. c. 4. sect. 8. in principio Molina to. 1. n. 1. q. 14. art 13. disp. 18. vide plura apud Molinam alibi tom 1. q. 16. disp. 1.

Præceptori suo & genuino scientiæ mediæ parenti *Fonsecæ* (uti ipse dicit) succenturiatus est *Molina, illud* (inquit) *postremò observa scientiam mediam esse quidem in* DEO *ante omnem actum liberum suæ voluntatis, esse omnium universim effectuum, non solum qui reipsa futuri sunt per arbitria quæ statuit creare in eo ordine rerum & circumstantiarum quem condere decrevit, sed etiam qui futuri essent, tum per hæc ipsa arbitria, tum etiam per infinita alia quæ creare potuit, variatâ quacunque circumstantiâ in rerum ordine quem condere decrevit, datoque quocunque alio ex infinities infinitis quos potuit creare: attamen ita eam mediam scientiam esse omnium horum effectuum, ut nullius sit, nisi ex hypothesi prædefinitionis divinæ voluntatis, quod hunc vel illum rerum ordinem velit condere, atque hoc vel illo modo ex ipso ordine, mediisve & circumstantiis illius velit providere per comparationem ad eundem effectum.*

Resp. At semper determinatur Dei voluntas libera sic à creaturis, nam hoc posito quod melius visum fuisset, hunc mundum non alium mundum, nec alium rerum ordinem quam de facto instituit, præscire, si hunc non alium mundum ordinemve rerum creasset, omnes voluntates *Angelorum* & *Hominum* eodem planè modo determinandæ forent, quo jam sunt de facto determinatæ, ergo erant omnes voluntates sic determinandæ, uti nunc sunt de facto determinatæ ante præscientiam conditionatam & voluntatem, nam objectum præscientiæ hujus est prius actu præscientiæ, & multo magis prius actu voluntatis, & cum omnes actus obediendi finaliter Deo

&

& ei repugnandi sic sint priores liberâ DEI voluntate, DEUS aliter disponere haud potuit liberè quam omnia prædisposita erant & ante definita quam DEUS velit hunc mundum ordinemve creare, & sic ne unum Angelum à casu immunem servare potuit, nec plures salvari, quam qui de facto salvandi erant antecedenter ad scientiam medium, adeoque ad liberam DEI voluntatem, possunt, per potentiam DEI absolutam, hoc posito quod decreverit arbitrium liberum tam fastuose superbum & independens creare.

2. Pendet etiam hujus objecti liberi existentia possibilis ante omne DEI decretum ab hâc conjecturâ *Molinæ. Fonsecæ, Suarezii, Did Ruizii, Hyero. Easoli. Quod nimirum concursus voluntatis creatæ cum DEO & determinatio ejus propria sit independens à voluntate & concursu DEI, nam concursus DEI est in effectum non arbitrium creatum, ergo abstractè à concursu DEI, id est, ante omne decretum sciri potest quid liberum arbitrium in his aut illis circumstantiis collocatum acturum sit.* Sed accuratus vir & Ingeniorum, inter nostros, Scholasticorum singulare ornamentum & decus, *Gisb. Voetius* respondet optime. *Hoc esse dubium per æque dubium probare.* ad illud dicit quod ordo operationis ad causam sic mendam, non dependet à causa primâ, *Sed licet non dependeat à causâ primâ terminativè, quia prout sunt diversi termini, sic, respectu terminorum diversi etiam ordines: non sequitur tamen quod non dependeat effectivè, id est, quoad entitatem & productionem sui.*

Qui respondent *Davidem* consulere DEUM de proposito *Sauli* & *Keilitarum*, non de actuali adventu & traditione seu proditione à *Keilitis* futurâ, habere videntur 70. versionem Græcam. Καὶ εἶπε Δαβὶδ κύριε ὁ Θεὸς Ἰσραὴλ, ἀκούων ἀκήκοεν ὁ δοῦλός σου ὅτι ζητεῖ Σαοὺλ ἐλθεῖν εἰς Κειλᾶ. — Καὶ εἶπε κύριος ἀποκλεισθήσεται. — Καὶ εἶπε Δαβὶδ εἰ παραδώσουσιν. — καὶ εἶπε κύριος, παραδώσουσιν. Sic 70 in Biblio Complutensi, & Parisiensis versio interserta, & *Hieronymus, audivit famam servus tuus quod disponat Saulus venire in Keilam ut evertat urbem propter me* Vulgata translatio Latina. *Audivit servus tuus quod quærit Saulus venire contra me. Sebastianus Castalio, Jehovah Deus Israelis exaudi metaum. Conatur Saulus aggredi Keilam — cui Jehovah, Discensurus est. Joa. Benedictus Parisiensis* in suis Bibliis *Hyeronimum* sequitur. *Audivit quod disponat Saul venire.*

Interpretatio *Syriaca, Domine, Deus Israelis certò audivit servus tuus velle* Saulum *venire in Keilam. — Prodituri suntne me cives urbis*

Voetius de conditionata seu media scisse. 3. disp. 29. Decemb. 1641. nu. *Ita editis francofurti per hæredes* Andreæ Wecheli *collata cum* Basilensi & Aldino *exemplari An.* 1617. *Sic* 70. *in* Complutensi & Parisiensi *Biblio* Hieronym. *Latin. versio* Castalio Basileæ An. 1551. Edwardo 6. Regi Anglorū. Joan Parisiensis in Bibliis An. 1558. Parisiis. Interpretatio Syriaca in Bibliis 7. linguarum Hebr. Samaritana, Chaldaica Græc. Syri. Lati. & Arab. Lutetiæ, Paris. An. 1645

urbis & viros qui mecum sunt in manum Saulis? *dixit* DOMINVS *prodituri sunt te: surge & egredere.* Arabica *interpretatio*, *DEVS DOMINE Israel, perlatum est ad servum tuum quod Saul venire vult in Keilam ad destruendam civitatem propter me, tradentne me?* — *ita ipsi te tradituri sunt.* *Paraphrasis* Chaldaica, *Num cogitantes tradere me habitatores Keghilah, in manum illius?* DOMINVS *dixit cogitant discendere.* — *cogitant tradere verba illa Dei* וְאַסְרֵרוּ סְגַר לְמַחַת *inclinationem tantum & dispositionem tradendi non actualem traditionem certò futuram innuere videntur.* Sed revera alium ferunt sensum, nempe, actu tradendum fore *Davidem* Fortè his moti rationibus, sic nonnulli respondent, nempe, imprimis *Did. Alvarez* respondetur *DOMINVM illis verbis significare voluisse David certum periculum, quod illi imminebat ex parte causæ proximæ, si remansisset in Ceilâ, & illuc venisset* Saul; *sciebat enim* DOMINVS *Ceilitas habere animum firmatum tradendi, unde illud verbum tradent te, sic est intelligendum, id est, voluntatem habent tradendi te.* Hanc sententiam *Suarez* tribuit *Catharino* & *Jansenio.* Ita respondent *Crabrera, Ledesma* & *Curiel.* Probabilem putat *Cumel*, eam tenet *Cantarellus* & *Cajetanus propositionem utramq; intelligendam affirmativè secundum secundarum causarum dispositionem.* Displicet hæc responsio *Hyero. Fasolo, Gabr. Pennotto, Did. Ruizio, Gul. Camerario Scoto.* Quia hæc est Oraculi divini responsio prophetica de actuali traditione *Davidis* in manus *Sauli*, non de propensione tradendi. 2. *David* tulit responsionem à Deo certissimam de eo quod anxiè admodum metuebat, at non metuebat potentiam & propensionem discendendi in *Keilam* in *Saulo*, neque potentiam prodendi in *Keilitis*, id satis, citra omnem divini Oraculi responsionem, sciebat *David*, & quoniam propensionem sciebat, ideo consulit Deum de actuali traditione. 3. Non daret Deus talem responsionem *Davidi*, cujus veritas posset consistere cum apertâ contradictione illius quod Deus expressè affirmavit, ut in Hæbraico contextu patet. Dicit enim Deus expressè. יָרַד *discendet Saul &* יַסְגִּירוּ *concludent Keilitæ. te & viros tuos*, tradent te. At vero si responsio Dei intelligenda sit secundum dispositionem causarum secundarum, non-traditio & non-discensus *Saulis* in *Ceilam* potest stare cum pro-

Arabica *interpretatio.* Chaldæa *paraphrasis* Did. Alvarez l. 2. de auxilio gratiæ dis. 7. n. 21. Suarez de scientia Dei l. 2. c. 2. n. 1. Crabrera 3. p. 4. 62. art. 1. disp. 12. q. 8. Ledesma disp. 2. de scient. futuror. contingent. Cumel. tom. 2. varriarum disputa. pag. 104. Cantarel. q. 22. post. 5. concl. Cajetan commen. in locum in 1. Tho. to. 2. q. 14. art. 13. du. 13. n. 222, 223. Pennottus propugnaculo hum. libert. l. 3. c. 27.

Did. Ruiz. de voluntate Dei disp. 63. sect. 2. n. 10, 11, &c. Camerari. in selec. disputa. philosoph. par. 2. q. 9. dub. 4.

pensione

pensione discendendi & tradendi, poterat DEUS movisse animum *Saulis & Ceilitarum* ut nec discenderet ille, sed alio fugeret, ad hostes *Philisthæos* persequendos, nec hi traderent *Davidem* in manus *Saulis*: inflectere enim potest DEUS cor *Keilitarum* quocunque vult, stante immutatâ illâ propensione & potentiâ quoad actum primum.

Non rectè itaque *Thomas* dicit *Ezechiæ mortem prædictam, secundum quod continetur in ordine causarum inferiorum, nisi Ezechias orasset & humiliatus fuisset.* 2. Dixit *Esaias, morieris & non vives.* Nec propensio moriendi nunciata (quæ Regem minimè latuit ante prædictionem) sed ipsa mors medium fuit ad humiliandum Regem. Thomas 1. par. q. 19 art. 7. ad arg. 2.

Quod si hæc responsio habeat hunc sensum quem *D. Gu. Tuissus* attribuit, ferendus est. *At nos minimè dicimus* DEUM *futura ista conditionata prænoscere* (inquit) *solum consideratâ dispositione causarum secundarum, sed simul in rationem veniente decreto* DEI *de causis secundis omnibus ad agendum ciendis congruentur naturis ipsarum.* Alioqui exclusô decreto, rectè ait *Suarez, si quis nunc horâ sextâ sit in actuali odio sui inimici, & cum efficaci proposito sumendi vindictam, non poterit in tali affectu cognosci, quod si hora decima occurrat ei inimicus,* (& *Saul* in *Keilam* venerit, ubi *David* adhuc permanet) *cum omni occasione sumendi vindictam de illo, sumet illam* (aut interficiat *Davidem*) *nisi simul videatur ille affectus* (actualis vindictæ) *ut durans usq; ad illam horam: quia potest facile mutari voluntas, neq; hic effectus infallibiliter sequitur ex illo affectu* (seu appetitu vindictæ actualis qui fuit hora sextâ) *ut præcessit, sed ut simul est cum illo affectu.* certè tum tota certitudo sciendi infallibiliter *Davidem* tradendum in manus *Saulis* est ab immutabili DEI decreto, non à propensione voluntatis *Saulis* sumendi vindictam. Hæc propensio ut erumpit in actus liberos in horas mutari potest. Estque hæc nostra responsio. Modo nec intelligatur decretum generale in omnipotentia divinæ voluntatis, uti supponere videtur *Alvarez*, item & *D. Tuissus.* Neque intelligi volumus cum doctiss. *Amesio decretum implicitum & virtuale & contingens, quod non est, sed ponendum foret in* DEO, si *David* non fugeret. vide de hâc re Clariss & doctiss. *D. Voetium.* DEI enim voluntas tam actualissima tamque eminentissimè determinata, ut omne in DEO decretum ponibile, actu ab

Tuissus contra Pennott. & Suar. de scien. med. c. 27. pag. 170.

Suarez de scien. conditionata futurorum contingen. l. 2. n. 1.

Alvarez de auxiliis l. 2. dis. 7. n. 22.

Tuissus de scien. med. l. 27. p. 170.

Amelius relcript. ab Grevin. c. 15.

Voetius disputa. de scient. condition sec. 3. n. 13 p. 290, 291.

ab æterno positum sit, & impossibile sit ut DEUS fuerit in potentiâ ad alia decreta quam quæ in eo ab æterno fuerunt, loquor de potentiâ imperfectionem, confusionem, generalitatem, implicationem involvente. *Gul. Estius.* 1. sent. d. 41. q. 6. col. 1. & 2. & q. 10, 11. ait decretum DEI ponendum, si tales circumstantiæ ponerentur, & DEUM *sic conditionaliter futura præscire, quoniam scit quod positis talibus circumstantiis ipse voluisset prædefinire.* Rectius Mendoza in quodlibe. q. 7. scholastica conc. 5. n. 11, *quod de facto positum fuerit* DEI *decretum, quid futurum sit, positis hisce conditionibus.* Probat subtilis *Bradwardina, quod omnia proveniant à* DEI *providentiâ actualiter disponente, non solummodo permittente. Quomodo enim* Math. 10. *contra timorem mortis pro nomine suo illa somnolenta providentia* (permissiva) *nos armaret? Quis enim fiducialius decertaret: quia* DEUS *permittit tantum hoc vel illud? Qualis enim comfortatio esset ista, unus passerum non cadit sine patre vestro permittente, & vos estis meliores illis; nolite ergo timere: quia vos non cadetis sine patre vestro hoc majus permittente, & indifferentius negligente? imo non esset comfortatio sed irrisio manifesta. Quid enim nobis prodesset numeratio capillorum si nihil nobis amplius actualiter provideat, sed permitteret omnia currere in incertum & fortuitis motibus agitari.* Item. *Cum Scriptura loquitur de prædestinatione, Creatione, gubernatione, gratiæ & cæterorum bonorum collatione, peccatorum remissione & multis similibus, omnia possent per solum permissionem exponi.* Quod totam fidem subverteret. Item. *Mater amans, prudens & potens actualiter providet filiis universa,* DEUS *autem Pater noster Cœlestis incomparabiliter est amantior, prudentior & potentior omni matre. Ergo.*

Bradwardina *fortissime arguit contra Jesuitarum, quæ hodie regnat, permissivam providentiam.*

Item. Probat *Bradwardina. Quod respectu cujuscunque est Dei permissio, est & ejus volitio actualis: quia* DEVS *habet aliquem actum voluntatis respectu cujuscunque permissi, & non actum nolitionis quia ut probatum, non esset permissum:* —— *quia nihil est injustum simpliciter, quia à* DEO *permissum.* Probat *Augustinus quod bonum sit mala esse, per hoc, quod alias non permitterentur ab Omnipotente bono, quod etiam probat per hoc, quod quam facile est ipsum facere, quod vult, tam facile est non sinere esse, quod non vult, innuendo quod* (DEUS) *quidlibet vult esse* (*actualiter, volitive, positive, providentialiter, non negativè, non purè permissivè, ut Pelagiani olim & hodie nostri Jesuitæ*) *vel non vult illud esse, vel ergo intelligit ibi non*

Bradward. de causa Dei lib. 1. c. 33.

Non est simpliciter malum mala esse & malum permitti.

vult

vult positivè, ut importat actum positivum contrarium hujus verbi, vult, vel purè negativè. Si positivè, habetur propositum, scilicet, quod iste supponit istam disjunctivam in Deo circa quodcunque, Deus vult hoc, vel non vult hoc positivè. Si purè negativè, tunc per hoc non probat; quia nisi bonum esset mala esse, mala non essent, nec sinerentur esse, quod tamen intendit, cum dicit, Tam facile est, quod non vult esse non sinere, innuendo quod si mala esse, non esset bonum, sed malum, Deus hoc nollet, & sic non sineret illa esse, quare nec ipsa essent. Si tamen intelligat purè negativè, sic posset esse medium in DEO inter vult & non vult actualiter positivè, sicut est in lapide & homine dormiente, & sic non sequitur, non vult hoc, Ergo hoc non fit; sicut non sequitur de homine qui potest impedire aliquod factibile, vel etiam promovere, non vult hoc purè negativè loquendo (uti lapis & homo dormiens non vult hoc.) *Ergo hoc non fit, nec finit hoc esse, imò potest fieri ab alio, licet ipse non velit, dum tamen actualiter positivè non nolit; quia tunc non impedit alium facientem.*

Item probat *Bradward.* *Quod Deus habet volitionem & nolitionem actualem distinctam contra objectum quodlibet voluntatis, verum vel fictum, possibile vel impossibile, præsens, præteritum & futurum. Omnia namque quæ sunt posteriora voluntate divinâ scit complexè esse talia, & hoc non potest nisi previâ voluntate per aliquem actum suum.* Item. *Si non ita, aliquod est objectum circa quod Deus non habet actum aliquem voluntatis, & certum est quod potest habere. Ergo ipse est in potentiâ, & quasi dormiens respectu talis objecti; quare & potest esse actualior, nobilior & perfectior quam sit modo. Modo ergo non est actualissimus, nobilissimus & perfectissimus. —— Actus enim est prior potentia, definitione, perfectione & tempore. Si in Deo esset potentia, illa esset bona, & omni tali potentiâ actus suus est nobilior & honorabilior.* Item. *Sicut intelligere in actu habet se ad intelligere in potentia, sic & velle vel nolle in actu, ad velle vel nolle in potentiâ; sed intelligere in actu perfectius est quam intelligere in potentiâ; quare & velle & nolle in actu perfectius est quam hæc in potentiâ. Non intelligens & non volens est quasi dormiens, respectu intelligentis & volentis, Custos Israelis non dormit. Quare Deus vel vult liberè omne volibile, vel non vult omne nolibile.* Unde sequuntur hæc. Bradwar. l. 1. c. 22.

1. Deus non vult & rejicit positivè omne falsum & impossibile.
2. Quicquid est præsens, præteritum, futurum, necessarium,

contingens, possibile, impossibile, DEUS id vult esse sicut est. Vide *Bradward.* ib.

3. DEUS non potest aliquid simul velle & nolle.

Causa cur omnia sint futura vel nunquam futura, sola est actualissima DEI voluntas.

4. E multis possibilibus cur hoc sit futurum, & minimè non futurum, & hoc nunquam futurum, nulla potest esse causa nisi vel in ipsâ creaturâ possibili, vel in Creatore. Causa non est in creaturâ, quia vel in creatura qua possibilis, vel qua futura; causa non potest esse in creaturâ qua possibilis: quia sic causa esset ab æterno quare omnia possibilia essent futura & omnia tandem præsentia. At quid impedit quo minus omnia possibilia sint futura & tandem aliquando præsentia? sic mundi infiniti, plures Angeli, millies milleni homines, actiones liberæ, species rerum, mundi alii quam de facto sunt, erunt aliquando, quod falsum. Nam possibile non potest impedire cur ipsum ad esse futurum prorumperet: nec potest creatura possibilis qua futura esse causa cur sit futura: quia quicquid est causa futuri est causa præsentis: at impossibile est quod aliquid sit causa sui ipsius aut cur ipsum tandem sit præsens. Erit ergo DEUS causa futuri: at vel est causa necessaria futuri vel libera. Si necessaria, tum creaturæ possibiles à DEO fluerent necessitate naturæ, uti lumen à Sole. At si Sol fuisset ab æterno, etiam & lumen. Nulla ergo est causa cur omnia possibilia ab æterno non fuerint actu. Nulla ergo est necessitas Creationis mundi, aut ortus rerum in tempore, quod absurdum. Si vero DEUS est causa futurorum libera, nihil erat verè futurum, vel contingenter, vel liberè, vel necessariò, vel absolutè, vel conditionatè, nisi prævia DEI liberâ voluntate, objectum itaque scientiæ mediæ est non-ens.

5. Causa cur multa possibilia in se, sunt tamen nunquam futura, est sola libera DEI voluntas. 1. Multa bona possibilia nunquam sunt, quia DEUS non vellet ea esse, alioqui nulla esset ratio cur nos DEO indulti (esse) in Creatione, potius gratias ageremus eo quod DEUS liberè pro suâ bonitate nos creavit, quam mundi & creaturæ millies millenæ possibiles quæ tamen nunquam sunt creatæ: at posterius est contra Scripturas, *Apoc.* 4. 11. *Dignus Domine gloriam recipere* ὅτι σὺ ἔκτισας τὰ πάντα: *quia creasti omnia.* Sic *Rom.* 11. 36, 37. (2.) Multa mala possibilia DEUS avertit & propulsat à nobis, quæ possunt evenire, idque pro merâ gratuitâ bonitate & indulgentiâ, ut arcet incursiones malorum Angelorum, pestem, famem,

mem, sterilitatem, orbitatem, morbos, mortem immaturam, infamiam, peccata illa finalis obdurationis in quæ Reprobi delapsi sunt, at si DEUS pro suâ libertate illa minimè arceret ut subsisterent intra cancellos merè possibilium nunquam ad statum futurorum, & tandem aliquando præsentium pervenirent, non est quod oraremus DEUM, neque spem & fiduciam in illum collocaremus, ei gratias ageremus quod ejusmodi avertere dignatus sit, nec est quod DEO sese subjicere, qui hisce premerentur, equum esset. 3. DEUS judicio omnia creavit, *numero, pondere, mensurâ.* Est ergo ex ejus liberâ voluntate, non à fortunâ, non à casu, quod unus mundus sit creatus, non quatuor, non mille, quod tot stellæ, tot Angeli, tot homines, tot brutorum animantium, reptilium, floscul orũ, herbarũ species & individua singularia creata sint, non plura, non pauciora. Cum numeret stellas, *Psal.* 147. 4. Capillos capitum, *Math.* 10. 30. Guttulas Oceani & fluviorum, pulverum & arenarum corpuscula, *Isai.* 40. 12. *Prov.* 30. 4. exploratissimè cognoscat. Prudens Figulus ex judicio tot vasa lutea, non plura, non pauciora facit, Dux Generalis tot milites parat, Faber ædificia tot & tantæ molis extruit. 6. Si vero possibile absolutè futurum non potest esse nisi prævio DEI decreto tanquam causâ suæ futuritionis, multo minus possunt futura conditionata tot subsilire in futuritionem ab æterno, absque æterno DEI decreto: nam medium nullum est inter aliquid fieri præter intentionem seu citra omne DEI decretum, & secundum DEI intentionem, & secundum decretum nisi illud, atheois negantibus providentiam DEI, quod fortunâ aut casu fieri dicitur. Sic *Bradwardina. Aliquid ergo contingere præter intentionem agentis omninò potest dupliciter cogitari; vel præter intentionem cujuslibet agentis omninò, ita quod à nullo simpliciter intendatur, vel præter intentionem causæ particularis, vel inferioris. Primum potest vocari simpliciter casuale aut fortuitum. Secundum vero secundum quid. — Sed Deus agit omnia secundum propositum & intentionem suæ voluntatis. Nihil est ergo fortuitum & casuale simpliciter.* Atquì DEUS providentiam aliquam, necessariò exercuit circa omnia futura ab æterno, alioquì inciperet in DEO etiam in tempore nova volitio, novumque decretum, quod absurdum, & cum futurum nihil aliud sit quam relatio rationis quâ ab æterno res futuræ dicunt intentam & volitam ad DEI voluntatem, & Omnipotentiam, existentiam,

Bradwardina de causâ Dei c. 29.

& nihil reale ab æterno fuerit, præter solum Deum glorioſum unum & Trinum, tum futurum nunquam incepit esse, sed ab æterno rerum futuritiones necessariò fuerunt coævæ Dei decretis de rebus in tempore futuris. Et revera hæc futura conditionata *Si David mansisset Ceilæ, & Saul illuc venisset, Kehilitæ tradent Davidem Sauli. Si* CHRISTUS *Patrem oraret, plusquam duodecim legiones Angelorum ad ipsum misissent liberandum à morte. Si Israelitæ duxerunt uxores aliegenas, ad idololatriam seducentur. Si concionaretur aliquis ex mortuis resuscitatus quinque fratribus Epulonis, nunquam tamen resipiscent.* Etsi extrema harum propositionum nunquam existant, tamen hæc omnia revera futura, imò indeclinabiliter futura fuissent, ex hypothesi, quod posita fuisset conditio, quæ tamen nunquam posita fuit. Ergo propositiones eæ determinatam veritatem habent, hypothetica enim veritas, si poneretur hypothesis, est determinata veritas. Dei ergo voluntas libera vel vult connexiones tales, vel positivè non vult, vel negativè vult. Si vult, Ergo decrevit tales connexiones: nam ex naturâ rei nulla est connexio in talibus magis quam inter eorum contradictorias propositiones, & habetur institutum. Si positivè Deus non vult connexiones tales, tum nunquam tales veras fore prædixisset; nam sic falsum prædixisset, quod blasphemum est dictu. Si negativè Non vult tales connexiones, adhuc falsum prædixisset, & sequeretur suspensam fuisse Dei voluntatem respectu talis connexionis, ut lapis non vult tales connexiones. At Dei voluntas actualissima, & determinata est ab æterno ad omne nolibile & volibile: quia non est Deus in potentiâ ad volendum aut nolendum de novo aliquid; nam sic actualior, nobilior & perfectior esse inciperet Dei voluntas, quam ab æterno fuerat. Nam ut observat *Suarez*, *cum dicitur Deus posse velle aut non velle, illud (posse) non dicit potentiam activam vel passivam, sed solum indifferentiam ejusdem actus ut ad hoc objectum terminetur.* Deus ergo omnes tales connexiones in sese merè contingentes ab æterno decrevit, etsi extrema connexa nunquam existant, vel eæ connexiones quæ admirandam Dei sapientiam, justitiam, misericordiam, libertatem, patientiam, longanimitatem, gratiam & potentiam exprimant, omninò fortuitò eveniunt. Quo nihil iniquius in Dei providentiam excogitari potest, vel Deo decernente fiunt. 2. Videmus etiam in Scripturis omnes promissiones legis, plerasque Euangelicas

Dei actualissima voluntas positive fertur in omne volibile & nolibile.

Suarez Metaphysico.

Deum futura conditionata in suo decreto præscire, facessit Ergo scientia media.

gelicas reprobis factas idem demonstrare. Nam hæc promissa nobis jam lapsis proposita. *Vult Deus ut omnes posteri Adami vivant in æternum, si legem præstiterint perfectè.* Item. *Decrevit Deus, ut qui legem exactè præstet, omnibus bonis temporalibus*, liberis, divitiis, famâ, libertate, sanitate, *Deut.* 28. fruatur. At extrema connexa nunquam existunt, neque unquam est (si Salvatorem excipiamus) vel fuit, vel futurus est, qui legem perfectè præstet, neque unquam data est vita æterna aut prosperitas temporalis ulli mortalium titulo jureve obedientiæ omnibus numeris absolutè præstitæ legi DEI. At non dicent has connexiones, *Si fecerit homo legem, servabitur & vivet per legem.* Et tales *Si Cajan bene fecerit, acceptus erit Deo*, Gen. 4. *Si Judas credidirit, imputabitur ei justitia Christi*, antecedere omne liberum DEI decretum, & terminare objectivè scientiam mediam, quasi verendum foret, ne DEUS destrueret libertatem humanam, si absoluto suo decreto decerneret vitam æternam legem perfectè observantibus, & justificationem & remissionem peccatorum & æternam vitam resipiscentibus & credentibus. At vanuscèli & umbratilis timor. 3. Scriptura DEO asscribit scientiam operum suorum, at quo pacto præsciret quæ facturus est DEUS nisi in decreto suo? quo facere decrevit, & prædixit ea quæ præscit? Nam Prophetâ *Micajas* prædicit dispersionem *Israelitici* exercitus, & interitum *Achabi* in bello ad *Ramoth Gilead*, quoniam DEUS ei revelaverat decretum suum è Solio pronunciatum de immittendo Spiritu mendace in os omnium Prophetarum qui pellicerent Regem ad bellum istud. JEHOVAH, ubi prædicit se hoc facturum, vastaturum *Babylonios* per *Medos* & *Assyrios*, & alios: quoniam ipse tale consilium de illo excidio inivit, *Esai.* 14. 24, 25, 26 se populum è captivitate liberaturum, quoniam decrevit *Cyro* uti ejusdem liberationis administro, *Esai.* 46. 10 si prædictionis certitudo dependeat à decreto etiam & præscientiæ infallibilitas. Hinc omnes prædictiones quæ innituntur decreto quo DEUS res illas facere & in effectum indeclinabiliter perducere statuit, probabunt certitudinem præscientiæ à decreto pendere. Ideoque Prophetiæ ferè omnes id ipsum probabunt. Hinc in nullis ferè non paginis Prophetarum. Sic JEHOVAH. Ego prædico hoc futurum sub Regno *Messiæ*, hoc fore in ultimis illis diebus, quoniam ego id promitto fore, si ad promissiones spectet Euangelicas, & id mali me inflicturum interminor, si ad comminationes referendum sit, Quoniam

am ipse id facturus, & volo, & ab æterno apud me facere decrevi: Sic homines prudentes quæcunque facturi sunt. ideo præsciunt, quoniam eadem facere decreverunt, cur hoc de infinitè Sapiente DEO negandum esset?

Ruiz. to. de vol Dei disp 62. sec. 3.

Quid hic Jesuitæ ad omnia? *Did. Ruiz. Deum præscire contendit omnes operationes liberas, etiam suas, & bonas, malas, naturales, supernaturales, omnium hominum & Angelorum, creandorum, possibilium & nunquam creandorum, non tantum in communi & vagè, sed etiam determinatè & in particulari, vel secundum sensum illativum, vel simplicis coexistentiæ, vel in purè disparatis, vel quæ operationes propter majorem propensionem voluntatis inferuntur ex hypothesi tanquam determinatè futuras vel non futuras, idque antecedenter ad suam prædefinitionem aut efficax decretum, ita tamen ut supponatur voluntas Dei qua vellet producere arbitrium creatum in illis circumstantiis: quæ in hypothesi supponuntur, ita ut voluntas hæc Dei non supponatur quasi jam existens ab æterno: nec quasi absolutè futura, sed quasi conditio, quæ foret requisita ut talis suppositio existeret, utq; talis actus conjungeretur cum hypothesi.* Hic duodecim articulos breviter habet Lector ex *Ruizio. Franci. de Oviedo* sic philosophicè rem demonstrare opinatur. *Pone* (inquit) *duos homines, quorum unus dicit, si* Petrus *haberet talem cogitationem, consentiret, & alter dicit, non, si* Petrus *haberet talem cogitationem, consentiret. Alter horum hominum diceret rem eo modo quo esset. Ergo alter horum veritatem diceret. Ergo altera harum propositionum esset vera, & altera falsa: —— quia in quocunq; casu, vel esset consensus vel negatio consensus determinatè. Confirmatur. Hæc propositio est vera.* Petrus *vocatus respondet. Ergo hæc antea erat vera, si* Petrus *vocaretur, responderet. Et omnia argumenta quæ suadent veritatem & falsitatem propositionis enunciantis de futuris absolutis liberis, idem convincunt de futuro conditionato.* Arriaga objicit sibi sic. *Omnis suppositio antecedens, ex quâ necessario sequitur effectus, tollit illius libertatem: sed modo esse futurum peccatum* Petri *& cognosci à Deo, est suppositio antecedens, quia hodie est propositio vera, & hodie cognoscitur à Deo peccatum, quod cras est futurum: aliunde vero posità hâc scientiâ Dei, non potest non sequi effectus: quia non potest falli ea scientia. —— Quod existit determinatè existit necessario, determinatio enim opponitur existentiæ, sed ut modo propositio sit determinatè vera, requiritur ejus objectum extiturum determinatè. Ergo extiturum necessario.*

Oviedo to. 2. cursus philoso. de anima contr. 7. punct. 6. q. 3. n. 10.

Arriaga cursu philoso. disp. 14. logica sec 5. subsectio 2. n. 91. 90, 91.

sario. Pro solutione (inquit) *suppono duplicem esse determinationem effectus, Aliam provenientem formaliter à determinatâ existentiâ effectus prout contra ponitur vagæ & indeterminatæ existentiæ; Hæc enim determinatio non tollit libertatem, sumitur enim ab ipso effectu, sicut dixi de necessitate consequente quæ coincidit cum hâc determinatione: Alia determinatio est antecedens, ex causâ determinatâ ad unum, & hæc tollit libertatem: quia omnis necessitas proveniens ex aliquo antecedente, infert necessitatem ex effectu. — Ad veritatem ergo determinatam propositionis non requiritur objectum existere determinatè ex causâ, id est, ex causâ determinatâ ad unum, seu ita oriri ut non poterit non oriri: sufficit tamen si existat determinatè, determinatione ortâ ex ipso effectu de facto existente; sicut in propositionibus de præsente & de præterito.* Scio *Suarezium* & alios fingere determinatam veritatem in talibus futuris conditionatis, absque omni illatione aut consequentia syllogisticâ: at non licet mihi, quod sæpè repono, dicere cum doctis. *Jac. Revio. Veritas* (inquit) *in entitate fundatur*, quæritur unde futura conditionata habeant entitatem determinatam citra omnem actum divinæ voluntatis, at non à seipsis, quia non sunt actu, imo neque futura magis quam non futura antecedenter ad omne decretum, & si entitatem determinatam non habent ante decretum, unde, quæso, habent necessitatem, unde cognoscibilitatem? Nam argumenta adfert Clarius *Bradwardina* quibus contendit *res scitas non esse causas divinæ scientiæ*; probat non esse causas neque reales, neque objectivas quæ fundare possunt certitudinem infallibilis DEI scientiæ ex DYONISIO. *Semetipsa igitur* (inquit) *divina sapientia cognoscens, cognoscit & omnia, immaterialiter. Etenim* (si res scita esset causæ divinæ scientiæ) *tunc Deus non esset omnium prima causa non enim causat extrinseca* (quæ extra ipsum sunt) *nisi sapientiâ disponente & hujus est causa prior, scilicet ipsum scitum* (ex te Pelagiane) *quod magis patet de futuris. A enim esse futurum est causa præscientiæ DEI & Deus non est causa quare A est futurum: quia tunc pœnitus ignoranter causaret. Ergo A esse futurum est hic simpliciter prima causa: imo cum præscientia* DEI *ita sit hic effectus ut nullo modo sit causa, causatur ab aliqua causa priori, quæ non est* DEUS, *quæ omnia ab omnibus Philosophis & Theologis unanimiter condemnantur.* Item. *Contingentia ad utrumlibet non sunt de se magis determinata ad unam partem quam ad aliam: quia tunc non essent ad utrumlibet. Ergo non possunt de se determinatè*

Suarez Metaphys. disp. 30. n. 1. 2. &c. Suarezius repurgatus disp. Metaphys. 30. ad not. 23 pa 632.

Bradwar. de causa Dei lib. 1. c. 15.

Dionysius de divin. nominib. 7.

Res non sunt causæ divinæ præscientiæ.

terminate causare (audite & respondete *Jesuitæ*) *in Deo cognitionem unius partis, nec alterius.* Item. *Quod si res scitæ essent causæ divinæ scientiæ, cum causa sit naturaliter prior causato, res scitæ essent priores naturaliter scientia Dei, quod videtur absurdum, cum ipse sit primus & novissimus, principium & finis. Aiunt enim* Pelagiani *non ideo quid esse eventurum, quoniam illud providentia futurum esse prospexit, sed è contrario potius,* quoniam quid futurum est, id divinam providentiã latere non posse. adhuc, si scita *essent causæ divinæ scientiæ ipsa multum adjuvarent eum in sciendo, & darent sibi consilium, & ostenderent illi agenda, & sic fatuus homo vel asinus esset adjutor necessarius, consiliarius & doctor Sapientissimi DEI nostri contra id* Esai. 40. *Quis consiliarius ejus?*

Certè si res scitæ objectivè terminarent scientiam Dei, necesse est Deus res extra se prius consuleret; an hoc conveniens factu, vel non factu sit, nec auderet peremptoriè aliquid decernere, donec res ipsæ daturæ essent sapiens consilium, & sapiens connexio inter ignem & calefactionem, nivem & albedinem, pisces in aquis non in aëre, & aves in aëre non in fluviis & visceribus maris natantes, determinaret Dei sapientiam, quod quidem inter homines veritatem obtinet: nam extrinseca bonitas & convenientia in objecto determinat scientiam artificis: illè enim mutuatur & mendicat sapientiam à rebus scitis: quia non sunt res convenientes in habitudine ad scientiam artificis, sed contra artificis scientia regulatur & objectivè & verè causativè à rebus scitis. Et artifex res futuras imperfectiùs, & easdem jam existentes perfectiùs cognoscit: at hoc absurdissimum esset affirmare de Deo. At Deus æquè perfectè ab æterno mundum futurum & creandum, atqui mundum hoc die existentem & creatum cognoscit: quia nihil cognoscit hodie de novo, quod heri aut ab æterno ignoravit, nihil hodie exactiùs aut perfectius scit, quod ab æterno minus exactè & rudius scivit, nec res scitæ sunt mensura divini intellectus: imò nec propriè objectum, nisi hoc modo quod sint res prius idealiter & in exemplari suo in intellectu Dei prius futuræ, & delineatæ & efformatæ ab æterno in illâ (si fas ita loqui liceret) decretivâ & intellectuali divinæ mentis officinâ representationes, omnimoda & exactissima conformitas est inter Dei intellectum & res ad extra tum possibiles, tum futuras, præsentes & præteritas, uti est inter scientiam

tiam nostram & objectum. 2. Terminant aliquo modo res scitæ divinum intellectum, sed nec mensurant, nec limitant, nec perficiunt eum. Sed tum scitæ res sunt objectum tale quod non egreditur DEI mentem: quia omnia scita objiciuntur intellectui DEI practico, eatenus enim sunt ei cognita quatenus habent esse practicè ab illo, vel efficiendo ut sint, vel efficiendo ut non sint, vel permittendo, vel per hoc quod sint in habitudine ad ejus potentiam possibilia: & hæc interna & objectiva existentia rerum in divino intellectu est prima regula & activa mensura rerum ad extra, nec mensurationem ullam aut terminationem potentialem & passivam aut conformitatem cum rebus ad extra recipit DEI scientia ab illis rebus scitis; nam res scitæ sunt regulatæ & mensuratæ à scientiâ DEI practicâ ut à regulâ. Nec DEI scientia debet dici conformis rebus scitis, sed res scitæ conformes DEI scientiæ. Neque possunt futura contingentia ex se terminare, aut determinare DEI infallibilem scientiam ad unum oppositorum potius quam ad alterum. Nam contradictionem involvit quod contingentia futura antequam accedat DEI decretum dans futuritionem, & removens possibilitatem sunt determinata, aut determinatè scita, tanquam futura, cum revera sint merè possibilia. Non loquor hic de rebus increatis scitis, *ut Deum esse æternum*, &c. quæ priora sunt scientiâ DEI, sed de creatis quæ a DEO sciuntur. *Nec potest* (inquit *Bradwardina*) *quis dicere Deum præscire complexè Antichristum fore, per ipsum Antichristum, cum etiam ipse Antichristus in se nihil sit, nihil per se agit aut causat,* Eodem modo libera *Petri* volitio 7ª A. potius quam nolitio quæ ante mundum creatum futura erat, & futura conditionata ante omne DEI decretum, sunt merè non entia. Ergo ne objectivè quidem terminare possunt divinam scientiam infallibilem. *Nec etiam potest dici* (inquit *Bradwardina*) *quod Deus præscit futura per futuritionem eorum; tunc enim, ut videtur res futuræ essent causa, sive causæ divinæ scientiæ contra præmissa. Illa insuper futuritio, si nihil est, penitus nihil causat; si autem sit aliquid reale diversum à DEO, arguitur sicut prius, illa insuper futuritio est aut fuit aliquando causata à DEO secundum priora. Quomodo ergo prius scivit DEVS illam esse futuram? quomodo etiam prius scivit illa futura esse futura, aut illud futurum esse futurum? adhuc autem illa futuritio vel facit rem esse futuram contingenter & indeterminatè, vel*

Bradwardi. de causa Dei libr. 1. c. 18.

Bradwardi. loc. cit. l. 1. c. 18. *Deum in volumate suâ futura omnia præscire ex* Bradwardinâ.

necessario & determinatè, si contingenter. & indeterminatè quomodo scit DEVS per illam determinatè & certò rem fore? Nonne enim tunc futuritio illa determinatè existit, & ex illâ determinatè & necessariè sequitur, quod res erit? Quomodo ergo vitabitur, quin omnia quæ eveniunt, de necessitate eveniant, & nihil penitus contingenter? Si vero illa futuritio ponatur esse in DEO, maximè videtur quoa sit ponenda in voluntate divinâ, cum hæc sit causa futuritionis & determinationis omnium futurorum, ut ex 14. hujus; supra fundatur intentio principalis; nec adhuc rationabiliter opinandum, quod DEVS sciat futura per solam suam essentiam, ejus voluntate remotâ, Ipsa enim de se sola indifferens est, æqualiter & indeterminata ad representandum divino intellectui Antichristum fore, & Antichristum non fore, sicut utrumq; potest æqualiter fore & sciri à DEO, neutrum igitur ex se solâ sine determinatione aliquâ prævia representat: neque similiter arbitrandum, quod DEVS sciat futura per intellectum ejus solum, aut quod ipse (intellectus DEI) determinat divinam essentiam ad ostendendum hoc futurum vel illud, cum ipse (intellectus DEI) de se sit indifferens ad utrumq; oppositorum contingentium, sicut & essentia ipsa DEI, tum etiam intellectus solus non sit practicus isto modo, voluntate ejus remotâ, sicut ex 80. & 90. hujus apparet; cum insuper intellectus, voluntate semotâ, sit principium necessarium. sicut constat, & per corollarium 10. hujus patet, quodlibet futurum esset necessario futurum & præscitum à DEO, sicq; contingens æqualiter deperiret. Nec potest determinari, ut quidam volunt per infinitatem & immensitatem suæ scientiæ: quia positâ immensitate suæ scientiæ adhuc potest indifferenter sciri Antichristum fore & non fore, sicut Antichristus potest indifferenter fore & non fore. Ergo neutrum sciet sine aliâ determinatione prævia limitante aut terminante, item determinatio qua DEVS determinatur ad sciendum quicquam prior est naturaliter quam illud scire, seu scientia ex tali determinatione proveniente: sed DEVS determinatur ad sciendum Antichristum fore per infinitatem suæ scientiæ. Ergo infinita DEI scientia prior est naturaliter quam ipsum scire Antichristum fore; & cum illa includat scientiam hujus, (Antichristus erit) sequitur quod scientia DEI, qua scit Antichristum fore, præcedat naturaliter seipsam. Ex hisce & similibus eruditissimus hic Scholasticus (quo vix, præter Scotum nostrum *Joannem Dunς*, mihi est alius inter Antiquiores prior, subtilior nemo, solidiores nulli, inter Jesuitas non habet discipulum ullum,

lum, qui non cedere, ingenii acumine, suo jure & debet & potest) concludit futura contingentia, conditionata, vel absoluta non sciri in ullo medio nisi in solo Dei libero decreto. Altitudo enim scientiæ Dei, ad quam confugiunt Jesuitæ ignoranter, ut non dicam malitiosè, sive infinitus intellectus, sive essentia Dei, sive permissivum decretum otiosum, confusum, generale, omnia hæc nequeunt illud quod est ad utrumque indifferens & indeterminatum tanquam determinatum apprehendere, sepositio decreto antecedente & determinante, neque decretum antecedens tollit electivam indifferentiam: quia non necessitat 1. cogendo, aut vim inferendo, 2. neque physicè necessitando, uti ignis calefacit, Sol illuminat, neque 3. auferendo judicium intellectus aut internam spontaneitatem electivam. Unde hoc Jesuitarum, quod nunquam probarint, principium constanter negamus, nempe. *Illud quod ad unum determinat voluntatem liberam, destruit libertatem.* Nam ipsa voluntas creata hoc modo actu libere agens destrueret libertatem, quia secundum *Jesuitas* ipsa sese liberè determinat ad unum. At hoc facit (inquiunt) naturæ libertatis congruenter. At respondemus nos Jesuitis, Dei decretum antecedens non propriè determinare ad unum voluntatem liberam, sed ponere futuram determinationem libertimè futuram, neque aliter prædeterminationem Dei physicam, ut vocant, verius *ad modum causæ physicæ*, seu potius ad similitudinem longè dissimilem, moventem congruentissimè genio & naturæ libertatis movere & flectere liberam voluntatem, eodem modo quo ipsa voluntas se movet, quod attinet ad flexionem minimè cogentem, violentantem, aut destruentem libertatem, licet non eodem planè modo in genere causæ vitalis & electivè agentis. Unde facile respondetur ad id quod *Ruiz* inter alia magis operosè & subtiliter, quam solidè & eruditè affert contra prædeterminationem: quia fulcrum videtur, sed cariosum scientiæ mediæ. Opinatur enim prædeterminationem Dei advertari contractui, promissioni, juramento, vel voto. Tres modi sunt contractus.

Determinatio voluntatis liberæ ad unum non ledit, non tollit libertatem.

Did Ruiz. de scientiâ Dei disp. 46. sec. 1. 2. 3. pag. 400. 401, &c. *Physicam prædeterminationem* Ruiz. *contendit, sed frustra, pugnare cum natura promissi, voti, juramenti.*

1. *Agricola promittit se laboraturum in agro, tantum in illis temporibus in quibus illum DEVS physicè prædeterminaverit ad laborandum, & ex hypothesi prædeterminationis. At hoc non, quia frustra promittitur quod est necessarium, at ex suppositione prædeterminationis*

est simpliciter necessarium, Confirmatur. Si quis promitteret se venturum in domum alterius eo tantum tempore quo curreret, vel ambulando incederet versus illam, censeretur adhibere materiam ineptam obligationi. Confirmatur. Quia Thomas *id quod est absolutè necessarium esse, vel non esse, nullo modo sub voto cadit, stultum enim esset si quis voveret; se esse moriturum, vel se non esse volaturum. At vero absolutè necessarium est sequi prædeterminationem physicam, colendo agrum, quando DEVS ad hoc prædeterminat; quia libertas ibi nulla alia est nisi in DEO ut prædeterminationem subtrahat, vel adhibeat, non vero in homine. Et quoties promittens omittit aliquid facere, quod in contractu promisit, toties illi non est data physica prædeterminatio ad illud opus. Ergo contractus non obligat, ad faciendum aliquid nisi ex suppositione quod detur physica prædeterminatio ad illud.*

Thomas 22. q. 88. art. 2.

2. *Modus est. Ut Agricola promittat se culturum agrum in illis solummodo temporibus, in quibus Deus physicè non predeterminaverit ad culturam. At nec hic modus cadit sub contractum, juramentum aut votum. 1. Quia simpliciter impossibile est, etiam de potentiâ DEI absolutâ, colere agrum in illis temporibus in quibus DEVS non prædeterminat ad illius culturam. 2. Quia est intrinsecè malum, injuriosum DEO, & præsumptio de suis viribus attentare aliquid facere sine concursu DEI simpliciter necessario ad talem operationem. 3. Quia nemo servaret obligationem sui contractus, quod prob. Nam observatio illa quę supponit prædeterminationem physicam non est materia contractus, juxta modum præsentem: At vero quando deest physica prędeterminatio nulla est observatio quæ sola promissa fuerat. Ut suponitur nunc.*

3. *Modus est. Ut agricola promitteret se culturum esse agrum quolibet tempore, sive quando DEVS physicè prædeterminaverit ad culturam, sive quando non prædeterminaverit. At nec est hæc materia capax obligationis: nam partes quę divisę sumptę non sunt capaces obligationis promissi, aut contractus, non redduntur capaces, ex eo quod copulativè sumuntur, nisi per copulationem auferatur illis necessitas & impossibilitas aut inutilitas. At colere agrum, quando DEVS ad illud prædeterminat semper est necessarium. Ergo obligatio ad id per promissionem semper est inutilis Confirmatur. Si actualis agri cultura præcisè considerata, quatenus DEVS concedit aut negat determinationem suam non est materia capax obligationis, tum consequens est ut non alio modo sit obligationis capax, nisi quatenus includit physicam determinationem DEI,*

ita

ita ut Agricola promittat fore ut DEVS in re & actualiter tribuat sibi perpetuam physicam prædeterminationem ad agri culturam, atq; fore, ut eâ suppositâ, ipse perpetuo agrum colat. At cum prædeterminatio factum sit alienum à solo DEO pendens, nemo eam promittere potest, quippe nemo potest promittere nisi quod in suo dominio habet.

Stipulatio illa 83. ff. de verborum obligationibus.

Respondeo 1. Hoc ipsum argumentum non tam in nos qui prædeterminationem ad actus omnes necessariam tuemur, quam in *Apostolum Jacobum* & Spiritum Sanctum militat. Qui enim promittit aut constituit ire in civitatem, *Jac.* 4. 15. & non promittit & statuit illud iter facere ἐὰν ὁ Κύριος θελήσῃ, *si DOMINVS voluerit*, vel promittit (suppono enim inter mercatores pactum iniri de itinere in civitatem mercandi causæ) illud iter facere, ex hypothesi quod *Deus* voluerit illud iter actu fieri hoc tempore determinato, vel ex hypothesi. 2. Quod DEUS non voluerit illud iter fieri, vel 3. quod illuc iter facturus sit, sive DEUS iter fieri voluerit, sive non voluerit. Si primum, Prædeterminationis physicæ fautores dicunt pios promittere iter in civitatem, ex hypothesi, cum *Jacobo* Apostolo, *Si DOMINVS voluerit & decreverit illud iter hoc tempore fieri*, neque infertur necessitas absoluta vel ex positione decreti vel prædeterminationis physicæ factæ, sed tantum talis necessitas quæ secundum quid, & ex hypothesi dicitur. Et eadem est cum illâ necessitate quâ quicquid est, quando est, necesse sit esse, sic quando DEUS voluerit *Petrum* hoc tempore disputare, & ad disputandum hoc tempore moveat & flectat, necesse est disputet, hæc est mera Aristotelica illa necessitas quâ *necesse sit*, aliquid esse quando est. At quo medio, probabis tu Jesuita, hanc absolutam esse necessitatem & contractus, voti, pacti aut juramenti minimè materiam capacem, qualis est hæc, *Si quis voveret se mortalem esse, vel se non volaturum.* Succumbas in probatione, & tibi hæreat aqua est summe (opinor) necessarium. Si DEUS moveat cor Regis ad capite plectendum *Joabum* homicidam ut est *Prov.* 21. 1. An absoluta necessitate *Solomon* capite plectit homicidam? an vero *Solomon* actum justitiæ liberum & laudabilem facit voluntate ipsius à DEO motâ prout DEUS, non prout ipse Rex *Solomon* velit, in hunc actum? certè nullum actum liberum facit Rex impulsus & determinatus à DEO, (nam procul dubio locus *Prov.* 21. 1. aliter quam de prædeterminatione ad modum causæ physicæ exponi non

Did. Ruiz. *argumentum pugnat cum Apostolo Jacobo & Scriptura quæ dicit,* Hoc faciemus, si DOMINUS voluerit.

potest) nisi necessitate secundum quid. Promisit *Solomon Davidi* Patri morienti se puniturum *Joabum* homicidam, 1 *Reg.* 2. 5, 6, 28, 29 30, 31. idque piâ & religiosa hypothesi, *Jacobi* c. 4. 15. & prout Dominus per ipsum loquitur, siquidem Dominus per gratiam suam flexerit & determinaverit cor ipsius, ad tam laudabilem justitiæ actum. Neque *David* necessitate absolutâ aliquid promisit, neque vovit, quod in alienâ potestate, nempe, solius DEI fuerit: omnes enim hominum mortalium promissiones siquidem piè & religiosè fierent, necesse est fiant cum virtuali, & etiam expressâ ad DEI decreta & providentiam determinatricem & motricem primam omnium rerum, actionum, pactorum & promissorum hypotheticâ subjectione, *Si Dominus voluerit, si concursum* (quem negare liberrimum esse DEO quis vel atheos neget?) *præbuerit.* An offendit Jesuitam homines debere promissiones DEI (in cuius manu sunt omnes viæ nostræ) nutui & flexioni subjicere? An non JEHOVAM in omnibus viis nostris agnoscere tanquam Moderatorem, Ductorem, æquum est? sed male habet & vexat *Jesuitas*, Angelos & homines DEO subjici, malunt illi penes creaturam dominium libertatis esse. At optimè sequitur contractuum violatores reos esse & puniri debere, quoties facere omittunt, quod promittunt, etsi interveniant carentia divinæ prædeterminationis, aut Jesuitici collateralis concursus, quoniam hæc carentia non est moralis causa violatæ promissionis, imo liberum arbitrium hominis fœdifragi quod virtualem & liberrimum consensum tali carentiæ contribuit, est proxima & sola causa culpabilis talis pacti violati. 2. *Neque Agricola promittit se culturum agrum, iis temporibus in quibus Deus physicè non prædeterminat ad culturam,* nisi temerario & inconsiderato proposito tale quid facere intendit, uti hominibus DEUM in viis suis haud agnoscentibus Ductorem & Magistrum sæpiuscule usu venit, qui in civitatem mercandi gratiâ ire statuunt; nec statuunt id siquidem Dominus voluerit, ut est, *Jac.* 4. 15. (3.) Miror quâ fronte, Jesuita asserat *Petrum* promittere laborare in horto *Joannis*, si Dominus prædeterminationem suam physicam contribuerit, esse idem, *ac si aliquis promitteret ire in domum alterius, ex hypothesi quod curreret, vel ambulando incederet versus domum* Nam toto Cœlo differunt; quoniam DEI prædeterminatio nullo modo plane idem est cum actu laborandi in horto, nec actio DEI primæ causæ

Omnes mortales promissiones sunt tacite conditionatæ, si Dominus voluerit,

causæ & nostra libera ita sunt idem, uti *ire in domum alterius, & currere in domum alterius.* 4. Neque verum est quod tentare aliquid agere absque prædeterminatione DEI sit *intrinsecè malum, & nimia de suis viribus præsumptio,* nisi revelata sit DEI voluntas DEUM nolle jungere suam prædeterminationem tali actui; at ubinam hoc est revelatum? non enim nobis patefit nisi eventu, imò nec est intrinsecè malum quod discipuli attentent CHRISTO adhærere & eum confiteri, etsi revelatum fuerit ipsis, secundum vaticinium Spiritus Sancti, *Zach.* 13. 7. *Math.* 26. 31. fore ut culpabiliter in Salvatore capto & crucifixo scandalizentur, eumque abnegent, at prædictum revelatumque fuit à CHRISTO, *Math.* 26. 31. juxta prophetiam *Zach.* 13. 7. negaturum esse DEUM actui adhærendi CHRISTO, eumque coram hominibus confitendi, vel concursum indifferentem & collateralem, vel prædeterminantem, talis enim actus non fuit in rerum naturâ, sed contrarius actus derelinquendi *Salvatorem* infallibiliter fuit tum à Propheta *Zacharià,* tum à CHRISTO prædictus; An fuit ergo *intrinsecè malum, seu DEO injuriosum attentare actum adhærendi CHRISTO eumq; confitendi?* At sic attentare obedire DEO, & quod discipulorum fuit debiti officii, conari facere, esset *intrinsecè malum,* quo nihil absurdius, blasphemius nihil. Fluit hoc ex ignoratione voluntatis beneplaciti & voluntatis signi, quasi voluntas beneplaciti nobis regula foret quid *Deo injuriosum & intrinsecè malum,* quid verò sit ei gratum, æquum & licitum, cum voluntas signi & revelata nostra sit regula: unde coguntur *Jesuitæ & Arminiani* cum *Socinianis* duas contradictorias in DEO voluntates admittere, id quod falsò nobis ascribunt. 5. Et docemus contra *Jesuitas* nos homunciones, in quorum manu & potestate non sunt viæ nostræ, nihil nos posse promittere, pacisci, vovere aut nos facturos jurare, nisi Dominus voluerit, & vitæ usuram longiorem, (quod in nobis minimè esse dicere non verecundamur, obstrepant Jesuitæ Atheoi) indulserit, & prædeterminationem suam ad id quod nos facturos esse promittimus, contribuerit. Nec prædeterminatio DEI est res à nobis promissa, magis quam longior vitæ, lucisve usura, sed conditio pia, quâ gratiosè indultâ, nos aliquid facere promittimus, qui tenentur dicere, *Jac.* 4. 15. *Ibimus in talem urbem, agemus ibi annum unum, & mercabimur & lucrabimur, si Dominus voluerit, & vixerimus.* Non promittunt sese dominium

dominium habere in Dei voluntatem, aut in usuram vitæ suæ ad annum: voluntas enim Dei in hoc itinere tam est solius Dei propria & extra domininm miselli mercatoris, quam prædeterminatio Dei est factum in solius Dei, non in hominum dominio, imò tantum abest, ut pius mercator socio & commercatori promittens se venturum ad urbem ad emendas ab ipso merces, si Dominus voluerit, & vixerit, arroganter promittat & fastuosè sibi adscribat dominium in Dei voluntatem & longiorem vitæ suæ usuram, ut contra piè & religiosè se, iter suum in urbem, & mercaturas suas, vitæque usuram Dei sapienti voluntati & supremæ dominio submittat, dicatque nihil aliud quam se iturum in urbem, & ibi merces empturum, si Dominus voluerit,& prædeterminationem ad iter tribuerit, & si noluerit Dominus, & prædeterminationem negarit ad profectionem in urbem, & tenuè filum fragilisculæ vitæ abruperit, se sanctissimè divino consilio acquieturum. Omnes enim promissiones, pacta, vota, decreta, juramenta creaturarum fieri debent sub piâ conditione divinæ voluntatis, prædeterminationis & providentiæ Dei *in quo vivimus, movemur & sumus, Act.* 17. 2. Liceat mihi irrefragibiliter telum hoc in *Goliæ* hujus caput retorquere. Deum enim omni dominio, fidelitate & veracitate promissionum spoliat hoc futile argumentandi genus. Nam repono hos tres modos promittendi in Deo. Deus promittit liberam generationem filii sui è semine *Davidis*, liberam obedientiam *Gentium*, eorumque ad fidem & coadoptionem in Ecclesiam suam liberrimam, liberam denique ambulationem in mandatis Dei promissam juxta tenorem fœderis gratiæ, *Deut.* 30. 6. *Jer.* 3. 31. 32, 33, 34, 35, 26. &c. *Jer.* cap. 32. 39. 40. *Ezech.* 36. 26, 27. *Esai.* 54. 1, 2, 3, &c. Hæc omnia promittit Deus se procuraturum, 1. Vel quando homines liberè consensuri sunt universali Dei indifferenti concursui. Et sic Deus promittens se congruè moturum homines ad hos actus liberos, non nisi iis temporibus in quibus homines suam liberam vitalem determinationem creatæ voluntatis sunt conjuncturi Deo concurrenti, promittit,quod est absolutè necessarium, ut argutatur *Iesuita*. Nam ex suppositione quod Deus congruè moveat voluntatem ad actum liberum, absolutè necessarium est voluntatem congruè à Deo motam sequi motionem Dei congruam utpote essentialiter efficacem: *& omne quod est, quando est, necesse*

est

est esse: nam tam necessaria & intrinseca connexio est inter liberum actum & congruam motionem ex Jesuitæ doctrinâ, quam inter liberum actum & DEI prædeterminationem, ex nostrâ doctrinâ. 2. Vel *Ioannes* promittit se effecturum omnes actus liberos, de quibus loquimur, tantum in iis temporibus in quibus DEUS jungit universalem & simultaneum concursum Jesuiticum, at hoc est, promittit *Ioannes* se laboraturum in horto *Petri*, non nisi iis temporibus in quibus non potest non laborare; nam tam est absolutè necessarium, *Ioannem* laborare ex hypothesi concursus universalis actu indulti, quam ex hypothesi prædeterminationis physicæ actu indultæ. Disparem rationem nunquam ostendent Jesuitæ. Denique in eo toti sunt Jesuitæ ut DEO adimant eripiantque omnem libertatem in promissis, pactis, fœdere, juramento, ut promissiones DEI suspendantur à libero creaturæ concursu, Deusque promittat, se hoc facturum, si creatura voluerit, vel se hoc facturum, non nisi iis temporibus quibus creatura liberum suum influxum tribuerit, & sic facile solvi possunt omnia quæ perperam affert *Did. Ruiz.* contra DEI prædeterminationem. hæc autem negatio unicum est scientiæ mediæ fulcrum carioſum.

Fundamentum autem meum, quod DEUS decreverit futura conditionata, etsi extrema connexa nunquam extiterint, mihi firmum est ex Scripturis, *Ier.* 38. *Si profectus exieris ad principes Regis Babylonis, vivet anima tua, & civitas hæc non succendetur igni, & salvus eris tu, & populus tuus, & domus tua.* Hoc autem nihil aliud est quam omnes salvos fore qui DEO obediunt: attamen neque Rex ille exivit ad principes Babylonis, neque salvus erat Rex, sed captivus, & regno privatus neque salvus erat populus, neque salva domus, DEI tamen voluntas erat determinata ab æterno in concatenationem illam inter Regis Judæ, populique obedientiam & debitam Regi Babylonis subjectionem & salutem Regis populique Judæ: Hoc etiam probant omnes promissiones vitæ propositæ Reprobis, omnesque comminationes factæ credentibus quæ continent actualissimam & determinatam DEI voluntatem & complacentiam de salvandis omnibus obedientibus, puniendis omnibus non credentibus, si hanc vel illam conditionem præstiterint, quæ conditio in plerisque nunquam præstita est, nec præmium unquam datum, nec irrogata pœna. Habet tamen DEUS voluntatem

Promissiones & comminationes, tum legis, tum Evangelii probant Deum habere voluntatem circa futura conditionata connexa, etsi extrema connexa nunquam extiterint.

tem actualissimam quod attinet ad connexionem extremorum, Quales sunt hæ, Gen. 4. *Si Cajan benefecerit, erit acceptus DEO. Si Judas credderit, salvabitur. Si Petrus perstiterit in impœnitentia, condemnabitur.* 1mo. *Salmanticenses in hoc testimonio* (inquiunt) *Esa.* 14. *Gloriatur DEVS de efficacitate & potentiâ sui decreti, quod hoc ipso quod ipse sit qui decrevit, nemo valet id infirmare: Si autem decretum illud esset infallibiliter efficax, quia prævisus est eventus futurus, tunc non esset major gloriatio DEO, quam creaturæ id ipsum decernenti: ——— imo creatura posset similiter gloriari, quod eâ decernente talem devastationem & adhibente mediâ ad illam, prævisoque effectu futuro nemo posset resistere.*

Salmanticen. Carmelitæ discalceati in curs. Theolog. to 1. tract. 3 de scien. Dei dis. 8. q. 3.

Quod mihi videtur expressa opinio *Thomæ. Omnia igitur Deus cognoscit, suam essentiam cognoscendo, ad quæ sua causalitas extenditur: extenditur autem ad operationem intellectus & voluntatis.* Et. *Cum esse* (inquit) *& intelligere in DEO sint indistincta, ipsum per suam scientiam causare res oportet, adjunctâ tamen voluntate.* Et ib. resp. *Sed considerandum est, quod forma naturalis in quantum est forma manens in eo cui dat esse, non nominat principium actionis; sed secundum quod habet inclinationem ad effectum: & similiter forma intelligibilis non nominat principium actionis secundum quod est tantum in intelligente, nisi adjungatur ei inclinatio ad effectum quæ est per voluntatem. Cum enim forma intelligibilis ad opposita se habeat (cum sit eadem scientia oppositorum) non produceret determinatum effectum, nisi determinaretur ad unum per appetitum, ut dicitur in 9. Metaph. Manifestum autem est quod Deus per intellectum suum causat res, cum suum esse sit intelligere: unde necesse est, quod sua scientia sit causa rerum, secundum quod habet voluntatem conjunctam: unde scientia Dei secundum quod est causa rerum, consuevit nominare scientia approbationis.* Ref. ad 1. *Sequitur enim si aliqua sint futura, quod Deus ea præscierit, non tamen res futuræ sunt causa quod DEVS sciat. Et ideo aliter dicendum quod DEVS sit causa rerum per suam scientiam, ut dictum est, in tantum se extendit scientia DEI, in quantum se extendit ejus causalitas, unde cum virtus activa DEI se extendat non solum ad formas à quibus accipitur ratio universalis, sed etiam usq; ad materiam, necesse est quod scientia DEI usq; ad singularia se extendat quæ per materiam individuantur. Cum enim sciat alia à se per essentiam suam, in quantum est similitudo rerum, vel ut principium activum earum: necesse est*

Thomas contr. Gentes l. 1. c. 28.

quod

quod essentia sua sit principium sufficiens cognoscendi omnia quæ per ipsum fiunt, non solum in universali, sed etiam in singulari. Et adde concl. ar. 13. *Cum DEVS sciat omnia, quę non solum actu sed potentia sunt, tam sua quam creaturæ futura omnia contingentia ut in seipsis sunt, secundum statum quo actu sunt, & ab æterno simul & infallibiliter cognoscit.* Thomas in q. 14. art. 8. in concl. in resp.

Alvarez & Salmanticenses citant *Augustinum, Hilarium, Richardum, Scotum, Hervæum, Ledesmam, Estium* asserentes *illud quod Deus facere decrevit id in suâ voluntate cognovit.* At fatentur *Jesuitæ*, qui nescio an in *Thomam* commentarios, volumina satis ampla, sat scio, scripserint, *DEVM decernere facere omnia contingentia absoluta.* Et fatentur, *Oviedo, Arriaga, Fasolus*, aliique complures Jesuitæ contingentium absolutorum & conditionatorum parem, in hâc de scientiâ mediâ disceptatione, rationem esse. Uti cito. Nam 1. DEUS per voluntatem agens, causa est universalissima omnium entium quoad substantiam & modos omnes, alioqui actus liberi non forent entia per participationem. 2. Quoniam DEUS causa efficacissima est, quippe, DEUS nutu facit quæcunque vult, & quia vult, non quia creatura vult, idque voluntati ejus nemo resistit, *Rom.* 9. Quod *August.* demonstrat verum esse in liberis agentibus duobus invictis argumentis: *Nec enim* (inquit) *ob aliud vocatur Omnipotens, nisi quia quicquid* 1. *vult, potest, nec* 2. *voluntate cujuspiam creaturæ voluntatis Omnipotentis impeditur effectus.* Nam certè sic homo quicquid vellet, faceret, neque quisquam, imò ne DEUS ejus voluntati liberæ utpote absolutè potenti agere vel non agere resistere posset: quia nemo potest destruere libertatem creatam, nec Omnipotentia ei resistere potest: quia positis omnibus, adeoque omnipotente voluntate DEI contra-nitente, agere vel non agere potest. Quæ superba creaturiola hæc est? 3. Tota ratio etiam propter quam DEUS omnia possibilia cognoscit est infinita ipsius potentia. Ergo tota ratio in qua omnia volibilia futura, & nolibilia non futura DEUS cognoscit, erit eadem potentia per sapientissimum consilium determinata; nam omnia futura in hâc causâ entitatem & cognoscibilitatem participant. 4. DEUS per voluntatem agens est omnium futurorum causa perfectissima & absolutè independens & dominans tam irresistibili vi in effectus ut actus liberi omnes vel futuri sunt, quoniam creata, aut increata voluntas

Deus futura conditionata in suo decreto præscit, secundum nobiles scholasticos. in resp. ad 1. arg. ib. art 11. resp. Colle. Salmanticen. to. 1. curs. Theo. tra. 3. di. 8. q. 3. Alvar. de auxil. di. 10. Augustde prædest. li. 26. c. 10. Hilar. de Trin. l. 9. c. 4. Richard. 1. d. 38. ar. 1. q. 5. Scotus 1. d. 39. q. vinc. Hervæ. ib. Ledesma de auxi. di. de sci. futu. du. 3. solut. 4. arg. Esti 1. sen. d. 38. q. 7. Aug. in Enchirid. ad Laur. c. 95

luntas eoſdem fieri velit. Si Prius. Creatura libera prima & independens cauſa erit. Si Poſterius. Habetur inſtitutum. Nec ſolvit *Suarez*. dicendo *voluntatem DEI abſolutam non eſſe efficacem cauſam futuritionis actuum liberorum; Nam ad talem ſcientiam, quâ DEVS ſcit,* Petrum *conſenſurum ex hypotheſi, quod ponatur in hiſce vel illis circumſtantiis, præſupponitur in DEO voluntas quâ vult dare concurſum.* Reſpondeo. Verum eſt præſupponi voluntatem dandi concurſum, ſed qualis eſt ille? talis eſt quem vult voluntas creata, ad nolle vel velle ad nutum miſellæ creaturæ: non talis qualis abſolutè DEO videtur conveniens, nec talis qualem DEUS vellet & optaret. At ſic non ſupponitur in DEO voluntas concurrendi ad velle potius quam ad nolle, ſecundum Jeſuitas, ſed confuſè vel ad velle vel nolle prout non DEO, ſed creatæ voluntati arriſerit.

CAPUT XIIII.

Jeſuitæ Franciſci Annati *impugnatoris* Gul. Tuiſſi *rationes pro ſcientiâ mediâ ex ſcripturis male intellectis enodantur. Res per ſolam DEI voluntatem ab æterno è ſtatu poſſibilium ad ſtatum futurorum tranſiiſſe, creatam voluntatem non eſſe cauſam, myſterii altiſſimi electionis & reprobationis, non involvi rationem per ſcientiam mediam.*

Annatus de ſcientiâ mediâ diſ. 2. c. 2.

FUndamentum *Annati* cur neget poſſibilia tranſiiſſe è ſtatu poſſibilitatis ad ſtatum futuritionis eſt. *Condonandum* (inquit) *Adverſario, ut tranſitum agnoſcat ubi eſſe non poteſt. Cum enim neq; tempus ſit ullum, neq; inſtans in totâ æternitate, in quo id quod dicitur conditionatè futurum non fuerit futurum, non poteſt dici tranſiiſſe è ſtatu merè poſſibilis in ſtatum futuri, cum neceſſe ſit, id quod tranſit ab uno ſtatu in alium, ſi verè tranſeat, prius extitiſſe ſub termino à quo, quam ſub termino ad quem quod perinde eſt, ac ſi quæratur cauſa cur potius tradendus ſit David in manus Sauli à Ceilitis, ſi manſerit inter eos, quam cur non tradendus ſit poſitâ eâ conditione.*

Reſpondeo

Respondeo 1. Contra negantes principia non est disputandum. Nullum enim est tempus ab æterno ante temporis creationem, *quo transire* potuerit *possibile ad statum futuri*, hoc non diffiteor. Nec *ullum est instans in totâ æternitate*, si sermo sit *de instante* successivo aut *instante* durationis, in quo talis transitus fieret, hoc quidem verum est. Et loquitur Jesuita de tali transitu qui in tempore fieret, aut de *transitu* motus in quo quod transit, prius duratione est *in termino à quo*, deinde *in termino ad quem*. Talem transitum neque in DEO, neque in æternitate fingimus, non tam obtusi sumus: de voce *transitus*, si de re constet, non contendendum. At si sermo sit, (uti procul dubio est) de *instante* rationis quod locum habet in æternitate, Theologus dici vix meretur Jesuita qui neget futura omnia, ne dum conditionatè futura prius in *instante* rationis esse possibilia, & ab hoc statu transire in futura, idque solâ determinatione divinæ voluntatis. Quod sic demonstro 1. Quoniam sicut omne quod est in tempore, futurum erat ante tempus & ab æterno, & quicquid futurum esse cœpit vel quasi incœpit ab æterno (nullum enim hic est tempus) illud in *instante* rationis antequam futuritionem nanciscereturr, Vel fuit simpliciter possibile, vel non simpliciter possibile. Contradictoria enim hæc esse in ordine ad creativam DEI potentiam non negabit Jesuita. Si fuerit prius non possibile, implicaret contradictionem futuritionem nanciscì; nam non possibile simpliciter, non est producibile à DEO. Ergo nunquam erat producendum, Ergo nec futurum fuit. Ergo possibile, in signo rationis, antequam esset futurum, possibile fuit, siquidem omne factibile est prius in *instante* rationis quam fiendum (si fingere licet vocabulum) omne creabile priusquam creandum, & omne producibile quam producendum. Nihil enim creandum, nihil producendum vel per omnipotentiam, nisi sit prius creabile & producibile. Et dent ingenia Jesuitica causam transitus aliam præter DEI voluntatem, cur ex mille mundis, mille creaturis aliis in ordine ad creativam DEI potentiam creabilibus & producibilibus (cum bonâ Grammaticorum veniâ sic loquendum est) solus & unicus hic mundus creandus in DEI decreto ab æterno fuerit, non alii, qui æquè fuerunt DEO creabiles & producibiles? nam cum nihil creatum sit in tempore, quod ante tempus in DEI decreto & sapiente intentione non fuerat creandum (nisi dixerimus creatas esse res

Transitus è statu possibilium ad statum futuri ab æterno solâ Dei voluntate demonstratur contra Fra. Annatum Jesuitam.

præter decretum & intentionem DEI, id eſt, fortuitò, quod ἀπίον eſt) omne creandum futuritionem nactum eſt à libero DEI decreto, alioqui, ſi non liberè DEUS decreverit creare hunc unicum mundum, & producere hunc liberum actum credendi, non actum qui ἀπιστίας infidelitatis ſubeſt, neque alios mundos millenos æquè creabiles in ordine ad Omnipotentiam creativam, tum, neceſſitate aliquâ extrinſecus ab objecto proveniente, adactus creavit hunc mundum, & decrevit eum creare: quod ſana Theologia non admittit; ad *Manæchiſmum* propius, quam par eſt, hoc accedit. At verò DEUM liberè decreviſſe creare hunc, non alium mundum, & producere hunc non alium contrarium actum liberum, cum alii mundi, & alii actus æquè ſint DEO producibiles, nihil aliud eſt quam hunc mundum creandum & futuram creationem nanciſci à DEI libero decreto, cum fuerit tantum creabilis & producibilis: hic autem eſt tranſitus à poſſibili ad ſtatum futuri, per DEI decretum; nam nihil hunc mundum è multis creabilibus fecit creandum & futurum, eumque ab omnibus aliis ſeparavit, & actualem creationem evexit præter ſolum DEI decretum. Provocamus Jeſuitas ad aliam cauſam declarandam quæ ab æterno fuerit.

2. Cum vaticinia & prædictiones DEI & Prophetarum exhibeant nobis multa futura, eaque contingenter, qualia ſunt quæ liberè in tempore eveniunt, ut Generatio CHRISTI ex ſemine Davidico, gratioſa Gentium per Apoſtolos & alios Paſtores vocatio, libertima vocatorum obedientia, *Joſiæ* actus juſtitiæ ante natum Regem, invocatio & preces Sanctorum, fides & obedientia eorum qui ſeneſcente mundo θεοδιδακτοι erunt, Martyrum DEI patientia, conſtantia & fides, hæc omnia gratiæ DEI opera, vel erant ab æterno tantum poſſibilia, nunquam futura, vel prius in *inſtante* rationis poſſibilia, quam futura. Si tantum poſſibilia fuerunt, ab æterno, & nunquam futura, tum neque præſciri à DEO, neque à Prophetis prædici potuerunt; quicquid enim præſcitur, quicquid prædicitur, id determinatum & determinatæ veritatis ſit, oportet, naturæ lumine notum. Quomodo enim obedientia Gentium prædicitur infallibiliter futura, ſi ſit tantum poſſibilis, & non obedientia æquè determinata atque certa eſt, quam illa? Deinde omnia hæc certò eveniunt. Ergo futura erant, quia quicquid eſt in tempore præſens, fuit ab æterno futurum, ſicut omne temporarium

quod

quod est jam præteritum, fuit semel præsens. Et cum futura fuerint, etiam simpliciter possibilia fuerint, necesse est, quia simpliciter non possibile nunquam est futurum, nunquam præsens. Si ergo hæc possibilia & futura simul fuerunt, quis ab æterno illa possibilia ad statum futuri provexit, nisi is qui futura facit etiam præsentia, & *omnia juxta consilium suæ voluntatis operatur*? audiant *Jesuitæ*.

Quid transitus e statu possibilium ad statum futuri proprie significet.

3. Transitus hic possibilium ad statum futuri nobis nihil aliud est quam DEI decretum, quo ex multis possibilibus constituit apud se ab æterno hoc futurum, non illud, hunc mundum, non illum æquè possibilem, hunc actum, non illum, hunc eventum contingentem, non illum. Puta non fractionem ossium CHRISTI, non autem fractionem ossium ipsius, quæ est æquè possibilis atqui latronum ossium fractio est, si causarum contingentium naturam spectemus. Qui igitur talem transitum negant, æterna DEI decreta negant, & revera eo inclinant *Jesuitæ* & *Arminiani*, ut negent omnia statuta & decreta quibus DEUS omnia ad unum determinavit, & omnia ab æterno relinquunt statui possibilitatis, omnia possibilia volunt fuisse, nulla determinatè futura, & causam liberam definiunt, quæ positis omnibus ad agendum requisitis, (sive illa requisita sunt, DEUS, DEI scientia, decretum, motio gratiæ validissima, sive quælibet res alia) potest absolutè agere vel non agere. Quod est casui & fortunæ omnia committere, & providentiam gubernatricem rerum omnium DEI prorsus evertere. Inde est quod *Annatus* ait, *hic quæri cur verum potius, quam non verum quod Ceilitæ sint Davidem tradituri in manus Saulis, si David manserit, & Saul accesserit.* Et ait *causam esse Ceilitarum liberam voluntatem* separatam à DEI decreto, imo ante & citra omne DEI decretum aut determinationem divinæ voluntatis.

Ideo ait de *his futuris contingentibus non tam dicendum est, quod sint futura, quam quod essent, nec alio sensu quod transeant de conditione possibilis in conditionem futuri, quam quod transierint.*

Annatus *voluntatem creatam temporaneam insulsissime statuit causam æternæ futuritionis futurorum contingentium.*

Si præsens libera voluntas Ceilitarum adjuta concursu Dei, & accessu Saulis tentata, seu minis, seu precibus ac promissis, esset causa cur David traderetur in manus Saulis: & ab æterno verum est talem hypothesin fore talem causam: & sicut præsens hypothesis causat præsentem effectus liberi & contingentis determinationem: & absolutè futura eandem causabit: ita & conditionatè futura eandem causabit. Item. *Sicut modo verum*

rum est quod præsens hypothesis causat, & post seculum quod causaverit, imò & per totam æternitatem posteriorem: sta verum est quod similis hypothesis causabit absolutè & ante seculum & ab æterno id ipsum verum fuit: pariterq; verum est quod eadem hypothesis id ipsum causaret, ioq; per omne tempus præteritum, præsens, futurum. Neque inveniet unquam Adversarius quod opponat huic doctrinæ, quantumvis excutiat sese.

Respondeo 1. Mera est logomachia quam excitat *Annatus* dum distinguit inter *futura sunt*, & *futura essent*, inter *transeunt* & *transirent*: Nam verba subjunctivi modi in indicativum a Grammaticam sciente facile vertuntur. Ego enim suppono (quod facile disputandi gratiâ supponi potest, & supponitur à Jesuita in hoc argumento præsente) præsens tempus, *Si huc venerit Saul, Ceilitæ jam tradunt Davidem in manus ipsius.* Est ergo futile distinguere inter (*tradunt*) & (*traderent*) quia etsi *sese excuteret* Jesuita, non inveniet plures temporis differentias quam *præsens, præteritum & futurum*; modi temporum, aut verbi, Indicativus, Imperativus, Optativus, Subjunctivus aut Infinitivus, modi tantum sunt, non differentiæ temporis. Ideoque verum fuit in *instante* Rationis ab æterno. DEUS hoc possibile, nempe, mundum possibilem decernit futurum, ita ut hic mundus creandus non sit in erè possibilis, sed revera futurus. Ita & hoc. *Ceilitæ tradunt Daviaem, si Saul jam veniat ad Ceilitas, & eos ad tradendum jam solicitet.* Nihil itaque respondet præter literulas & syllabas. Et invictum stat & inconcussum nostrum argumentum. *Keilitæ ab æterno erant tradituri Davidem in manus Saulis, si Saul ad eos venerit, & David manserit.* At nulla connexio, nulla veritas determinata erat in objecto nisi à DEI decreto. Nam ab ipsis terminis nulla erat determinata veritas, nulla ex vi terminorum; nam propositio vera, propositio falsa esse potuit, ex se, nulla fuit determinata connexio ex terminis, nulla veritas determinata fuit, ex DEI præscientia: quia Jesuitæ docent tales propositiones veritatem determinatam habere antecedenter ad præscientiam DEI. Nulla veritas determinata ex DEI essentiâ, nullâ ex DEI Omnipotentiâ fuit: quia essentia DEI non est causa rerum, nec veritatis, nisi quatenus accedat libera & sapientissima DEI voluntas ad essentiam aut Omnipotentiam creans liberè omnes res extra DEUM. Pari ratione nec præsens libera voluntas *Keilitarum* est causa determinans traditionis *Davidis*, sed qua determinata

terminata ad actum entitativum à DEO, & ab ejus æterno decreto. Ergo (ut retorqueam hoc telum in Jesuitam) ab æterno non fuit futura talis traditio nisi à DEI decreto futuritionem illam causante. Si itaque *Annatus adjumentum* physicę prædeterminationis quod decretum DEI absolutum & antecedens supponit, cum *D. Tuissa* intelligit & ponit pro causâ determinante *Keilitarum* liberam voluntatem ad tradendum *Davidem*, nostrum argumentum confirmat, non diluit. Nihil ergo falsius est hoc quod addit *Annatus, Dico ego pariter quemadmodum possibilitas causæ necessariæ, quæ est ab æterno, est sufficiens ratio & causa propter quam effectus necessarius est determinatè futurus, ita possibilitatem causæ liberæ, omniumq; necessariorum ad hoc ut liberè agat, quæ est etiam ab æterno, esse sufficientem rationem & causam* propter quam illius effectus liber, sit *determinatè futurus.* Et postea. *In hoc etiam perpetuo* (D. Tuissus) *videtur vim facere, quod suppositio ex quâ tam potest sequi effectus quam non sequi, quæ est suppositio causæ liberæ completæ, non possit esse ratio & causa cur sequuturus sit effectus potius quam non sequuturus.* — *At suppositio ex quâ perinde sequi ac non sequi effectus potest, si involvat vim determinativam & determinantem alterum ex illis, non potest esse ratio aut causa cur unum sit futurum potius quam aliud, nego: Si talem vim involvat, esto. Ut patet in libertate DEI quæ idonea est causa seu ratio cur dicatur esse volitio producendi mundi, quamvis eâdem positâ perinde potuerit esse illius rei nolitio.*

Respondeo. Licet hic nihil sit novi quod à *Suarezio* & ab aliis *Jesuitis* centies inculcatum non sit: tamē alibi, & postea, probo omnem causam, tum necessariam, tum contingentem, determinari quoad exercitium à solo DEO. patet ex *Jobi* capitibus, 38, 39. *Psal.* 104. *Psal.* 107. *Psal.* 75. 8, 9, 10. Qui enim signat Solem & Stellas ut non oriantur, & ventis imperat ut flent, aut non flent, & pluviis, grandini, nivi, nubibus, Cœlo, avibus, piscibus, hominibus & nullis non creaturis mandat ut operentur, vel non operentur, sic vel secus operentur, habetque supremum in omnes creaturarum operationes dominium ut eas fieri vel non fieri pro providentiæ suæ ordinariæ imperio & nutu, is procul dubio causas omnes necessarias & contingentes determinat. Solus enim is qui determinat causas ut operentur vel non operentur est DOMINUS supremus omnium

Omnes causæ à Deo determinantur.

operationum creaturarum. At posterius facit solus Deus secundum Scripturas.

Possibilitas nullius causa potest esse causa futuritionis rei.

2. Possibilitas nullius rei potest esse causa, *multò minus sufficiens ratio & causa* propter quam res est determinatè futura. 1. Quia milleni alii mundi, arbores, Soles, Stellæ, bruta animantia, pisces, aves, Angeli, homines sunt possibilia, & poterant creari aliæ species rerum, at hæc nunquam sunt futura, nunquam determinatè futura. Sic enim daretur tam sufficiens ratio & causa propter quam ea quæ in tempore eveniunt, erant futura, quam ea quæ nunquam evenient, neque unquam sunt futura. 2. Si detur formalis ratio omnium futurorum, tum omnia sunt futura. Futura enim futura sunt in suis causis formalibus: at si possibilia, quia possibilia, sunt futura, omnia quæ non involvunt contradictionem, cum sint possibilia in ordine ad creativam Dei potentiam, erunt determinatè futura. Quis Jesuitis revelavit talem philosophiam, determinatè futura esse millenos alios mundos, millenas Myriades plures specierum, animantium, piscium, avium, reptilium, Angelorum, Hominum, mundum à posteriore æternum, liberationem Christi à morte crucis missis à Deo Patre plusquam duodecim legionibus Angelorum, creationem filiorum *Abrahamo* ex lapidibus vice eorum qui audiebant *Joan. Baptistam* concionantem. Hæc enim omnia & infinita id genus alia, tum ratio, tum sacra Scriptura evincit esse possibilia. Ergo sunt determinatè futura: at conclusio absurdissima. 3. Quæ possunt nunquam evenire, illa non sunt futura; pleraque possibilia possunt nunquam evenire. Ergo, *&c.* Ratio Majoris, quia futura non essent futura, si essent non eventura: at si possunt non evenire, essent nunquam eventura in multis casibus, & sic futura & non futura. 4. Credendum foret Dei promissionibus, comminationibus, prædictionibus: non quia determinatè futura sunt quæ Deus promittit, comminatur: sed quia possibilia sunt. At verò sic credendum promissis permultis à Diabolo & hominibus falsis, quæ nihil aliud sunt, quam splendida mendacia, & tamen permulta talia sunt possibilia, ut *Adam non moriretur. Achab victoriam de Syriis adeptus vivus revertetur à prælio ad Ramoth-Gilead.* Hæc enim possibilia sunt, sed nunquam futura. 5. De possibilibus nihil certi credendum; illa enim possunt evenire & possunt non evenire, at futuris contingentibus, quæ Deus prædicit,

prædicit, credendum est certitudine fidei. Illa ergo futura à DEO prædicta longe aliud sunt quam possibilia. At stante hac opinione, quæ ab æterno fuerunt futura, nihil aliud fuerunt quam quæ sunt ab æterno possibilia. 6. Quæcunque futura sunt, ea DEUS liberè creavit propter se suamque voluntatem & gloriam, *Prov.* 16 4. *Rom.* 11. 36, 37. *Apo.* 4 v. 11. *Et qui agit omnia secundum consilium voluntatis suæ*, ut ait *Paulus*, *Ephes.* 1. 11. Decrevit ab æterno omnia quæ præsentia & præterita sunt, futura esse, ac proinde futura non sunt futura antecedenter & citra omne decretum quod causatur futura, At verò omnia possibilia habent esse ante omne liberum decretum, aut liberam efficientiam DEI: nam possibile formaliter id est, quod non repugnat esse, vel quod potest esse; at omne possibile est tale quod potest esse citra omne DEI decretum. Neque DEUS propriè efficit possibile: quia non potest non possibile esse tale in ordine ad potentiam DEI creativam & productivam, nec potest DEUS liberè decernere mundum esse possibilem, aut Angelum, Hominem, rosam, plantam, aut creaturas esse producibiles: quia non possunt non esse producibiles. At quicquid DEUS futurum esse liberè decernit, potest DEUS liberè decernere id non futurum esse. Ignorantiam itaque supinam prodit Jesuita cum suis, evertendo principia sanioris Philosophiæ ἀμεταπτώτα, cum tuetur novam & ante hæc inauditam scientiam hanc mediam.

Nec aliud facit Jesuita quam principium petit, dum contendit *causam liberam esse causam cur futurus potiùs sit effectus liber, quam cur non futurus sit*, eo quod habeat vim ad sese determinandum, & dominium in suos actus, ut paulò ante dixit; Nam 1. omnes causæ etiam tali vi determinativâ & dominio destitutæ, ex *Annato, eo quod possibiles sunt, sunt causæ cur res determinatè sint futuræ*, id nos non ita pridem docuit *Annatus*. 2. Falsum est causam liberam creatam sese ad agendum determinare, aut tali in suos actus dominio pollere; Nam solus DEUS voluntates liberas ad agendum flectit & determinat. Alioqui frustra oro, ut flectat voluntatem meam ad liberam obedientiam DEO præstandam, uti est, *Psal.* 119. centies, & ubique fere Scripturarum, si non sit penes DEUM, sed liberam meam voluntatem ut in hac oratione exaudiar. 3. Frustra DEO gratias gloriamque obedientiæ, potius quam inobedientiæ reddam. 4. Frustra fiduciam & spem gratiosè operandi in me

obedientiam & obſequium, & tentationi minimè ſuccumbendi honorem Deo deberem, ſi Dei non ſit ſolius ut determinantis, cur potiùs obediam Deo, quam non obediam. 5. Si conſtet homuncioni dominium tale in nolle obedire, potius quam velle, etſi Deus velle ſeſe effecturum promittat, & Scriptura dicat Deum poſſe ſiſtere homines inculpatos coram Christo (quæ procul dubiò gratiæ ſalvificæ eſt potentia validiſſima, *Jud. v.* 24. *Rom.* 11. 33. *c.* 14. 4. *Col.* 1. 28, 29. *Epheſ.* 1. 19, 20. *Joan.* 2. 14. *c.* 4. 4.) ſpoliatur Deus omni fidelitate & veracitate in Euangelii & Novi Fœderis promiſſionibus, & omni dominio in actus liberos: quoniam Deus ad liberam obedientiam nullius hominis, nullius Angeli, ſtante ſcientiâ mediâ Jeſuiticâ, voluntatem liberam omni ſuâ potentiâ, aut imperio adhibito flectere poteſt. En fragile & cariosum fulcrum, cui innititur commentum novæ hujuſce ſcientiæ, nempe, niſi corruat providentia Dei, illa non ſtat. 3. Non eſt par ratio divinæ & increatæ libertatis, & creatæ, mutabilis, & lubricæ creaturæ libertatis: Nam potentialitas nulla eſt admixta Dei libertati, eſt purus actus ſeſe determinans ab intrinſecâ ſapientiâ quam eſſentialiter involvit, at creatæ libertati & omni cauſæ ſecundæ concreta eſt potentialitas, neque tale dominium in ſuos actus obtinere poteſt (quæ creaturæ debilitas eſt) quo ſeſe plene actuare, multo minus determinare poteſt. Nulla ergo eſt conſequentia hæc. Libera Dei voluntas eſt cauſa determinans poſſibilem effectum ad futuritionem. Ergo voluntas creata ab æterno cauſatur futuritionem.

Annatus multis futiliter ex *Suarezio* clam ſurreptis, *c.* 3. *dif.* 1. *n.* 22, 23, 24, 25. contendit, decretum Dei, quo ſtatuit permittere traditionem *Davidis* in manus *Saulis*, ſi *David* manſerit in urbe *Ceilâ*, & *Saul* acceſſerit, eſſe decretum conditionatum propriè dictum; quoniam objectum eſt conditionatum. At negamus nos Sequelam. nullum in Deo eſt decretum quoad actum volendi aut decernendi ſuſpenſum, & non completum & fixum. Nullum vero conditionatum ob incertam à creaturâ ponendam conditionem: quia in hominem ignarum tale decretum cadit, non in Deum Omniſcium. Deus habet decretum in ſe abſolutum circa objectum quidem conditionatum. Iterum dico. Omnia Dei decreta formaliter & in ſe eſſe abſoluta. etiam illa quæ ex parte objecti conditionata ſunt, quia & conditio & conditionatum pendent immutabiliter

Quatenus Dei decretum non eſt conditionatum.

mutabiliter à DEO, vel quoad efficacem permissionem, ut in peccatis fit, vel efficacem effectionem, ut in bonis & adiaphoris. DEUS absoluto suo decreto concatenavit, *Davidis* in *Sauli* manus traditionem à *Keilitis*, si manserit *David* in *Keilâ*. Et nunquam decrevit, vel traditionem ipsam, vel permansionem *Davidis*: Connexio tamen erat decreta & futura; & plurimas connexiones DEUS absolutè decrevit, & ideo scivit, quia decrevit; non decrevit, quia scivit, ut Jesuitæ omnia turbantes, docent. Et tamen harum connexionum nunquam futura esse extrema ipsa cõnexa decrevit DEUS.

Deus decrevit multas connexiones hypotheticas quarum extrema connexa nunquam decrevit.

Respondet post Magistrum suum *Suarezium Annatus* per paginas multas. *Inde sequi futura hominum peccata esse volita à Deo, si prædefinita sunt*, quæ consequentia, licet nulla, quoniam Jesuitica est, probabit visionem signorum in *Tyriis*, attentam Verbi DEI lectionem in Eunucho, sedulam auditionem in *Lydiâ* & usum pium mediorum fidei in conversis ad DEUM, à DEO nec prædefinita nec volita, sed fieri omnes istos bonos & laudabiles actus liberos antecedenter ad omnem actum divinæ voluntatis, & scientiæ mediæ objecta esse quæ DEO invito, & in signo & instante rationis nondum sciente, nondum volente, aut decernente talia futura, tamen determinatam futuritionem habere: nam argumentum à prædefinitione DEI evertente libertatem creatam (in quod resolvitur presens argumentum) est æquè validum in bonis ac malis actibus. Nec objiciat quispiam homo prudens nunquam decerneret connexionem conditionatam rerum, quum ipsæ res connexæ nunquam futuræ sint, neque decretæ: Nam cui usui, cui fini inserviret talis connexio, aut tale decretum? cur *Deus* decrevit *resipiscentiam Tyriorum, si viderint miracula* Cum absolutè decreverit negare gratiam salvificam resipiscendi *Tyriis*, & Euangelii prædicationem, & omnia talia *miraculis*, quibus datis resipuissent?

Annat. de mediâ scientiâ disp. 1. c. 3. n. 30, 31.

Respondeo. Non statuenda est humana prudentia tanquam regula inscrutabilis divinæ dispensationis. Ideoque finem talis decreti non dicimus inutilem aut nullum, cum inserviat ostendendæ supremæ & independenti DEI libertati in *Tyrios* & in alios, Quod ait *Augustinus*. *Hæc autem prædestinatio Sanctorum nihil aliud est quam præscientia, scilicet, & præparatio beneficiorum DEI, quibus certissime liberantur, quicunq; liberantur. Cæteri autem ubi nisi in massâ perditionis justo DEI judicio relinquuntur? ubi Tyrii relicti sunt & Sydonij: qui etiam credere potuerunt, si mira illa* CHRISTI *signa vidissent.*

De dono perseverantiæ, c. 14.

sent. Sed quoniam ut crederent, non erat iis datum, etiam unde crederent, est negatum. 2. Argumentum censurâ notat Dei sapientiam, qui decrevit vitam æternam dare omnibus legem implentibus. At nec impletio legis, nec vita data omnibus, unquam existunt. Nos autem dicimus posse tale fuisse in Deo decretum absolutum. *Ego absolutè volo & decerno Tyrii resipiscentiam, utpote, flexibilioribus Euangelio & minus obstinatis, quam sunt Capernaitæ, si quidem signa vidissent.* Attamen hanc resipiscentiam Deus ne quidem præcivit, nisi in decreto dandi resipiscentiam. Est enim resipiscentia Dei donum.

Ad locum, Math. 11. 21. de Tyriis responsio nostra vindicata à glossematis.

Respondet 1. *Annatus. Non poterat futura esse Tyriorum Resipiscentia nisi ex DEI dono, & decreto præsenti & existente actu & absolutè, nego, ex dono & decreto possibili & ponendo pro DEI libertate, concedo. Jam enim sæpè dictum, futurum absolutè, postulare causam vel existentem absolutè vel futuram: futurum autem conditionatè postulare tantum causam aut possibilem aut conditionatè futuram, at ex illius hypothesi futurum affirmetur.*

Annati dis. 1. c 3. q. 2. num. 49. *Omne futurum actu est ei decreto Dei actuali non possibili tantum.*

Respondeo 1. Quod est determinatum, & non possibili & modo ad utrumlibet absolutè indifferente futurum, & determinatè futurum, & fixum & indeclinabile divinæ præscientiæ infallibilis fundamentum, cujusmodi est *Tyriorum* Resipiscentia præstita & prædicta à Christo, licet sit conditionatè futura, habet causam non merè possibilem & ad utrumque indifferentem, sed actualem. Et eo modo quo præscitur, habet causam in quâ præscitur; at *Tyriorum* resipiscentia præscitur futura & ut habens actualem connexionem & concatenationem cum visis signis & audito Euangelio. Ergo posita est actualis causa illius connexionis infallibiliter præscitæ, & postulat causam actu: Nam supponit *Annatus* objectum scientiæ mediæ esse ens possibiliter tantum futurum: quoniam est conditionatè futurum: at hæc nulla est ratio, nam *Tyriorum* Resipiscentia est conditionatè futura, non tamen futura possibiliter tantum: ut futura sit vel non futura, sic enim non terminaret infallibilem Dei scientiam: sed est determinatè futura, id est, habet connexionem determinatam cum visione signorum; nam infallibiliter, actu & determinatè verum est quod Christus prædicit. At *Tyriorum* Resipiscentia cohæret cum visis signis determinatè & infallibiliter, vel ex naturâ rei, vel aliquâ actuali causâ istâ extremâ

mâ connectente. At ex naturâ rei non coherent determinatè, quia visio signorum non determinat, nec efficaciter suadet Resipiscentiam: at actualis connexionis datur actualis & posita, non possibilis & ponenda causa; at præter DEI decretum non est imaginabilis alia causa. Argumentor hic de *Tyriorum* Resipiscentiâ, juxta Jesuitarum glossam, à quâ me recedere profiteor.

2. Addit *Amatus. Neq; tamen id ita intelligo, ut in hypothesi ex quâ dicitur aliquid futurum conditionatè, involvi putem decretum prædefiniens id quod sequuturum dicitur.* Tam vera fuit ab æterno conditionalis illa, *Si proponatur Judæis Euangelium confirmatum miraculis, cum prædefinitione pœnitentiæ ipsorum futura est pœnitentia Judæorum*, quam hæc alia, *Si proponatur similiter Tyriis idem Euangelium sic signis confirmatum cum simili prædifinitione pœniteutiæ, futura est pœnitentia Tyriorum.* Unde ut non sit futurum in *Judæis* quod dicitur futurum in *Tyriis*, necessarium est, ut hypothesis, ex cujus conditione dicitur aliquid futurum non involvat decretum aliquod prædefiniens id quod futurum est.

Respondeo Concedo totum antecedens: Nam posito gratioso decreto prædefiniente, & gratiâ efficace, una cum Euangelio eâdem horâ, tam *Judæi* quam *Tyrii* resipuissent, nec effugere possunt hoc Jesuitæ, si supponamus & *Judæos* & *Tyrios* subesse eidem decreto congruo, & eidem motioni congruæ, uti supponunt contra nos, utrosque eidem prædefinitioni absolutæ subesse. Tam certo futura est pœnitentia *Judæorum* quam *Tyriorum*. Illis ergo incumbit solutio hujus argumenti, si quid nervorum habet, non minus quam nobis. 2. Nego Consequentiam. CHRISTI scopus non est docere aliquid de absconditis DEI decretis, reprobationis aut electionis: sed pro confesso Salvator noster sumit talia esse decreta; hoc autem loco intendit tantum exprobrare *Judæis* habitualem, sed longe majorem & obstinatiorem duritiem *Capernaitarum & Judæorum* quam *Tyriorum*. Et quamvis verum sit, tum *Judæos*, tum *Tyrios* æqualiter pœnitentiam acturos, si utrique prædestinationi gratiosæ, & efficaci motioni salvificæ gratiæ simul subessent, ex textu tamen optimè concluditur *Tyrios* flexibiliores & minus rebelles erga media externa quam fuerunt *Judæi*: & toto hoc argumento concluditur tantum decretum DEI absolutum non esse causam tam gravis expostulationis & increpationis; nos enim

minimè

minimè excludimus habitualem gratiam infundendam quæ ſit expulſiva nativæ duritiei cordis; quin dicimus concedendum totum, & tamen non inde conficitur, *Non futurum eſſe in Judæis, quod futurum in Tyriis.* Non dicit Salvator *Tyrios* ſimpliciter acturos pœnitentiam, ſed comparativè loquitur; potiùs, citius, & faciliùs egiſſent pœnitentiam, quam *Iudei* lapidei & obſtinati, ut *Ezech* 3.6. *Non ad multos populos peregrini ſermonis & difficilis linguæ, quorum verba non potes intelligere, te mitto. Certè ſi ad eos te miſiſſem, tibi auſcultaſſent.* Senſus eſt, potiùs audiviſſent Barbaræ nationes DEUM loquentem in Prophetis, quam rebellis hæc domus *Iſraelis*; at tamen minimè ſequitur, eos ignotos & ſtupidos homines ſoli externæ prædicationi *Ezechielis* (nihil enim hic expreſſè de decreto prædefiniente & ſalvificâ gratiâ actu influente, ex *Ieſuitarum* placitis) auſcultaturos & obedituros. Nam ex antecedente comparativo nullâ arte logicæ infertur concluſio ſimpliciter & poſitivè affirmata.

Senſus loci, Math. 11. 21. *Væ tibi* Chorazin, &c.

At dicunt Jeſuitæ. *Poſitâ prædefiniente decreto & motione efficace gratiæ quæ omnipotente vi expellit duritiem & Iudæorum & Tyriorum, falſa erit concluſio: quia æquali facilitate gratia phyſicè prædeterminans, cum ſit Electorum propria & ſecundum decretum Electionis irreſiſtibile & invincibile applicata expellit duritiem tam in Iudæis quam in Tyriis; Nam nihil facilius aut difficilius eſt Omnipotenti DEI gratiæ invincibiliter operanti & omnes ſuos effectus gratioſos in omnibus producente.*

Reſpondeo 1. Concedimus nihil facilius, nihil difficilius Omnipotentiæ, aut decreto prædefinienti armato Omnipotente vi. At nihil hic Salvator de decreto DEI, nihil de Omnipotente vi gratiæ habet, per conſequentiam poteſt erui vi ex textu quolibet, aliquid præter ſcopum illius textus. CHRISTUS hic tantum increpat *Iudæos* tanquam obſtinatiores & magis indociles & pervicaciores in media ſalutis, quam fuiſſent *Tyrii*, ſi Domino viſum fuiſſet Euangelium ipſis indulſiſſe. Neque irreſiſtibilitas decreti DEI aut ſalvificæ gratiæ quicquam facit contra gradus habitualis contumaciæ in Euangelii & miſericordiæ in CHRISTO propoſitionem aut oblationem. Non ergo ſequitur decretum prædeterminans Omnipotentiâ armatum æquâ facilitate convertit *Iudæos* atqui *Tyrios*. Ergo Salvator noſter ſtante hoc Antecedente, non jure expoſtulat & arguit *Iudæos* duritiæ contumaciæ in Euangelium, quam *Tyrios*

Nam

Nam sic, quoniam nihil est difficile JEHOVÆ, *Gen.* 18. 14. non essent quidam effectus in habitudine ad causas secundas & media providentiæ divinæ, cujusmodi sunt prophetia, & Evangelii prædicatio, & *Abrahamum & Saram* jam senio confectos generare filium, difficiliores, quidam faciliores, & magis in proclivi causis & mediis ordinariis divinæ providentiæ. Quod constat falsissimum esse.

Annatus de scientiâ mediâ dis. 2. c. 3. n. 51, 52.

Object. hæc *antecedenter ad DEI decretum*, Si Tyrii viderint signa, pœnitentiam acturi sunt. Et hæc. Si Tyrii viderint signa, non sunt acturi pœnitentiam, *reipsâ & in objectis differunt, & non nostro concipiendi modo.* Item sic *Annatus. Quæro utrum illud judicium*, Si incideret Domitianus in Matronam honestam, concupisceret, *sit verum præ isto alio*, Si incideret, non concupisceret. *Aut*, Si incideret, sibi & suo appetitui temperaret. *Si sit verum præ isto. Ergo futuritio hæc concupiscentiæ hypothetica, differt à re purè possibili; Nam ut non concupiscat, vel ut sibi temperet, est purè possibile: ut autem concupiscat aliquid aliud insuper est, postquam dicitur præ illo verum. Quod non est præ illo verum. Ergo est simpliciter falsum. Quia quod non est magis verum quam id quod est simpliciter falsum, est ipsum quoque simpliciter falsum; futura illa hypothetice* concupiscentia Domitiani, *non est magis vera, quam futura ejusdem temperantia, quæ supponi potest in hoc casu simpliciter falsa*, &c. *Jam vero quotiescunq; asseritur aliquid quod non ita est, ut asseritur, falsa est assertio: atqui asseritur hypothetice futura* Domitiani concupiscentia, *quæ reverâ ita futura non est. Ergo falsa est assertio illa: alioqui contradictoria, inter quæ nullum est medium, erunt simul vera, vel simul falsa. Vel non erit discrimen inter hæc duo, fore ut* concupiscat, *fore ut* non concupiscat. *Neq; dicas alterum esse probabile, alterum non esse, quia non enunciatur probabilitas, ut suppono, sed futuritio ipsa: quæ cum non magis sit in uno quam in alio, consequenter res enunciata utrobiq; erit eadem, & contradictoria conciliabuntur.*

Qualis veritas in re competat futuris conditionatis antecedenter ad Dei decretum.

Respondeo hæc duo, *Si Tyrii viderint signa, resipiscent. Si Tyrii viderint signa, non resipiscent*, antecedenter ad DEI decretum actu connectens attributum cum subjecto, nempe, resipiscentiam cum visione signorum, (nam alioqui possibiliter & merè contingenter inter se cohærent, fatentibus Jesuitis) sunt, quoad sensum & veram connexionem terminorum, vera vel falsa possibiliter tantum, non actu, non determinatè: Nam sensus hujus ante omne

DEI decretum, *Si Tyrii viderint signa, resipiscent*, est, *Si Tyrii viderint signa, possibiliter resipiscent, vel fieri potest ut resipiscant.* Et est verum enunciatum, & ejus contradicens est, *Si Tyrii viderint signa, non possibiliter resipiscent, vel non fieri potest ut resipiscant.* Estque hoc posterius effatum falsum. Nam ad eruendum sensum quarundam propositionum antecedenter ad DEI decretum, convertendæ sunt in propositiones modales. Itaque habe responsionem, Jesuita, & dilue (si poteris) Istud judicium est verum, *si incideret Domitianus in Matronam, concupisceret.* Sed est verum, eo modo quo objectum, seu res ipsa in se vera est, nempe, intellectus fert judicium hoc, *quod possibiliter concupiscat Domitianus, vel posse fieri ut concupiscat Domitianus, si inciderit in Matronam.* Et intellectus judicat contradicentem enunciationem esse falsam. Et sic nego id quod tu infers. *Ergo futuritio concupiscentiæ hypothetica differt à re purè possibili.* Hæc enim concupiscentia hypothetica ante omne DEI decretum permissivum peccati aut illiciti desiderii, est purè possibilis, nihil habens de futuritione actuali; nam futuritio purè possibilis, tam non futuritio actu est, quam futuritio actu. 2. Infers *si hoc judicium non est præ illo verum*: eo modo quo à me expositum est, & quoad veritatem, qualis competit objecto, possibilem. *Ergo* (inquis) *est simpliciter falsum.* Si negetur modus, vel possibilitas concupiscentiæ, valeat totum; nam falsum est hoc, *non est possibile ut concupiscat Domitianus, si inciderit in Matronam.* Etiam ante decretum omne, hæc modalis est falsa, & affirmans vera, quæ ei contradicit. Si hoc judicium non est præ illo verum determinatè & quoad veram & realem futuritionem, benè sequitur, Ergo est falsum, nempe, determinatè & quoad realem futuritionem: quia ante DEI decretum permissivum, falsa est hæc, *Si Domitianus inciderit in matronam, determinatè futurum est ut concupiscat.* At verò hæc est vera ante omne decretum DEI: *Si Nero inciderit in eum à quo se læsum putaret, possibile est ut ad mortem duci talem juberet:* Sed nec est necessarium ante omne decretum, nec determinatè futurum: sed res ipsa est purè possibilis. Et verum est quod ait *Annatus*, nempe, *futura illa hypothetica concupiscentia Domitiani, non est magis vera*, quoad realem futuritionem & determinatam, quæ terminat infallibilem præscientiam ante decretum DEI, *quam futura ejusdem temperantia quæ supponi potest in hoc casu simpliciter falsa.* Sed ante

decretum

decretum,& *concupiscentia Domitiani*, & temperantia, sunt contenta intra cancellos, limitesque rerum purè possibilium. 3. Addis. *Jam vero quotiescunq; asseritur aliquid quod non est ita ut asseritur, falsa est assertio.* Verum est. Atqui *Tyriorum resipiscentia, si viderint signa*, asseritur, à te & à tuis, antecedenter ad DEI decretum, ut determinatè futura: imò ut necessariò futura, ut infallibiliter à DEO præscita: sed asseritur à vobis *quod non est* ita ut asseritur; Nam talis resipiscentia, si viderint *Tyrii* signa, ante decretum DEI est nunquam futura, nedum necessariò futura, non infallibiliter à DEO præscitur futura, nisi ut possibilis, hoc est ita futura, ut possit nunquam esse præsens, nunquam futura. At dicunt Jesuitæ CHRISTUM prædicere *Tyrios* acturos pœnitentiam,si signa vidissent. Ergo CHRISTUS id præscivit. Concedimus totum, & nos idem docemus cum Scripturâ; Sed ubi legistis, Jesuitæ, DEUM præscire futura contingentia antecedenter ad omne DEI decretum? hoc est, Quis ante vos docuit DEUM præscire quæ sunt purè possibilia esse determinatè futura? id est, ea quæ possunt nunquam esse præsentia, obtuitui Jesuitico esse futura: non scibilia scitis, non visibilia videtis, altum sapitis. 4. Nec sequitur, *fore ut Domitianus concupiscat, fore ut non concupiscat, esse simul vera aut esse idem.* Sed tantum *possibile esse ut concupiscat, possibile esse ut non concupiscat.* Quæ Logicorum nemo contradictoria diceret. 5. Neque dico *alterum esse probabile, alterum non.* Sed utrumque possibile ante decretum,neutrum futurum.

Sed redit ad insaniam *Annatus*, disp. 1. c. 3. q. 3. n. 63.

Quamvis enim quærenti (inquit) *non esse sibi datam gratiam respondere possent* (peccatores *tuâ libertate factum est, ut esset tantum sufficiens: futura erat efficax, si alius fuisset futurus tuæ libertatis usus. Possunt tamen instare, sicut sunt quædam gratiæ, quas ego pro meâ libertate inutiles reddo; ita sunt etiam quas utiles efficerem; & sicut sunt aliquæ quas isti Electi reddunt efficaces, ita non desunt quas effectu frustrarent, perinde ac ego: Quare igitur in eo mihi præferuntur, quod ea rerum dispositio quæ præsciebatur illis quidem salutaris futura mihi autem inutilis constituta sit potius quam illa, quæ præsciebatur vel utriusq; salutaris, vel utriusq; inutilis, vel illis inutilis, mihi autem salutaris e hoc autem idem est ac quærere, cur ex eâdem massâ fiat hoc vas in honorem, illud in contumeliam, potius quam è converso. Ad quam difficulta-*

tem quid respondeant, qui scientiam mediam tuentur, nihil habent, præter hoc unum, adoranda, scilicet, divina sapientiæ consilia, & O altitudo divitiarum! & tu quis es qui respondeas DEO? & an non liceat mihi quod volo facere?

Locus relinquitur nullus expostulationi cum Deo per nostram sententiam de decretis absolutis, & misera in fatalem providentiam, seu potius fortuitam erit querela damnatorum, stante scientiâ media.

Reſ. 1. Hic ſeſe manifeſtat inſcrutabile myſterium Jeſuiticum, quod quomodo DEO aſcribant, diſquirendum.

1. Unde ſi peccatores per hoc myſterium reſpondere poſſunt DEO, *tuâ libertate* (O DEUS) *factum ut eſſet gratia tantum ſufficiens, non efficax*, id eſt, DEO imputandum & ejus ſupremæ libertati, quod ego culpabiliter reſpuerim gratiam, & DEO vocanti non paruerim. Cur ergo vitio vertit nobis DEUS, increpando, minando, puniendo, quod ſibi imputandum eſt? Cur accuſatur *Calvinus* quaſi DEUM Authorem peccati & gratiæ DEI fruſtra receptæ ſtatueret, cum Jeſuitæ idem ſtatuant? Ita *Annatus* paulò ſupra. *Atque huic* (inquit) *ſecundæ interrogationi ſimilis eſt querela illa, quam poſſet Tyrius formare, ſi diceret cum haberes* (O DEUS) *præ manibus eam hypotheſin, ex quâ ſequuturum videbas meam pœnitentiam, quare non illam poſuiſti? cui ſimiliter diceretur tu quis es? nempe, hic debet ſubmittere faſces humana temeritas, & pati, uti ejus rei cauſam & habeat DEUS ſolus & ſciat.* Sed an non ſic nolint, velint, cogantur fateri Jeſuitæ DEUM poſſe vocare homines in eo rerum ordine quo præſcit eos ad cruciatus Tartareos, & catenas tenebrarum longè graviores ferendas minimè parituros, & non vocare, neque ad credendum interne movere & corda pulſare in eo ordine quo præſcit eos DEO vocanti & pulſanti obedituros, idque nullâ miſellorum homuncionum, præ aliis, culpâ, ſolâ inſcrutabili ſupremi figuli libertate? At quo fine? dicite Jeſuitæ; conſcientias, ſi quas ferro candenti non exultas, non cauteriatas habetis, appello, inſidiatur DEUS hoc modo inobedientiæ, & retia ſtruit cruciatibus dilecti populi *Judæorum* longè intollerabilioribus quàm perpeſſuri ſunt, vel *Tyrii* vel *Sodomitæ*? an ad declarationem gloriæ juſtitiæ? nam eum finem aſſequitur, ſed nunquam intendit, ſi vobis credendum. An voluntate conditionatâ quæ pendeat à malis hominum meritis, ſic vocat? At hoc non eſt myſterium. Quid opus igitur hoc pio reſponſio, *Tu quis es? aut numquid poteſt figulus?* An vero tam inſidioſâ vocationis gratiâ & crudeli (abſint blaſphemiæ) favore vocet voluntate planè abſolutâ, ut patefaciat inſcrutabilem libertatem & gloriam

Juſtitiæ

Justitiæ in his, Misericordiæ in illis? Quin igitur, Jesuitæ, *Calvinum* nostrum in hoc puncto virum *Apostolicum* exosculamini? 2. *Instare possunt, sicut sunt quædam gratiæ quas ego pro meâ libertate inutiles reddo, ita sunt etiam quas utiles efficerem.* Hinc satis liquido constat omnes mortales habere in suâ potestate quod vocationis gratia sit finaliter efficax, & omnes mortales in æternum salventur, vel finaliter inefficax, & omnes mortales in æternum pereant. At quodnam hic mysterium supremæ & adorandæ libertatis figuli? totum mysterii fundamentum revolvitur in liberum arbitrium creaturæ, Nam omnium gratiarum par ratio est quoad efficaciam aut inefficaciam gratiæ conversionis aut perseverantiæ procurandam per gnavum aut ignavum liberi arbitrii usum, secundum Theologiam Jesuitarum. 3. Causa nulla est patronis scientiæ mediæ præter altitudinem inscrutabilis consilii DEI cur ea rerum dispositio constituta sit *Judæ* proditori, quæ præsciebatur à DEO inutilis futura, & ea *Petro* & Electis quę præsciebatur utilis & salutaris, cur non talis constituta sit omnibus mortalibus quæ præsciebatur salutaris, ut omnes salventur, vel omnibus inutilis, ut omnes & singuli in Tartareas Gehennæ flammas in æternum præcipitentur.

Secundum Jesuitarum placita, non est in DEO imaginabile liberum decretum de collocandis hominibus in tali rerum ordine quo possit ut supremus & absolutus Dominus & figulus de suo opere, prout ei libitum est disponere, cum omnes rerum ordines futuritionem habeant ante omne DEI decretum.

At 1. Quomodo DEUS serio vult, cupit, optat, desiderat, hortatur, mandat, orat, obtestatur, spe præmii, formidine pœnæ, promissis, minis filios suos ex naturali Philanthropiâ, & Catholico & ardenti salvandi omnes & singulos amore, nemine excepto, Cur allicit, terret, vocat, invitat, trahit & quidem sufficientissimè, interim nullâ vocatorum culpâ, præ aliis, ex puro puto arbitrio, ex absoluto, inconditionato, peremptorio, invincibili, & omnibus fatalissimo decreto modis, quando non obedituros præscit, & funem congruæ vocationis in foveam æternæ miseriæ detrusis per peccatum nunquam dimittit, nisi in eo ordine filiolis collocatis quo præscit eos alto somno oppressos, & surdâ aure reiecturos omnem talem vocationem omnibus partibus sufficientissimam, & eundem funem nunquam dimittit, ex eodem ineluctabili & adamantino consilio, iisdem quos tanto amore complecti, tam impensè charos se habere testatur, & in eâ dispositione sitis, quâ præscit ipsos in foveâ vigilantes, liberationem, quantum in se est, anhelantes, & illico parituros & ad finem DEO vocanti obedituros, si sic vocarentur? sed certè sic omnes DEI seriæ invitationes

quibus ſe ex viſceribus paternæ miſericordiæ velle & deſiderare ſalutem omnium teſtatur, & verbo dicit, erunt merè fucatæ hypocriſeis, & hiſtrionicæ & ludicræ amoris expreſſiones, cum nihil talis amoris ſit in DEO erga eos, quorum æterno exitio ſic inſidiari videtur, uti Jeſuitæ voluntatem ſigni & beneplaciti nobis exponunt. DEUS enim ſic reprobis loquitur, ut *Calviniſtas* DEUM effari malâ conſcientiâ fingunt *Jeſuitæ*, mutatis paulò mutandis. *Væ tibi, quia ego decrevi, ut ſi eædem congruæ vocationes alteri datæ & indultæ tibi miſello Tyrio, Pharaoni Tyranno, fuiſſent indultæ, converteretis & in æternum ſalvaretis, & ego abſoluto & tibi inſuperabili decreto, nullâ tuâ culpâ* (malo ergo fato ex Jeſuitis) *omnem talem vocationem tibi denegare, vigilantiſſimâ, quâ potui, ſolertiâ & providentiâ ſategi, quo in æternum perires, & exuſtularetis flammis longè vehementioribus, cruciatibus intoucrabilioribus, quam ſi ego ex propenſo meo erga obedientiam ac ſalutem tuam amore, illas vocationes minus congruas & tibi ſopito & dormienti adminiſtratas, utpote Euangelicas, & denegatas Tyrio & Sodomitis, nunquam induiſiſſem, interim ego iis vocationibus fataliter ſed infœliciter tibi, & ſub infauſti ſideris ordine collocato aperui meam voluntatem, unicum & flagrantiſſimum deſiderium* (*quali pater unicum filiolum, tenella mater uteri ſui fœtum, gallina pullos ſuos complectitur*) *eſſe ut vocanti mihi obedires, & in æternum ſalvareres, licet ſciverim, ſi paulò ante, aut poſtquam vocarim, vocatus eſſes, voluiſſes & re ipſa finaliter obediſſes, & æternum ſalvatus fuiſſes.* 2. Scriptura ne quidem vel per milleſimam conſequentiam meminit talis vocationis congruæ aut talis decreti congrui, Capitibus ad *Romanos* 9. *c.* 10. *c.* 11. aut alibi; negat decretum, ſimpliciter. *Jaakob dilexi, Eſauum odi, antequam feciſſent quidpiam boni vel mali pueri*: Illud enim, *O altitudo!* Reſolveretur in duas contradictorias in DEO voluntates; & inſignem dolum (quod abſit) quo DEUS facto, decreto, adminiſtratione contrarium plane iſti quod ſe impenſiſſimè velle & deſiderare dicit in toto Euangelio, facit, ſi Jeſuitis credèndum. 3. Non poteſt fingi major injuſtitia, quam quod DEUS, omnes mortales præſciens non tantum ad obedientiam & ſalutem propenſos, ſed antecedenter ad ipſius decretum gratioſum & ſcientiam mediam finaliter obdituros & ſalvandos fore, idque ex meritis liberi arbitrii, attamen ex abſolutâ ſuâ voluntate negans ponere illam conditionem talis ordinis rerum; viam obſtruat

struat tali obedientiæ; antecedenti & absolutâ voluntate maximam partem humani generis in æternum perire velit & tamen omnes erant in se & antecedenter ad positionem talis absoluti impedimenti finaliter obedituri. Nam dicit *Annatus poni & constitui potuisse à Deo talem dispositionem quæ utrisq;*, id est, cum electis, tum reprobis *salutaris & utilis esset*, & non fuit talis dispositio à Deo decreta, quia est absolutus figulus cui homunciones respondere aut cum eo expostulare non audent. 4. Talis dispositio & rerum ordo in quo omnes mortales præsciuntur finaliter obedituri & salvandi, si sic vel sic vocarentur, antecedenter ad Dei decretum & scientiam mediam non est revelata in scripturis, ergo est somnium Jesuiticum. fateor Deum revelasse hoc. *Si David manserit apud Keilitas, & Saul discenderit ad eos, futurum esse, ut Ceilitæ sint tradituri Davidem.* Item. *Si Tyrii vidissent signa quæ Capernaitæ viderunt, pœnitentiam acturos*, ut multi interpretantur. Licet hoc non fuisset futurum antecedenter ad Dei decretum. At quo oraculo constat Jesuitis Veritas harum propositionum? *Si omnes mortales in tali rerum ordine collocabuntur, omnes finaliter Deo obedituri sunt, & salvabuntur*, &c. *Pharoah Tyrannus, Julianus, Nero, Iscariota proditor Salvatoris, Pharisæi omnesque in Spiritum Sanctum peccantes finaliter obedituri sunt.* Hoc non est in Scripturis revelatum, sed neque ex Ecclesiæ Romanæ traditionibus ἀγεώφως tale quid constat. Non est scientia media definita ab Ecclesia, neque audet *Papa* definire, nam talibus hypotheticis propositionibus pluisquam dimidia pars Ecclesiæ Romanæ animorum contentione vehementi reclamat, Testantur Dominicanorum gens numerosa, omnesque aliæ Tribus, exceptis Jesuitis. Jesuitæ itaque hic conjecturis nituntur. Sic 1. Nulla fuisset Electio gratuita, nulla Reprobatio: nulla necessitas Dei incarnati, nulla experimentalis gratiæ salvantis, justitiæ ulciscentis, misericordiæ condonantis declaratio, & quidem antecedenter ad Dei decretum. 2. Nulla supremi & independentis Opificis figulique in vasis misericordiæ præ aliis non scrutanda, sed adoranda ἀυτεξουσία & absoluta libertas, quæ omnia liberrimè fateor, à Deo declarata cum sint, non declarari, si Deo ita visum fuisset, poterant. Sed quis hoc secretum revelavit Jesuitis, decretam declarationem horum omnium pendere ab æterno, à tali dispositione aut conditione in Creaturis futura antecedenter ad

Dei

Dei decreta omnia? Neque enim habet figulus poteſtatem diſponendi de luteis vaſis eorumque operationibus honorificis & dedecoroſis, ſi futura ſunt illa vaſa, & vaſorum operationes bonæ aut malæ conditionatè ante omnem determinationem liberæ voluntatis figuli, præſertim cum eæ conditiones ſint contingenter etiam futuræ ante omnem figuli ſupremi liberum actum. 2. Omnes illæ diſpoſitiones & ordines in quibus in infinitum collocandi fuiſſent homines Antecedenter ad Dei decretum, nunquam determinaturæ eſſent omnium mortalium liberas voluntates ad finalem obedientiam, ſed reliquiſſent liberas omnium voluntates & abſolutas dominas ſuorum actuum: Ergo tam verum fuiſſet hoc enunciatum. *Si omnes mortales collocati fuiſſent in tali rerum ordine, nulli mortales omninò finaliter obediiſſent Deo vocanti,* Quam ejus contradicens, Nec eſt quod objiciant Jeſuitæ cum Fonſeca. *At cum ſint infinitæ hypotheticæ connexiones rerum, tot diſpoſitiones & ordines antecedenter ad DEI decretum, DEUS de facto præſcivit proculdubio aliquos ordines, in quibus, ſi omnes mortales collocarentur, eſſent finaliter obediturі: & DEUS ex abſoluta ſua voluntate, potuit omnes mortales in tali ordine collocare.* Reſpondeo, Hoc eſt gratis dictum, nam Deus de facto nec præſcit, nec præſcire poteſt, tot ordines infinitos, in quibus ſi omnes mortales collocati fuiſſent, ſunt finaliter Deo obedituri. Cum illi infiniti ordines ſemper reliquiſſent voluntatem ſuæ nativæ indifferentiæ & abſoluto dominio in actus, quo fieri potuerit, ut omnes illi mortales ſub iiſdem collocati ordinibus tam Deo finaliter non obediiſſent, quam finaliter obediiſſent, prout definiunt nobis Jeſuitæ libertatem & liberam obedientiam. Quia ſic fallibilis fuiſſet Dei præſcientia: Ut non dicam hoc pacto omnia conditionatè futura, tot connexiones rerum ferè numero infinitas, plenas Juſtitiæ, ſapientiæ, gratiæ, miſericordiæ, libertatis, veritatis, fortuitò antecedere Dei decretum juſtum, ſapiens, gratioſum, miſericors, liberum, quo fit, ut Deus tam ſapientes connexiones nec procurare nec impedire queat: cum eæ omnes futuræ ſint antecedenter ad omne Dei decretum liberum. Omnia itaque hæc merâ fortunâ, nullâ providentiâ, imò nullo decreto prævio, nulla Dei præſcientiâ præeunte eveniunt. *Si Jobus affligetur, patienter Deo ſe ſubmittet.* Nam afflictio non determinat voluntatem *Jobi*, nec datur decretum adhuc Dei determinans. Item.

Si

Si Abrahamus jussus fuerit, immolare DEO unicum filium, cordatè & hilariter obediet. Si Achabus vendiderit sese omni improbitati, tum Jehu omnes ipsius posteros extirpabit, &c. Neque audiendus *Annatus*, qui ait *liberum esse DEO ponere vel non ponere conditionem illam absolutè, ex quâ sequutura sunt merita.* Quia illa etiam conditio est conditionatè futura, & antecedit liberum DEI decretum, & redit difficultas.

Annatus. disp. 1. c. 4 q. 2. n. 51.

Annatus. DEUS ideo præscit *liberum actum futurum: ideo, vel quia revera futurus est. Et quia vel ideo notat causam, non quidem physicè influentem, sed impropriè causam objectivè moventem aut terminantem.* Respondeo. At futurum præscitur, quia est futurum, nempe, DEO per decretum futuritionem dante. Ideoque siquid causalitatis impropriè est in futuro quo *objectivè terminat* DEI præscientiam, id totum est à DEI decreto dante futurum quod sit futurum, & aliquid ultra quam merè possibile: Nam qui dat entitatem, dat cognoscibilitatem. Si vero futurum conditionatum habet quod sit futurum à merâ causâ liberâ, ut somniant Jesuitæ, tum creaturæ sunt causæ præscientiæ DEI, nec agnoscenda erit DEI præscientia practica quæ causa statuitur rerum præscitarum: At ab objectis præscitis, causalitatem non emendicat DEI præscientia, *à quo, per quem, & ad quem sunt omnia*, Rom. 11, 36. Nam si artifex cognoscit sua opera in suo consilio & mente antequam in ipso opere, licet obliviscī queat arcanorum operis sui multos retrò annos à se fabricati, tum opus à mente artificis primariò habet quod sit cognoscibile ab artifice; multo magis DEUS Omniscius, in quem nulla cadit oblivio, qui cognoscit omnia à sese facienda, dabit cognoscibilitatem omnibus futuris operibus. Peccatorum, fateor, alia est ratio.

Annat. de mediâ scientiâ disp. 2. c. 2. q. 3. n. 22, 23, 24.

Objectiva terminatio fundamentaliter est à Deo ejusque decreto quod causatur entitatem ac proinde & cognoscibilitatem non minus quam causatio.

CAPUT

CAPUT XV.

Quomodo Annatus *propugnet scientiam mediam, negando omnem* DEI, *circa peccatum, voluntatem.*

NOn potest *Fr. Annatus* statuere DEUM otiosum spectatorem peccati, & defendere Scientiam mediam aliter quam imputando *Tuisso* quod statuat DEUM peccati Authorem.

Annat. de mediâ scientiâ disp. 1. c. 5. q. 2. n. 77.

Primo imputat *Tuisso*. *Necesse est, qui subest decreto absoluto, ut peccet: non tamen necessario, necesse est ut peccet liberè. Ergo* (inquit) *hoc emergit, peccabit necessariò non tamen necessario.* Respondeo. Quid absurdi, affirmare necessitatem modalem, κατὰ τὶ & consequentis, & negare in eodem actu necessitatem puram, simpliciter & consequentiæ ut in hâc necesse est DEUS decernat sapienter & liberè creare mundum. Num DEUS igitur liberè & non liberè, necessariò & non necessariò decernit creare mundum? minimè vero.

Annat. ib.

2. *Quid permittit* (DEUS) *ex Calvinistis in peccato: An permittit ut sit actus? At tum prædefinit, & efficit concursu antecedente. Ut sit liber? At hoc ipsum eodem modo procuratur à DEO. Ut sit prohibitus? Prohibitionem ipse solus ponit & intimat. Ergo ex Calvino facit peccatum.* Respondeo 1. Nec actum nec malum propriè permittit, sed actum malum permittit, nec concursus propriè impedit permissionem. 2. Retorqueo in *Dominicanos* qui idem nobiscum sentiunt. 3. Nec DEUS permittit actum ex Jesuitis, quia eum efficit concursu universali: nec permittit quâ liberum, quia id eodem modo, id est, effectivè procurat: nec malitiam, quia ponit ipsam prohibitionem. Tu cura teipsum miselle medice, & solve.

c. 4. q. 4. n. 11.

3. *DEVS* (inquit) *est causa peccati, non author: Vel est causa, non culpabilis*, ut ait *Tuissus*. Respondeo. *D. Tuissus* talem disjunctionem non habet. Tu mendacissime hominum id ei affingis. *Voluntas DEI* (inquit *D. Tuissus*) *est causa rerum omnium quæ fiunt, non culpabilis* — *nec omninò negari potest voluntatem DEI esse causam rerum omnium quæ fieri vult.* Sed & liberè — *& nihil esse nisi quod*

quod DEUS *fieri velit, sive bonum sive malum,* dissertissimè profes. sus est *Augustinus.* 1. humanis oculis non est legere apud *Tuissum, DEUM esse causam peccati.* Sed existentiæ peccati quod longè aliud est, ut posteà demonstro contra *Arminium* Jesuitulam vaferrimum hâc in re. 2. DEUM causam mali actus inculpabilem *Dominicani* dicunt, Jesuitæ refutant ægerrimè, nempe, in genere causæ physicæ, non moralis est causa actus mali qua actus, ratione concursus universalis, nisi Jesuitæ adimant omnem causalitatem suo generali concursui. Et sic DEUS in actibus bonis nihil habebit causativæ influentiæ.

4. Alterum *Tuissi* paradoxum, *DEUM velle ut malum fiat.* Annatus c. 5. q. 5. n. 95.

Respondeo. DEUM velle malum, hoc est, approbare, non dicit *Tuissus.*

At Jesuitæ hoc dicunt, nempe, *DEUM negare gratiam congruam, & dare* incongruam eo fine ut reprobi non credant, non resipiscant. Respondet *Annatus. Si do quas debeo huic homini pecunias, non dubito quin sit eas ludo consumpturus, an non possim igitur dare quin hoc ipsum velim atque intendam ut eas ludat? an neq; sobrii sunt qui DEUM dicunt aliquid præter suam intentionem præscire sequuturum? an damnanda antiquitas cum D. Paulo asserente Deum velle omnes salvos fieri?*

Respondeo 1. Qui eo fine dat gratiam, tempore, & modo quo præscit oblatam gratiam malitiosè repudiatum iri, quo cedat in exitium longè gravius repudianti, & dat voluntate tam inconditionatâ, inscrutabili & absoluta, qualis competit figulo in vasa lutea, & negat eandem gratiam, in eo ordine & rerum dispositione, quâ si daretur, præscit eandem receptum iri & finaliter salutarem fore, is vult absolutè ut non credat, non obediat is qui ita vocetur, sicut si pater daret filio pecunias eo in ordine disposito quo præscit eum profutè eas scortationibus, compotationibus consumpturum, negaret vero easdem pecunias in eo ordine, quo præscit filium iisdem frugaliter, & quâ par est providentiâ, usurum. & id faceret absolutâ voluntate, quali figulus de vasis disponit, is pater intenderet ut filius malè insumeret & prodigè pecunias decoqueret. 2. Nihil sequuturum præscit Omniscius figulus præter intentionem tam inscrutabilem & absolutam qualem habet in vasa figulus, nempe, solutam & independentem ab omni opere, ratione, conditione aut

Permissio Jesuitica facit DEUM peccato Authorem.

motivo in luto aut in vase: Quali voluntate fingunt Jesuitæ DEUM indulgere aut negare vocationem congruam. At nos eam cum naturali & propensissimâ voluntate illâ salvandi omnes & singulos è diametro non secus consistere, quam convenit aquæ cum igni, cum lupo ovibus, intrepidè affirmamus. *Annatus. At DEVS malum actum permittit, tum cum concurrit ita ut reservet sibi plenam potestatem adjungendi oppositum concursum, si velit creatura libera eum acceptare.* Respondeo. At ex Jesuitis sic permittit actum credendi in CHRISTUM, diligendi DEUM, cum plenâ potestate & indifferente, si credendum Jesuitis, adhibendi oppositum concursum, si ita vellet libera voluntas. Itaque proditio *Salvatoris* in *Judâ*, & credendi actus in *Petro* æqualiter erit opus DEI, quod attinet ad causationem physicam. Respondeat Jesuita. *Annatus. DEVM absolutè velle & efficaciter decernere ut fiat peccatum, nec facere peccatum, est nolle DEUM peccare per seipsum, velle tamen & facere ut alius peccet.* Respondeo. DEUM inefficaciter & conditionatè (siquidem creaturâ vult) velle peccatum (ut volunt Jesuitæ.) Ergo erit DEUM nolle peccare per seipsum, sed conditionatè & inefficaciter velle ut alius peccet. 2. Neque hîc est consequentiâ. DEUS non potest velle, hoc est approbare creaturæ peccatum magis quam sese abnegare potest. Potest tamen velle & decernere peccati existentiam, idque efficaciter, cum ab alio committatur, DEO prohibente. Nec DEI prohibitio & moralis impeditio peccati pugnat cum DEI efficace circa peccatum decreto, si adversarii rectè disjunctionem voluntatis signi & beneplaciti caperent: Nam decretum congruum efficax consistit cum prohibitione peccati.

ANNATUS. *Vis efficaciter & absolutè ut inimicum occidat* Titius, *hoc est*, inquis, *solummodo permitto.* Res. DEUS concursu universali vult inefficaciter *Petrum* credere, cum voluntate adjungendi concursum oppositum ad actum infidelitatis, si DEÆ creaturæ libertati libitum sit. Ergo permittit *Petrum* tantum credere. 2. Non pugnant decretum efficax & decretum permissivum: Nam decretum congruum vocandi est efficax: at non dicerent Jesuitæ esse permissivum. Imo decretum efficax nunquam caret effectu, jussio sæpè caret.

CAPUT

CAPUT XVI.

An Euangelici Protestantes ex Scripturis rectè demonstrent DEUM *velle ut eveniat peccatum, se permittente. Locus* Genes. 45. *de* Josephi *venditione expenditur & vindicatur.*

QUam mihi impense charæ sit JEHOVÆ immaculata sanctitas testem habere in Cœlis sufficit. sed nostri mendacii patrocinio DEUS minime indiget. θεομαχίαις crimine certe gravissimo Ecclesias Reformatas, imprimis verò, viros Apostolicos *Joannem Calvinum*, & *The. Bezam* gravarunt pontifices. Jesuitæ *Rhemenses*, *Becanus*, *Gregor. de Valentia*, *Didac. Ruizius*, *Gabriel Pennottus*, *Ro. Bellarminus*. Item & *Jos. Affelmannus*, *Joan. Forsterus*, *Balthas. Meisnerus*, & *Mentzerus*. Hos sequuntur *Jac. Arminius*, *Arnold. Corvinus*, *Synodistæ*, *Remonstrantes*. Comitem se jungit *Socinus* cum impuris suis asseclis qui inferunt à nobis statui DEUM esse Causam & Authorem peccati, eo quod doceamus DEUM præscire omnia futura contingentia in se, tanquam in causâ. Ut refert *Peltius* in suâ harmoniâ.

Rhemenses in act. 6. v. 13. sec. 7. in art. 2. sec. 8. Becan. in opusc. 1. q. 4. n. 1, 2, 3, in quæstionibus Calvinisticis contra Da. Paræum & in opus. de prædest. Calvinistar c. 1. n. 1, 2, 3, 4.

Valent. to. 1. in 1. Tho. disp. 26. sect. 1. n. 1. Pennottus in suo propugnaculo humanæ libertatis l. 3. c. 4. Bellarminus de amiss. grat. to. 4. l. 2. c. 3. & 4. & seq. Asselmannus in Triad. suâ syllogis. Joan. Forsterus in system. problem. dis. 7. thes. 74. Meizner. anthrop. sacr. decad. 1. q. 4. Mentzer. in exegesi. August. confes. pag. 798, 799. Remonstrantes in scrip. synod. dordrac. ar. 1. pag. 14 15. in Apolo. c. 7. ad cens. 2. Socin in prælect. c. 11. f. 38. Joan. Peltius in harmoni. Arminianism. & Socinianis. art. 5. par. 4. p. 32.

2. Statum quæstionis hic pervertunt adversarii. Nam 1. *Bellarminus* nostros statuere DEUM Authorem peccati mentitur, ait tamen non quæri *An DEVS sit author peccati*. Ait enim *Zwinglium*, *Calvinum*, *Petrum Martyrem*, *Bezam in suis scriptis docere Deum nequaquam peccati authorem esse*. 2. *Grego. de Valent.* ait quæri, *an ullo modo DEVS sit causa peccati*. Nos talem quæstionem Orco relegamus.

Bellar. de amiss. grat. l. 2. c. 2. Calvin. Justit. l. 1. c. 17. sec. 3. in Psa. 105. 25. 55. in

instructio adversi. libertin. in Hos. 13. v. 11. Zwinglius de providen. Petr. Martyr. commen. in c. 1. ad Rom. Beza respo. ad Castellion. aphor. 8. Gre. de Valent. Armin. Antiperkins. pag. 698.

legamus. 3. Idem *Gregor.* ait quæri, *An DEVS ita velit malum culpæ, ut vult malum pœnæ.* Nec hoc quæritur, nam positivè pœnam efficere potest: at non potest sic efficere culpam. 4. Idem etiam ait quæri *an ullo modo DEVS stimulet ad peccatum, sub ratione boni, ita ut illud velit,* Sed est quæstio hæc Chymærica. DEUS enim physicè prædeterminat ad actum. Malitia verò est quid consequens actum. 5. *Vorstius* ait quæri, *An plerumque contrarium ejus fieri à nobis verè & propriè DEVS velit (sâq; voluntate antecedente & absolutâ) quod ordinariè in Verbo suo DEVS sub pœnâ mortis præcipit.* Sed hæc quæstio ei in mentem venit in somniis, dum putat nos docere duas esse in DEO voluntates contradictorias, quod nos minimè docemus. *Patres Tridentini* fingunt quæri *an opus pietatis æquè sit opus DEI & Diaboli,* & contra. Item. *An homo habeat se merè passivè in omni opere malo.* Sed non attingunt τὸ κρίνομενον. Nam & nos cum illis requiri docemus concursum DEI ad actum entitativum peccati. Sed nos stamus pro concursu DEI prædeterminante voluntatem, ut sic constet DEO gloria providentiæ dominatricis, illi fingunt DEUM concurrere ad actum credendi & amplectendi CHRISTUM, eodem concursu numero, sed indifferente, universali, collaterali, quo concurrit ad actum infidelitatis & rejiciendi CHRISTUM. 7. Quicquid in contrarium dicant, idem *Jesuitæ* & *Arminiani* nobis objiciunt, quod olim, ut observat *Beza,* carnales *Paulo* objiciebant, Rom. 3. 5. *Si peccata cedant in DEI gloriam, non modo non esse punienda, sed etiam esse incumbendum peccato, Paulus* non negat peccata cedere in DEI gloriam, non esse tamen facienda, ut inde bonum eveniret: Idem *Paulo* objicitur, *Rom. 6, 1. Rom. 9. 14, 15.* Sunt igitur adversarii in hâc quæstione carnales. Et eadem fuit quæstio *Augustino* cum *Juliano,* ut observat Doctiss. vir *D. Pareus,* nempe, *An DEVS salvâ libertate voluntates liberas regat & inclinet in bonum & malum. Augustin*^o, uti & nos, ait; *Julianus* ut *Jesuitæ* & *Arminiani,* negat.

Vorstius in append. ad amic. col. lat. dupl. pisc. pag. 36, 37.

Beza annotat. in Ro. 5.

Augustinus contra Julianum li. 5. c. 3.

Pareus comment. ad Romanos c. 3. dub. 19.

3. Convenit tamen in hâc quæstione. 1. DEUM præscire peccata, nisi quod negatæ præscientiæ peccatorum futurorum, ut & omnium futurorum contingentium *Arminianos, Vorstium, Episcopium, Corvinum,* non tantum suspectos, sed & reos habeamus. 2. DEUM

Vorstius de Deo ad dis. 6. Epis. dis. priv. 4. thes. 10. Corvin. contra Molinæ. c. 6. q. 9.

concurrere

concurrere ad actus materiales peccati, nisi quod nuper exortus infœlix *Capucian. Lodov. à Dola* qui opinionem *Durandi* negantis immediatum Dei concursum, resuscitavit. 3. Convenit Deum peccata ad suam gloriam dirigere, licet in modo directionis sit latum discrimen inter nos. 4. Peccatum Deum nec efficere, nec causari. 5. Deum volentem & scientem permittere peccata. 6. Queritur itaque, *an DEVS positivo aliquo voluntatis permissivæ actu velit peccatum ut medium per quod DEVS gloriam suam declarare decrevit*, negant adversarii, nos affirmamus: Quod est quærere, *An DEVS voluit & decrevit ut peccatum eveniret, se permittente, creaturâ rationali committente.* Nos affirmativam partem tuemur: illi verò volunt Deum nullo modo velle peccatum, sed habere Deum negativè, id est, ut planè nolentem & volentem erga peccatum. 2. Postquam vero peccatum extitit, Deo nolente, tum intervenire & suboriri Dei consilium de directione peccati jam præter consilium & decretum Dei existentis, ad suam gloriam. 3. Deum otiosè permittere ut introeat in mundum peccatum. 4. Denuò libertati creaturæ planè committere, ut existat, vel non existat peccatum, & à libero creaturæ arbitrio planè indifferente, pendulo, & nullâ dependentiâ divinæ flectionis ad nolle, vel velle Dei providentiæ subordinato ut sit incarnatio Dei, vel non sit, patefiat gloria justitiæ punientis, misericordiæ condonantis, gratiæ pœnitentiam indulgentis, *&c.* vel non patefiat, prout Angelis & homuncionibus placet. Et non semel *Calvinus* expresse ait *DEVM nihil mali fieri velle, DEVM peccati Authorem non esse, DEO peccatum non placere; longissimè distare à scelere, prudenter inter opº DEI & hominum distinguendum.* Ita *Beza, Junius, Zanchius, Ursinus, Trelcatius, Professores Leydenses.* Videatur etiam *D. Tuissus.*

Lodov. à Dola de concursu l. 3.

Calvini comment. in Psalm. 113. 3. comment. in Dani. 4. 36. Comment. in Esa. 10. v. 5.

Beza in Jobi caput primum contra Castell. respons. ad 3. cal. Zanchius in miscell. q. 5. Ursinus q. de providentiâ. Trelcatior senior loc. 6. de providentiâ arg. 2. Synops. puri. or. Theolo. Professor. Leid. disp. 11. thes. 20, 21. D. Tnissus in vindic. gratiæ contra Armini. l. 2. crimi. 3. degress. 4.

Primum itaque argumentor ex sacris oraculis sic. Si nefaria *Iosephi* in Ægyptum missio & venditio facta est Dei consilio & decreto, tum peccata eveniunt Deo volente & decernente, nempe, juxta voluntatem permittentem, licet non approbantem. Atqui

Argum. 1. *à Scripturarum authoritate.*

Prius

Prius est verum. Ergo & Posterius. Major est ipsa ferè thesis: Minor patet Gen. 47. 7. *Misit itaque* (inquit *Iosephus*) *me Deus ante vos,* —— *nunc itaq; nequaquam vos estis qui me huc misistis, sed* DEUS *ipse, qui constituit me patrem apud Pharaonem.* Cap. 50. v. 19. *Dixit vero Iosephi fratribus suis, num in loco* DEI *sum ego?* Ver. 20, *Vos quidem cogitavistis contra me malum, sed* DEUS *cogitavit illud in bonum.*

Adversus hoc Argumentum Jesuitæ multa conantur, sed non promovent. Nam 1. *Leonard Lessius* dicit DEUM, *permissione, malum procurare, & Iosephum dicere non vestro consilio ut primariæ causæ tribuo, quod huc missus sum, sed* DEI *voluntati: sed inde non conficitur ipsum scelus esse à* DEI *consilio.*

Leonardi Lessii de effic. gra. sec. 2. de prædefinit. rat. 8. n. 9. *Exceptio* 1.

Respondeo 1. Si facta est missio *Iosephi* in Ægyptum nudâ permissione, non DEI consilio, tum glossa Jesuitæ textui contradicit. Nam in textu est. *Non vos me misistis huc, sed* DEUS *ipse.* At Jesuitæ sensus est, Non Deus misit me huc, sed nullo actu consilii sui, Verum permisit, id est, non voluit vos invidiâ motos, noluit *Ismaelitas* studio lucri servum mercatos huc me mittere. 2. Quod negat *Iosephus* in textu tribuendum esse fratrum consilio, id concinnâ & elegante Antithesi, tribuit DEI consilio ut causæ prædeterminatrici: ut patet ex verbis. *Non vos, sed* DEUS *misit me huc.* Atqui *Iosephus* negat tribuendum esse fratribus & eorum consilio ut causæ determinatrici quod missus fuerit in Ægyptum. Ergo quod missus fuerit in Ægyptum, tribuit DEI consilio. 3. Non *vestro consilio* (inquit Jesuita in suo sensu) *ut primariæ causæ tribuo, quod huc missus sum, sed* DEI *voluntati.* Nempe, tanquam primariæ causæ. Atqui missio illâ in ordine ad fratres *Iosephi* mittentes erat grave peccatum. DEI ergo voluntas erit *causa* & quidem *primaria* illius missionis sceleratæ. Videat Jesuita. 4. Quod addit Jesuita *inde non confici ipsum scelus esse à* DEI *consilio.* Conclusio est ad invidiam nobis conflandam malâ fide illatâ, qui docemus illud quod est scelus, non ipsum sceleris DEI consilio tribuendum.

Exceptio 2. Did. Ruiz. tom. de volun. DEI disp. 18. sect. 2. dis. 44. sect. 7. Cle. Alexandr. Stromat. 1. & ib. sect. 7. n. 4, 5.

Secundus, ad argumentum, Replicator est Jesuita *Did. Ruiz.* qui dicit, *Providentiæ* DEI *esse, quod* DEUS *non sinat vitium esse inconducibile ad declarandam suam gloriam, &* DEUM *permisisse Patriarchas vendere* Josephum, *ut inde acciperet occasionem efficiendi bonum.* Ut ait *Clemens Alexandrin.* Et disp. 44. sect. 7. ait Josephum *nihil favere*

favere physicæ prædeterminationi, sed potiùs cum illâ pugnare, quoniam cogitationes malas retulit ad fratres, vos cogitastis de me malum, non Deo *Authori, neque impellenti ad actiones malas: sensus est, tanta est omnipotentia divinæ voluntatis, usq; adeo impossibile est ei resistere, ut necem & servitutem, quæ vos contra me cogitastis, in imperium ac majestatem ac in vestram utilitatem converterit.*

Respondeo. Deus non propriè limit aut permittit, sed positivè efficit bonum sapientiæ, justitiæ & misericordiæ condonantis, quod ex peccato elicit. Non enim, opinor, conducibilitas in peccato ad declarandam Dei gloriam, est peccatum, sed nec est opus creaturæ, sed bonum opus Dei. Ideoque *Clemens Alexand.* refert permissionem ad peccatum ipsum, non (ut malè Jesuita) ad bonum conducibilitatis quod Deus ex peccato elicit. 2. Si Deus permiserit fratres vendere *Iosephum*, ut inde *acciperet occasionem efficiendi bonum* Ut ait Jesuita, tum Deus eam venditionem nefariam aliquo modo intendit & voluit propter bonum ex eâ eliciendum, quod est nostrum institutum. Et pari ratione decrevit permittere primum lapsum *Adæ*, ut inde acciperet occasionem gloriosæ incarnationis, quod est vulnerare ut sanandi arti gratiosæ, occasio foret. At hoc est illud quod in *Calvino*, *Beza* & nostris, bonis laterибus damnant, Cœlo proscribunt. 3. Concionatur lepidè Jesuita de *Omnipotentiâ irresistibilis* Dei *voluntatis in exaltando Josepho, & cibandâ Ecclesiâ* Dei: Sed negat tota cohors Jesuitarum Omnipotentiam irresistibilis Dei voluntatis actus circa actus liberos hominum. At verò *Ismaelitæ* liberè *Iosephum* mercati sunt, poterant non mercari, liberè vendiderunt eum in Ægypto, poterant non vendidisse: *Pharaoh*, opinor, liberè virum extraneum, Hæbræum, Nationi Ægyptiacæ invisum & odiosum ad honores evexit, *Iosephus* fratres malè de se meritos liberè & meritò (si fides habenda Pontificiis) supererogatoriò cibavit. Ergo fieri potuit ut læsâ & fracta hac Omnipotentiâ resisteretur ab hisce tot liberis agentibus Dei *irresistibili voluntati*, quâ voluit *Iosephum* vendi in Ægypto, exaltari à *Pharaone*. Ostendat itaque, quæsumus, Jesuita, irresistibilem Dei voluntatem de *Iosepho* vendendo, vendito exaltando? nisi astruat voluntates eorum qui ipsum liberè vendiderunt, & liberè exaltarunt à Deo vel physicè prædeterminari, vel (quod nobis satis erit, nam de voce prædeterminationis non contendi-

mus, si de re constet) DEUM ita agere cum eorum liberis voluntatibus, ut non magis non potuerint vendere *Iosephum*, non eundem exaltare, quam omniporenti DEI voluntati restisti & obstari posset. Si effectus ad DEI decretum referatur.

Tertia exceptio Molin. de concor. q. 19. art. 6. disp. 2.

Tertius Replicator est *Lod. Molina*, scientiæ mediæ Creator, & primum turbarum caput. *Sensus est* (inquit) *DEUM quidem voluntate absolutâ voluisse exaltare* Josephum, *si non illo modo, certè quovis alio modo, & cum DEUS prævideret aptum ad id medium esse proditionem fratrum, noluit eam impedire. Et eâ de causâ DEO ascribitur* Josephi *venditio, quæ DEO tantùm permittente facta est.*

Respondeo 1. Hæccine, quæso, est inexplicabilis & alta DEI providentia? DEUS nudo actu præscientiæ præsciit prius vendendum *Josephum* & mittendum esse in Ægyptum, quam eum vendi aut mitti velit, & nec vendi nec mitti vult, tantum venditionem impediri non cupit; quasi vero ego providentiam exercerem (absint blasphemiæ) circa crastinum Solis exortum, quippe, præscio quo momento sit oriturus, media nempe prægressus ejus scio. at impeditum ortum non cupio? talis est *Molinæ* providentia. 2. Quomodo constat Jesuitæ *DEUM voluntate absolutâ voluisse* Josephum *exaltari*? Potuitne *Josephus* Ethnici Regis honores, uti olim à *Mose* factum legimus, rejecisse? Nam honores liberè acceptavit. At vero DEUM absolutè velle & decernere actus liberos creaturæ in Scholâ Jesuitarum est absurdum 3. Sensus Jesuitæ & glossa destruit textum. Nam non tantum DEI consilio exaltatus est *Josephus*, sed hæc exaltatio per illa media determinata & non per alia atque alia, si hæc defecissent, promota est, puta, per venditionem in Ægyptum, propensum *Pharaonis* erga eum animum, idque singulari DEI providentiâ, ut verba clamant c. 4c. 5. *Sed nunc ne vos doloret crudelitas, nèq; displiceat in oculis vestris, quod vendidistis me huc, Nam victus causa misit me huc DEUS ante vos* c. 50. *Vos quidem cogitaveratis contra me malum* (nempe, necem & servitutem) *Sed Deus illud cogitavit in bonum*, nempe, *sapiente suo consilio.* Non ergo DEUS decrevit exaltationem *Josephi* in genere, per media sub ambiguâ, in mente DEI, disjunctione, vel hæc, vel si hæc deficient, per alia, vel si illa alia deficient, per alia atque alia; nam si media omnia sunt contingentia, possunt omnia in infinitum deficere, & rescinderetur sic absoluta DEI voluntas. Quod absurdum, si media

Heb. 11. 24, 25.

Media sub disjunctione Dei perfecto consilio repugnant.

dia sint necessaria, non poterant *Iosephi* voluntatem in honoribus acceptandis, in fratribus condonandis & cibandis non coactam, sed liberam ex more libertimæ & meritoriæ (ut volunt) obedientiæ: At vero *Moses* determinata hæc media refert in divinam providentiam. Etiam ipsam missionem, *Misit me huc DEVS*. 4. Quæ, quæso, mediorum aptitudo ad exaltationem *Iosephi*? nempe, hęc aptitudo non est à DEO volita non facta. sed nudo *Scientiæ mediæ* actu præscita. DEUS ergo aptitudinem præscivit, non fecit, O somnolenta providentia! Venditur pius vir ex invidiâ fratrum, ex spe lucelli *Ismaelitæ* eum mercantur, defertur in Ægyptum, in familiam *Potiphari*, libidine nefanda meretrix in illius amorem insana voti non compos, confícto mendacio innocentem DEI servum in carcerem conjiciendum curat, *Pharaoh* eum divinum vatem & somniorum interpretem esse intelligens, interpretatum ipsius somnium ad summos honores evehit. Quid hic DEUS? præscit omnia, media hæc aptissima ante actum divinæ voluntatis non impedit. Nihil Jesuita de decreto & consilio, nihil de actuosâ directione, nihil de flectione voluntatum humanarum, tota res fit solo præscientiæ mediæ nudo actu & non impeditione. Certè nihil gloriæ *Dei* sapienti consilio, nihil fidei, spei, patientiæ debet servus DEI divinæ voluntati acceptum ferre, acta erant omnia & futura aptissima media & *Iosephi* exaltationem & *Ecclesiæ* cibationem productura antecedenter ad DEI scientiam mediam, atque adeo antecedenter ad DEI voluntatem non impedientem sed permittentem, omnia absque DEO fiunt. O blasphemia execranda! O supina providentia! sed nec impedire potest DEUS liberam inobedientiam secundum dogmata Jesuitarum.

Quartus hic Replicator est *Theodor. Smising* Jesuita *Lovaniensis*. *Num* DEI (inquit) *possumus resistere voluntati? hoc est, num possumus impedire, quo minus ex iniquâ mei venditione, hoc eliciat, quod per me salvos faciat multos populos. Revera tamen (voluntas illa* DEI*) non refertur ad venditionem.* Et ib. *nec dicitur* Josephum *esse venditum DEI voluntate, sed esse missum in Ægyptum pro salute familiæ, unde solum translatio* Josephi *in Ægyptum, non autem quod ea fieret, mediante venditione iniquâ, fuit opus DEI.* *Quarta exceptio.* The. Smising tom. 1. tract. 3. q. 3. n. 94. n. 45. in Tho. 1. par.

Respondeo 1. Neque nos ii sumus qui opus iniquum opus sanctissimi DEI vocemus. Ideoque hæc conclusio non est contra nos.

2. Libera voluntas *Ismaelitarum* qui mercati sunt eum, & *Pharaonis* qui eum ad honores evexit, & ipsius *Iosephi* libera voluntas qui honores acceptavit, & aluit religiosè fratres de se malè meritos. Horum (inquam) libera voluntas potuit restitisse *Dei* voluntati secundum adversarios; ideoque impedivisse quo minus ex iniquâ venditione *Iosephi* extitisset hic bonus evectus, videlicet, cibatio *Ecclesiæ* quia potuit *Iosephus* non cibasse eos quos liberè cibavit, potuit *Pharaoh* recusasse *Iosepho* honores & opes, unde *Ecclesiæ* cibum suppeditaret. 3. Hoc modo Jesuita gloriam providentiæ obnubilat, DEUS bonum tam eminens puta nutritionem *Ecclesiæ* famescentis elicuit ex *Iosephi* profectione in Ægyptum quâ simpliciter bona est & expers peccati. At quæ laus est bonum è bonò elicere? è vitâ vitam? At altior providentiæ abyssus hic est, quod ex injustâ venditione & servitute *Iosephi* omnipotenter DEUS elicuerit gloriam conservatæ Ecclesiæ. 4. Glossa hæc etiam textui repugnat, quia pungebat conscientias Patriarcharum non bona & justa profectio *Iosephi* in Ægyptum, sed quod innocentem fratrem iniqua venditione illuc è familiâ Patris abdicaverint, & *Iosephus* hoc nomine eos solatur, quod DEUS ex singulari suâ providentiâ, ex iniquâ venditione bonum longè eminentissimum elicuerit. *Ne cruciemini quod vendidistis* (iniquissimè) *me huc.* Neque duo hic sunt actus, profectio *Iosephi* in in Ægyptum, & profectio per iniquam venditionem, sed fuit una & eadem profectio in ordine ad fratres iniqua, & in ordine ad DEUM volita & justissimè decreta, ut DEUS ex hoc curvissimo medio, pro singulari & piâ arte providentiæ finem rectissimum, nempe, conservationem *Ecclesiæ*, eliceret.

DEUS non ex venditione Josephi simpliciter, sed ex iniquâ venditione.

Quinta Exceptio. Franciscus Cumel. variar. disp. in 12. tom. 2. conc. 2. pag. 294.

Quinto replicat *Fran. Cumel Lovanienſis*, qui agnoscit *DEUM absolutè prædefiniviſſe & decreviſſe venditionem* Josephi, *quoad actus materiales & entitativos peccati, non quoad malitiam actibus annexam.*

Respondeo. Sed & sic frigida est providentiæ gloria, quod DEUS ex actibus entitative bonis gloriam suam elicuerit, nec enim actus entitativi, sed malitia actibus adhærens est punibile quid & condonabile, & materia intrinseca declarandi gloriam justitiæ punientis & misericordiæ condonantis, nec conscientias Patriarcharum urebant & discruciabant actus entitativi odii & invidiæ in fratrem suum, sed conscientia malitiæ adherentis actui eos dolore facti & timore retalionis vindictæ eos malè habebat.

Sextò.

Sextò. Cum reliquis veritati obloquantur, neceſſe eſt, *Bellarminus & Arub. Corvin. Arminii* ſectator. *Nihil aliud hic dici quam* DEUM *præſciviſſe malas voluntates fratrum* Joſephi, *& ſic non venditionem ipſam* DEO *tribui, niſi ſolâ permiſſione, ſed tantum adſcribi* DEO *eventum bonum ex venditione reſultantem.*

Exceptio 6. Bellarmin. de amiſs. grati. l. 2. c. 6. Corvin. contra Molinæum c. 3 q. 6. Efficacia eventuum malorum DEO aſcribi nequit, ſecundum Adverſarios.

Reſpondeo 1. Gloſſa deſtruit textum: Textus dicit fratrum *Joſephi* & DEI intentionem circa unum & idem medium verſatam fuiſſe ſed diſparili longe fine & modo, *Vos cogitaveratis in me malum, DEVS bonum,* &c. DEI ergo intentio in ipſam venditionem quâ medium boni finis ferebatur, uti eorum intentio in eandem ut medium mali finis. 2. Senſus hujus. Per hoc gloſſema, *Non vos me huc, miſiſtis ſed DEVS,* erit, non DEUS, ſed vos, vos ſoli huc me miſiſtis: DEUS vero venditionem nullo modo voluit, ſed tantum permiſit, hoc eſt, non voluit. Et *DEVS miſit me* exponendum eſt ſic, *DEVS nec me miſit, nec mitti voluit.*

3. Nec ulla hic boni eventus efficacia DEO datur; Nam poterant omnia agentia libera, Patriarchæ, *Iſmaelitæ, Potipher,* Meritrix, *Pharaoh* non feciſſe, vel contrarium illius quod in hâc catenâ eſt, feciſſe. Et ſic ne eventus quidem DEO ut cauſæ efficaci tribui poteſt. Sed horſum tendit, quod *Sophiſtæ* dicunt, DEUM in venditione *Joſephi* habere ſe, *ut voluntas ruſtici dormientis* (ut obſervat *Daniel Chamier*) *ſe habet circa Solis ingreſſum in Capricornum aut Sagittarium.* Ille dormit nihil anxius de motu ſolari. Sic DEO nondum ſciente, nondum volente. (nam objectum ſcientiæ mediæ eſt naturâ prius ipſa ſcientia, adeoque multo magis eſt prius ipſo decreto DEI) *Joſephus* venditur, in carcerem conjicitur, infamiâ adulterii premitur, ad honores promovetur, antequam DEUS præſciat aut velit hæc omnia fieri.

Chamier. in Panſtrati Cathol. de peccat. ratione l. 3. c. 4. ſ. 6.

Septimus tandem Replicator in aciem deſcendit *Jac. Arminius. Præter illam* (inquit) *permiſſionem, permiſſionique additam argumentorum & occaſionum oblationem, directionem & determinationem, quin & concurſum; dicitur DEVS quæ ab hominibus & Satanâ perpetrantur mala, ipſe facere, miſiſſe* Joſephum *in* Ægyptum, *abſtuliſſe* Jobo *bona.* Interim tuetur DEUM nullo modo velle, ſed tantum permittere, & non impedire peccata.

Arminius de efficac. providen. diſ. 11, & 12.

Arminii permiſſio luxa addita permiſſioni luſus eſt.

Reſpondeo 1. Directio venditionis *Joſephi* eſt poſterior, ex *Arminio,* ipſâ venditione. Non ergo propter directionem venditi-

onis potest venditio dici esse à DEO. Non enim combustio ædium est ab habitatore, quia cineribus ædium combustarum utitur ad agros fœcundandos. 2. Oblatio argumentorum est tantum *permissio addita permissioni*. Nam non DEUS, sed DIABOLUS & corrupta ratio (sat scio) suaserunt Patriarchas ad vendendum fratrem. Alioquì DEO suadenti obediendum. Quid? DEUS in Lege dissuadet sub pœnâ æternæ mortis ne fratrem lædamus. Hæc ergo *oblatio argumentorum* est per permissionem DEI facta. Et de eâdem redibit quæstio. 3. Nec *determinatio peccati* quoad locum, tempus, & mensuram malitiæ aliud est quam *permissio addita permissioni*. Et sic vanâ spe nos decipit & lactat *Arminius*: Nam hæc determinatio vel est nuda non-volitio & non-efficientia peccati, & sic adhuc est tantum *permissio addita permissioni*. Vel est actus aliquis positivus Divinæ Voluntatis quo vult ut existat venditio *Josephi* tali loco, & tempore, & tali mensurâ, nempe, gradibus, ut 5. potius quam ut 4. aut 6. At verò qui positivè vult ut peccatum coexistat tali loco & tempore, vult peccatum existere. Quia peccati coexistentia est quædam existentia. 4. Determinatio peccati, definiente *Corvino* est *permissio ut creatura ad peccandum paratissima hoc potius, quam illud patret*. Quam angusta & laxa etiam sit definitio nunc non examino. Sed 1. Si determinatio peccati sit permissio peccati, determinatio est tantum *permissio addita permissioni*: Si elicere peccatum ut 6. sit peccatori liberum etiam & commitere peccatum ut 8. ut 100. ut 1000. Et si DEUS potest impedire peccatum ne ad plures gradus intumescat, quam DEO visum est, potest simpliciter impedire peccatum ne sit. At disquirendum permitto adversariis quomodo DEUS possit impedire peccatum, an impeditione physicâ? At voluntas sic non erit libera, sic ei opponatur obstaculum physicum. An impeditione morali? At ea non efficax nec efficaciter determinat voluntatem ad non peccandum. 3. Determinare peccatum interdum est modum ponere peccato, ne ulterius excrescat. At permissio quâ creatura hoc potius quam illud peccatum patrare permittitur, non est ponere modum peccato, sed ei laxare habenas. 4. Spinosa est quæstio quomodo DEUS determinet peccatum, tum secundum modum magnitudinis, tum secundum modum durationis. Si elicere peccatum ut 3. sit voluntati liberum, tum etiam & elicere peccatum ut 100. ut 1000.

Corvinus contra Molinæ. c. 3. q. 18.

Quomodo Arminius *ascribendo determinationem peccati Deo faciat Deum Autorem peccati.*

Si

Si vero Deus efficit ut committatur peccatum, ut 6. potius quam ut 4. Deus erit Author peccati. Qui est causa peccati gravioris est causa peccati simpliciter. Nam à comparativo gradu ad positivum valet consequentia. Si est causa determinans peccatorem ad hoc objectum potius quam ad illud. Ut si efficit ut *Iudei* seviant in Christum potius quam in Barrabam, (nam peccati sæpè gravitas est ab objecto) est causa gravioris peccati. Sed & illud solvant *Arminiani*. Deus determinavit ut *Chaldæi* detinerent populum captivum ad annos septuaginta, potius quam ad duos aut tres menses, sed si detinere populum Dei captivum, unum annum sit peccatum, detinere duos est gravius peccatum, Ergo detinere 70. est gravissimum. At vero quomodo Deus solâ permissione nudâ determinat peccatum ad annos 70. ipsi videant. 5. Non potest *Arminius* venditionem *Iosephi* adscribere ullo modo concursui Dei tanquam alicui superaddito Divinæ permissioni. Quia à concursu *Arminiano* indifferente & universali non magis sequitur peccati quam obedientiæ actus.

CAPUT XVII.

An aliis scripturis, rectè Euangelici demonstrent Deum velle, ut eveniat peccatum, se permittente? expenditur & vindicatur locus de CHRISTO ex definito DEI consilio & præscientiâ, crucifixo, Act. 2. 23. & Act. 4. 27.

IN primâ classe argumentorum è sacris Scripturis, sic etiam arguimus. Si *Herodes* & *Pilatus* in crucifigendo manibus sceleratis Filio Dei fecerunt, quodcunque manus & consilium Dei prædestinaverat, ut fieret, & si Christus definito Dei consilio & præcognitione deditus & crucifixus est, tum Deus voluit ut injusta occisio Salvatoris eveniret, se permittente. Sed Prius est verum, Ergo & Posterius. Major est

est certa. Minor est. *Act.* 2. 23. *Hunc* (*IE. CH.*) *definito illo consilio & præcognitione DEI deditum, cum accepistis & sceleratis manibus crucifixum interemistis.* 24. *Quem DEVS resuscitavit*, &c. Act. 4. 27. *Congregati sunt in hac civitate Herodes & Pilatus & Gentes.* 28. *Vt facerent quæcunque manus tua & consilium tuum prædestinaverit, ut fieret.* Et certe si CHRISTUS præscientiâ & definito DEI consilio est crucifixus; Absurdum est Eum solâ permissione esse crucifixum, & quidem tali permissione quæ ponit absolutè in indifferente voluntate libera hominum ut crucifigeretur, vel non crucifigeretur, ut redimeretur genus humanum, vel non redimeretur. 2. Et quidem tali permissione, quæ est nuda & otiosa non-actio includens nullum actum Divinæ Voluntatis.

Prima Exceptio. Bellar. de amiss. grat. l. 2. c. 11. Meisner. Anthrop. sac. dec. 1. q. 4. Suarez. in opusc. de grat. de concurs. l. 2. c. 5. n. 3. Leo sermo. de passio. Pareus in castigat. Bellar. de amiss. grat. l. 2. c. 11. sect. 51. Beza adversus Castellio. de prædest. cap. 2. Colleg. Salmanticens. cur. Theolo. to. 1. tract. 4. de volun. Dei disp. 10. dub. 7. n. 141.

Prima exceptio hic est communis huic loco, cum loco *Genes.* antea discusso. Sic enim *Bellarm. Meisner. Suarez.* respondent. *DEVM* (inquit *Suarez.*) *voluisse ac prædefiniviss opera virtutum & patientiæ quæ in passione consistunt, prædefinivit DEVS ut* Josephus *venderetur & CHRISTVS occideretur, sed DEVS nec prædefinivit malas actiones occidendi CHRISTVM, & vendendi* Josephum. *Non dicitur* (inquit) (*qua tu decreviste ut facerent. voce activâ, sed quæ tu decreviste fieri voce passivâ*) *& citat illud Leonis, multum diversum est, id quod in Iudæorum malignitate est præcognitum, & quod in CHRISTI passione est dispositum, non inde processit voluntas interficiendi, unde moriendi.*

Respondeo. Rectè *D. Pareus Verum est quod* DEUS *voluerit & prædefiniverit passiones bonas in illis malis operibus.* Sed textus glossam, glossa textum destruit. Quia non est scopus *Petri* eo loci commendare patientiam CHRISTI, sed Ecclesiam consolari adversus vanam hostium licentiam, quidum CHRISTUM & Euangelium è mundo tollere frustra conati sunt imprudentes tamen & inscii sapienti DEI consilio de redemptione mundi inservierint. Ut *crucis scandalo* (inquit *D. Beza*) *arcanum illud DEI Patris consilium, & incredibilem in suos amorem opponant.* Et rectè hic Doctores *Salmanticenses. Isti non fecerunt passionem CHRISTI, ut se tenet ex parte DEI, seu ut acceptata ab eo, nam ut sic est à CHRISTO non ab illis, sed ut se tenet ex parte Iudæorum, nempe ut est tam actio quam passio saltem identice ab illis causata, & alias, fundans pront ab illis est, eandem malitiam, pront ab illis, eandem malitiam quam ipsamet ut actio.*

Hæc

actio. Hæc eadem est responsio quam tradunt *Rhemenses, Gul. Estius,* & *Andre. Shaafman.* de prædest. qui volunt πεπομένοι (*coacti sunt ut facerent*) *referri non ad crucifixionem, sed ad eventum ex crucifixione resultantem, nempe, coacti sunt ut facerent bonum eventum crucifixionem insequutum.* Absurdum omninò. Bonus eventus est redemptio (inquiunt *Calvin.* & *Marlorat.* Imo & *Lorin.* Jesuita in loc.) generis humani. Sed Deus non decrevit ut *Herodes* & *Pilatus* redimerent genus humanum, sed ut interficerent Dei Filium, se permittente. 2. Falsum etiam est in textu esse voces tantum passivas. Nam loc, *Gen.* habet verbum activum. וַיִּשְׁלָחֵנִי אֱלֹהִים *Et misit me DEVS.* Esai. 53. *DEVS voluit eum conterere.* Zach. 13. *Ego percutiam Pastorem.* Et quoties dicitur in N. T. *DEVM tradidisse morti Filium suum?* Ait *Petrus* actionem *Judæorum* malam subordinari Dei decreto. Coacti sunt. 28. ποιῆσαι ὅσα ἡ χείρ σου καὶ ἡ βουλὴ προώρισεν γενέσθαι. Unde sic ex textu arguo. Quod *Judæi* fecerunt, illud faciendum Dei decreto permissivo ordinati erant. *Ver.* 28. At verò *Judæi* sceleratis manibus crucifixerum Christum. Ergo ordinati erant decreto permissivo ad actionem crucifigendi. Nec tam intendit *Petrus* docere mortem & passionem Christi subordinari Dei decreto, quam facinorosas hostium actiones subservire Dei decreto: ideoque frustra tumultuari & fremere universum mundum contra Christi Euangelium. 3. Occidere Christum est actio mala. At verò τὸ occidi in se & formaliter, non est bonum morale, uti nec est malum morale, sed malum physicum & naturæ detrementum. Quod vero *Iosephus* & Salvator noster æquo & patienti animo, servitutem, vulnera & mortem tulerint, non est passio, sed virtus. At verò virtus non est passio, sed habitus laudabilis & actio potiùs. Ergo *Josephi* & *Christi* virtutes & actus liberi patientiæ erant à Deo absolutè decretæ & non nudæ passiones. At actus liberæ obedientiæ à Deo absolutè decerni & ordinari è Scholis è Theologiâ exploserunt *Jesuitæ & Arminiani.*

Rhemenses act. 2. & 4. Estius in Iom. Andr. Shaafman. de præd. Calv. ac. 2. Marlor. in ac. 2. Lorin. ac. 4.

Exploditur Responsio Bellarmini, Swarezii, Meisneri *dicentium bonas passiones Christi crucifixi, non malas actiones crucifigentium à Deo decerni.*

4. Distinctio hæc locum habere nequit in Diaboli & Pseudoprophetarum tentationibus in quibus & actio tentandi & seducendi, nec non passivè tentari & seduci sunt peccata, ut quando Pseudoprophetæ mendacium in nomine Jehovæ loquuntur *Achabo.* Et *Achabus* credit mendacio & decipitur; quia hic passio non po-

testâ DEO decerni quin decernatur peccatum. Attamen æquè talia, non minus, quam alia peccata fiunt definito DEI consilio. Imò jussione & præcepto DEI. *Exi, & fac ita.* 4. Observant *Ameſius, Tuiſſius*, imo & *Alvarez* cum ſuis *Dominicanis* Jeſuitis eruditione minimè ſecundis, abſurdum eſſe *prædefiniri paſſiones Chriſti, & non prædefiniri omnes proprietates individuantes*, quum actio & paſſio phyſicè & realiter ſit idem motus; nam obſcuratur hic gloria etiam divinæ providentiæ quod non ex paſſione juſtiſſimâ & optimâ ex parte CHRISTI, finem longè præſtantiſſimum redemptionem generis humani elicuerit, ſed quod ex actionibus ſicariorum nefariis qui DOMINUM Gloriæ trucidarunt, finem longè eminentiſſimum ſalutem Electorum extraxerit. 5. Inſuſè abſque neceſſitate multiplicantur DEI decreta. Cum eodem decreto eædem actiones decerni queant, quâ actiones malæ DEO permittente cum ſint media generis humani redemptionis.

1 Reg. 22. 19, 20.

Exceptio ſecunda. Vorſtius anic. dupl. ad piſca. pag. 178. Vorſtius *conditionatam & jubentem Dei voluntatem intervenire circa peccatum docet.*

Secundo replicat *Vorſtius*. *Senſus eſt* (inquit) *eos aliud agentes ſapientiſſimo DEI conſilio ſubſerviiſſe —— non DEO ignorante, non otioſè ſpectante, aut non curante, nedum invito, ſed ſingulari ipſius providentiâ interveniente*, Judæorum *poteſtati quaſi deditum & conceſſum, idq; partim ad exequendam vindictam ſpretî Evangelii & ad CHRISTVM conſummandum, & ad æternam generis humani ſalutem per ipſum efficaciter procurandum. Attamen non ſit ullum peccatum DEO volente, ſed non volente & non impediente.*

Reſpondeo 1, Non ſatis eſt accumulare verba. Quaſi fieret crucifixio Salvatoris, *Non DEO ignorante, vel otioſè ſpectante aut non curante.* At nullum actum ſpecialis providentiæ hic nominat, ſed nudam duntaxat deditionem in manus hoſtium penes quos fuit abſolutè occidere CHRISTUM, vel non occidere. 2. Quod fit *DEO non ignorante, non otioſè ſpectante*, neque DEO invito aut *non curante*, fit DEO aliquo modo volente & decernente. Nam nuda permiſſio ut contra diſtinguitur à DEO invito & non curante, eſt mera non-volitio & nuda inſpectio. At *Vorſtius* alibi ſic loquitur *ex hoc loco non probatur DEVM voluiſſe antecedenter & abſolutè ut* Judæi *CHRISTVM occiderent, ſed cum.* tu Vorſti, *approbativam* voluntatem ſeu ſigni, eandem prorſus facias cum DEI voluntate decretivâ, manca erit tua diſtinctio hic, niſi velis DEUM *conſequente & conditionatâ velle*, adeoque amare, approbare & jubere.

Ad Anicâ dupl. pag. 37.

(Nam

(Nam eadem tibi prorsus est voluntas decernens & approbans seu jubens) ut *Judæi* occiderent Christum. Et hic notandum cum *Jesuitæ* & *Arminiani* rejiciant distinctionem voluntatis signi & beneplaciti à nostris usurpatam hic necesse est doceant decernere ut fierent, quæcunque voluntate signi jubet, & decernere ab æterno ut nunquam fierent, peccata quæ prohibuit; At audire cupimus decretum Dei in Scripturis quo decrevit ut *Judei* nunquam occiderent Christum. Et decretum quo decrevit ut *Judas*, *Caian*, & omnes reprobi crederent in Christum. Et quærimus decretum quo Deus decrevit ut Angeli Apostatæ obedirent & Salvarentur. At dicent Deum conditionatè decrevisse ut omnes reprobi homines & Angeli obedirent; Sed quâ, quæso, conditione, nempe, si obedire vellent, At velle obedire est obedientiæ pars maxima. Ergo decrevit ut obedirent, modo obedirent. Quæ sunt hæ nugæ? Deinde quia illis voluntas decernens est voluntas jubens, Si Deus aliquo actu positivo voluntatis velit peccatum, prout *Vorstius* dicit Deum velle peccatum esse, peccatum fieri, *DEO non otiosè spectante, nec DEO non curante, nec eo invito.* Ergo Deo aliquo modo jubente, & mandante & approbante fit peccatum. At hic Deus Author erit peccati jubendo contra expressam suam legem ut fiat peccatum, & quidem aliquo actu positivo voluntatis approbantis. Unde non tantum injustitia, sed & duæ contrariæ & contradictoriæ erint in Deo voluntates. 2. Si impii crucifixores Christi subserviant Dei consilio & puniti sunt, & dant justas spreti Euangelii pœnas. Deus erit principale agens & principalis pœnæ inflictor. At pœna est peccatum occidendi *Salvatorem*, non enim permissio est formaliter pœna, sed peccatum permissum. At sic necesse est hic Deus velit peccatum quâ pœna spreti Euangelii. Hic cedit *Vorstius*, dicens. *Ex singulari DEI judicio, quale illic describitur, de ordinariis DEI præceptis non semper judicari posse.* Sed an non sic Deus velle dicendus esset ut *Judæi* Salvatorem occiderent tanquam *judicium DEI & pœnam extraordinariam.* At sic Deus erit Author peccati: salva res est ex *Conrado Vorstio.* Deus est author peccati modo extraordinario, non ordinario. An igitur in casu extraordinario potest Deus peccare, peccatum cavere, semetipsum negare? Absint tales blasphemiæ.

Exceptio 3. Collegium Salmanticens. tract. 4. de volun. Dei disp. 10. dub. 7. sig. 140.

Tertiò Replicant *Salmanticenses.* *Cum DEVS* (inquiunt) *nequeant*

queat prædefinire peccatum quoad formale aut materiale, ut fundat rationem malitiæ, consequens est ut in hoc testimonio, Act. 2. 23. Ubi talis prædefinitio significatur, fiat sermo de prædefinitione ejus quoad materiale materialiter sumptum, & dicendum DEVM prædefinire decreto suo absoluto et ex se efficace materiale peccati.

Respondeo. *Jejunum* hoc est actus materiales odii hominum, occisionis actus physicos esse malum pœnæ à justo Judice CHRISTO sponsori nostro inflictum. Et actus entitativos qui ex se boni sunt, esse media illa ex quibus DEUS, inscrutabili providentiæ abysso, redemptionem generis humani elicuerit.

Excepit 4. Corvinus contra Molinæ c. 4. q. 4. pag. 50. Armi. Antiperkinſ. pag 696. edit. Bertii. Arminius *fatetur juratorum hostium CHRISTI peccata a Deo decerni.* Ledesm. de auxil. divinæ gra. in 12. q. 29. ar. 2. dub. 1. conc. 4. Fr. Silvius Duaci. An. 1609. apud Marcum Wyon. m. 40. part. 4. art. 4. Bradwardi. de causâ DEI l. 1. c. 32. Auguſt. de prædeſt. Sanc. l. 1. c. 29.

Quartò. *Corvinus cum suo Arminio Antiperkinsi* replicant. *Non hic dici illud ipsum quod ab hominibus sceleratè patratur, à DEO justè & sapienter decerni, & homines violantes mandatum DEI, arcano ejus consilio servire, nec hic doceri* (ait *Arminius*) *DEVM voluisse ut Judæi ipsum trucidarent, sed tantum DEVM præordinavisse filium suum tradere in manus ipsorum hostium, ut ab iis pateretur, quæ DEVS illi imposuerat, & quæ Judæi pro suâ malitiâ & odio adversus CHRISTVM inferrentur; At quales DEVS consideravit illos, quum præordinavit ut hoc fieret? sane quales tum temporis, erant, cum CHRISTO mortem inferrent, nempe, inimici CHRISTI jurati. —— Cæterum nulla hic apparet DEI actio, qua impulsi sunt aut moti ad volendum & agendum, quod voluerunt.*

Respondeo 1. Nec nos docemus illud idem per omnia quod ab hominibus sceleratè fit, à DEO justè decerni. *In ordine ad DEVM* (inquit *Ledesma*) *sunt actiones bonæ & religiosæ. In ordine ad ministros gravissima sunt peccata. In ordine ad DEVM efficientem* (inquit *Franciſc. Silvius Duacenſis*) *sunt bona in ordine ad homines qui teneantur tales defectus vitare, sunt actiones culpabiles.* Ita & *Bradwardin.* Ita *Auguſtin.* vult id quod est præter DEI voluntatem non esse contra ejus voluntatem. 2. Si traditus est CHRISTUS, DEO volente, hostibus, hæc traditio ex parte *Judæ* proditoris & hostium capientium erat peccatum gravissimum, ἐκδοσιν κακὴν ut vox affinis sonat. *Ioan.* 3. 16. *Rom.* 8 16. At quæro, quo fine ex parte DEI traditus est? Respondet *Armin. Ut ab hostibus pateretur, quæ DEVS illi imposuit,* hoc est, vulnera, scommata, alapas, manuum & pedum perforationem, & denique maledictam mortem crucis. Voluit ergo DEUS & intendit occisionem Filio suo, & omnia illa

quæ

quæ per sceleratas manus passus est, & quidem determinato consilio DEI. At non dicerent, opinor, DEUM tradidisse Filium suum Sicariis eo fine & intentione ut manus abhinerent à fundendo sanguine innocuo Filii DEI. DEUS illum finem & simul Redemptionem mundi per effusum sanguinem Filii DEI, non potuit intendere. Atqui intendit Redemptionem mundi in tradendo Filio suo. JOAN. 3. 16. Nam id satis patet eâ ratione. *Non mea, sed tua fiat voluntas.* Voluntatem DEI fuisse ut CHRISTUS calicem illum biberet. 3. *Præordinavit DEVS* (inquit *Arminius*) *ut mors inferretur à* Judæis, *sed quales tum erant? nempe, jurati hostes CHRISTI.* Sed quid hoc ad rem? Nam Sanctum Israelis non magis à societate sceleris liberabis, si dicas DEUM præordinasse voluntate approbante ut hostes jurati CHRISTI mortem ipsi nefariam inferrent, quam si dicas DEUM eâdem voluntate præordinavisse ut amici CHRISTI ipsi mortem nefariam inferrent: DEUS enim non magis est Author peccatorum à Diabolis, quam ab innocentibus Angelis commissorum. 4. Vanum est quod dicat *Arminius. Nullam hic actionem esse quâ impulsi sunt ad peccandum.* Nam decretum DEI, cum realiter non influat in actum liberum, non addit impulsum voluntati ad peccandum, sed ponit futurum aliquando esse impulsum prædeterminativum in voluntate, quâ ipsa ad actum, salvâ libertate prædeterminaretur, sed nullo modo ad malitiam.

5. Exceptio. Corvini. ib. Mæratius tom. 1. tract. de peccat. disp. 11. sect. 3.

Quinto excepit *Corvinus*, *mortem Christi non evenisse inevitabiliter respectu Judæorum, nam etsi Deus decreverat absolute ut Christus moreretur, decrevit tamen eum morti tradere per tales, qui sua sponte ac libera voluntate Dei consilium erant exequuturi: poterat enim alia ratione, & multis modis (quos in Thesauris suæ sapientiæ habuit reconditos) id effectum dare.*

Mors Christi hæc eadem numero quam per hæc eadem numero mala instrumenta perpessus est, unico absoluto & fixo decreto statuta est, non conditionate & sub disjunctione, ut statuit cum Corvino Arminiani.

Respond. Magis congruenter doctrinæ Jesuiticæ dicit *Lod. Mæratius* Jesuita *Deum non habuisse efficax & absolutum decretum de crucifigendo filio suo, priusquam quicquam decreverit de mediis, justè ne, an injustè fieret.* Imo omnia agentia possunt non agere, & non crucifigere illum, non enim *habet Deus in Thesauris suæ sapientiæ reconditos modos quibus contradictoria esse simul* vera efficere queat, at ut agentia libera absolutè determinentur ad crucifigendum CHRISTUM implicat contradictionem, nam agens liberum

sic non esset indifferens ad agendum vel non agendum, posito decreto absoluto, & sic si stet Theologia Jesuitica, esset non agens liberum, vel rescindi & retractari posset decretum absolutum, quæ omnia sunt absurda. 2. Est somnium plane Chymericum, DEUM, bis aut ter aut sæpius decrevisse ut *Christus moreretur* & quidem absolute vel etiam conditionatè. Nam 1. sic decrevit absolute crucifixionem, vel potius mortem filii DEI nihil dum comperti habens de mortis genere, an cruce, an lapidatione, an tumultu populari moreretur, nihil in hoc momento sciens de ministris & satellitibus, instene an injuste & διὰ χειρὸς ἀνομῶν moreretur, sic enim prius decreverit mortem, confusè & in genere, deinde prospiciens specillis *scientiæ mediæ* hæc vel illa agentia libera filium suum morti non adacturа, & hæc iterum non adacturа, ideoque DEUM secunda & maturiore cogitatione, & tertiâ & quartâ forte curâ concoctrore prospexisse eum cruci affigendum per *Judam proditorem*, *Herodem*, *Pilatum*, *& tum* secunda vice, tertiâ, aut forte quarta (quis enim in causis defectibiliter operantibus numerare omnes revolutiones & defectus potest?) & tum DEUM ultimum fixum decretum permissivum posuisse de hâc eâdem numero morte, quam per hæc determinata instrumenta & organa diaboli, perpessus est. Sic DEUS decrevit primâ vice *ut Christus moreretur & quidem absolutè* (inquit *Arnold. Corvin.*) Secundo, ut moreretur per agentia libera peccare permissa, & hoc decretum necessario fuit conditionatum, si non corruat fides Arminiana. Et tertia vice, DEUS præsciens hæc instrumenta infallibiliter eum morti adacturа, fixe voluit ut hanc numero mortem, quam perpessus est, & non aliam subiret: at Scriptura ait omnia quæ perpessus est CHRISTUS, fixo unico DEI decreto esse statuta. *Mortuus est semel in fine mundi.* Ergo hæc mors semel à DEO decreta fuit. Hæc numero eadem mors definito DEI consilio & præcognitione ordinata fuit: *Act.* 2. 23. *Act.* 4. 27. quin
Heb. 9. 26. Luc. 24. 26. Joa. 19. 36. 37. 24. Mat. 27. 35. 42. 43. imo *nonne hæc, ἔδει ταῦτα παθεῖν oportuit eum pati?* nempe Spiritus Sanctus *latetis fossionem*, *tibiarum non fractionem*, *vestium partitionem*, *hostiam subfumationem*, &c. dictis verbis impletioni Scripturarum adeoque DEI decreto & fixæ constitutioni adscribit? adeo ut omnia hæc eadem numero vulnera, mors, scommata, opprobria, sitis, lassitudo, quæ per hæc eadem numero organa diaboli subivit sanctissima innocentia ipsa, à DEO semel decreta certo certius fit. DEUM

UM itaque ignarum futurorum, ancipitem, fluctuantem, à creaturis & earum actibus liberis rationem novam suorum decretorum mendicantem, & quasi in arena pro re natâ consilium novum capientem & plane Anthropomorphiticum fixit vanus homo *Corvinus* cum Arminianis, dum dicit. *Quare dicendum DEVM certâ & determinatâ voluntate decreviſſe ut CHRISTVS moreretur, ſed ut iſti Judæi CHRISTVM occiderent qui illum occiderunt, non eſt conſtitutum decreto exergetico, ſed permiſſivo, ideoque dicimus mortem CHRISTI contingentem eſſe quando reſpicitur ad modum & perſonas per quas in mortem traditus eſt.* Sed. 1. eadem numero crucifixio, quæ obtigit CHRISTO ſic etiam reſpectu decreti permiſſivi Arminiani eſt planè fortuita & caſualis. 2. Bis decreta eſt mors CHRISTI ſemel determinata voluntate, & ſic non potuit non mori, quia reſcindi non poteſt hæc voluntas, eſtque mors neceſſaria: Et ſemel decreta eſt mors ejus *decreto permiſſivo* quæ relinquit voluntati crucifigentium omnimodam indifferentiam crucifigendi vel non crucifigendi. At quod unum & idem etiam reſpectu decreti DEI partim determinati, partim permiſſivi ſit & neceſſarium & contingens ſempiternam clamat contradictionem, præſertim Adverſariorum auribus. 3. Sic decretum DEI abſolutum reſcindi potuit, quicquid Arminianis eſt contingens poteſt nunquam eſſe: at mors CHRISTI *Corvino* eſt contingens. 3. Potuit nunquam redimi mundus hac Redemptione eadem numero quæ eſt in CHRISTO JESU. *Rom.* 3. 24, 25. 1 *Pet.* 1. 18, 19. *Epheſ.* 1. 7. Siquidem ita viſum fuiſſet libero arbitrio indifferenti *Judæ proditoris*, *Herodis* & *Pilati*. Vah quam lubrica providentia. 4. Eandem numero mortem CHRISTI decretam fuiſſe decreto & abſoluto & ſimul permiſſivo implicat contradictionem. Quia potuit ſic mors ejus eſſe & non eſſe, & non potuit non eſſe reſpectu unius & ejuſdem divinæ voluntatis. 5. Vanum eſt quod dicit *Arminius, DEVM non decreviſſe ut CHRISTVS pateretur antequam præſciret Judæos eſſe juratos CHRISTI hoſtes quia* odium & malevolentiâ hoſtilis Judæorum eſt non pars minima eorum quæ CHRISTUM, *ex definito DEI conſilio pati oportuit.* At dicimus DEUM decreviſſe ut *Judæi* non minus ipſum odio & malevolentiâ hoſtili haberent, quam ut ipſum occiderent. 6. Eſto quod præſcirentur prius *juratí CHRISTI hoſtes*, antequam Deus decreverat *ut ipſi mortem inferrent*, in eo tamen ſtatu, contingenter

Corvinus contra Molinæ. c. 4. q. 5. pag. 52.

trucidarunt

trucidarunt CHRISTUM, & non est major DEI decreto necessitas occidendi, quia *præsciti erant capitales hostes CHRISTI*, quam si præsciti essent amici CHRISTI: ideoque hæc evasio Arminii non est ad rem.

Corv. cont. Molinæ c. 4. q. 5. pag 54. 55.

Sed *Corvinus* sic videt actum esse de inevitabili certitudine redemptionis mundi per tam contingens & lubricum medium, ideo addit. *Cum decretum DEI permissivum nitatur infallibili DEI præscientiæ, à quo solo impedimentum proficisci poterat, quo minus futura esset actu quæ alioqui præsciebatur certo futura, liquet causam inveniri posse, cur CHRISTVS certò moriturus sit, & si non ponatur absoluta talis voluntas, quâ absolutè DEVS decrevit ut Judæi ipsum crucifigerent. — Quasi scilicet non potuerit DEVS efficere, ut filius suus ligno affigeretur, nisi ipse homines aliquos motu determinante ad id faciendum impelleret, & quasi non posset hominibus uti CHRISTVM suâ sponte volentibus crucifigere ad illud consilium suum exequendum prout novit gloriæ suæ conveniens esse: nimis coarctas divinæ sapientiæ limites, qui vis DEVM per homines nihil efficere posse nisi quod absolutè velit, & ad quod eos præcisè determinet & impellat.*

Certitudo crucifixionis Christi per agentia libera nulla in DEO secundum placita Aversariorum.

Resp. 1. Certitudo divinæ præscientiæ non est certitudo entis & objectiva: quam nos jam quærimus, sed divinæ mentis & scientiæ certitudo. Non quærimus an DEUS præsciat CHRISTUM certo moriturum, sed an certò & inevitabiliter in se futura sit occisio CHRISTI adeoque Redemptio mundi, nisi utrumque sit à DEO absolutè decretum. Nam *Judæi* poterant absolutè CHRISTUM crucifigere vel non crucifigere, ut illi docent, nulla ergo est certitudo & inevitabilitas redemptionis nostri à DEO, aut à DEI libero decreto, si stet decretum permissivum Arminian. Quo posito vel Redemptio mundi vel non Redemptio esse potest, tota certitudo hic quanta quanta est à *Jude* proditoris, *Herodis* & *Pilati* libero arbitrio quod CHRISTUM crucifigere vel non crucifigere potest. 2. Falsum est à *solo DEO impedimentum crucifixionis proficisci*, juxta Jesuitarum doctrinam: quia à libero arbitrio crucifigentium proficisci potest. Imo impedimentum crucifixionis non est à DEO omnino: quia futura est crucifixio ante scientiæ mediæ, adeoque multo magis ante divinæ voluntatis actus, uti illi docent. 3. Nec *coarctamus sapientiam* DEI, quia docemus DEUM nihil efficere posse *inevitabili certitudine* per interventum voluntatis liberæ semper operantis

operantis ita ut possit non operari. Nam est repugnans in adjecto, quod DEUS effectus inevitabiles producere posset per media evitabilia, defectibilia, & omni modo, etiam in ordine ad DEI decretum contingentia, & contingenter operantia, quale est liberum arbitrium *Judæorum*. Ideoque necesse est hic agnoscant vel præcisam determinationem, vel aliam antecedentem indeclinabilem flexionem liberæ voluntatis creatæ. Quod funditus evertit elementa Alphabetaria Theologiæ *Jesuito-Arminianæ*.

Aliis Scripturis probatur peccatum Deo permittente decerni:

Hisce denique Scripturis alia testimonia addere possum, quibus *evincitur DEVM velle ut eveniant peccata, se permittente.* Ut (a) *Loquere Pharaoni, ut dimittat populum meum. Ego vero obdurabo cor Pharaonis, ut multiplicem signa mea in terrâ Ægypti.* (b) *A JEHOVA fuit, quod obfirmarent cor suum, ut internecioni devoveret eos. Septuaginta διὰ κυρίου ἐγένετο. Munsterus, à DOMINO fuit qui obdurabat. Vatablus. DOMINUS fecit. Arrias Montan. Quia à cum DOMINO fuit. Junius. à DOMINO enim fuit.* (c) *Non auscultarunt filii Eli voci patris sui, quia* כי (corruptissimè vertit *Corvinus* idcircò.) *Junius, Arrias Montan. Quia volebat IEHOVAH eos morte afficere.* Ita & *Vatablus.* Sic rebellis illa (d) decem tribuum à Familiâ *Davidis* defectio fuit à DOMINO. *Junius. causa fuit à DOMINO. Ar. Monta. Causa à cum DOMINO. Pagnin. Quia fuit ordinatio DEI. Vatabl. Fuit DEO Authore.* Noster *Calvinus, à DEO ordinante fuit, quod lacerareturfura unitas. Pareus. Causa erat à DEO quâ pœna peccatorum precedentium.* Sic singulari DEI ordinatione (e) *quâ voluit impium Achabum pleeti, factum ut spiritus mendacii pellexerit eum ad pugnam à DEO prohibitam, ut ibi occideretur.* Sic (f) *DEVS* iratus incitat *Davidem ad numerandum populum.* Et (g) quod *Absolomus* torum patris sui impiè polluat, id DEUS sibi adscribit. *Ego faciam id coram Sole.* (h) *Ideo spernens IEHOVAH totum semen Israelis & affligens eos, tradidit eos in manus deripientium, donec abjiciat eos à facie suâ.* (i) *Accensa, est ira* JEHOVÆ *in Israelitas, & dedidit eos in manum Chusanis.* (k) *Dedidit eos in manum Jabanis.* (l) *Dedidit eos in manus Philistheorum.* (m) *Suscitavit* DEUS *Israelis spiritum Tulis*, &c. *ut deportaret populum captivum.* (n) *Excitavit itaque* JEHOVAH *contra Iehoramum, spi-*

(a) Exo. 7. 3. 4. (b) Jos. 11. 20. Septuaginta Munsterus. Vatablus. Arri. Montan. Junius. (c) 1 Sam. 2. 25. Junius. Arri. Montan. Vatablus (d) 1 Reg. 12. 15. Junius. Ar. Monta. Pagninus. Vatablus. Calvinus instit. l. 1. c. 18. s. 4. Pareus in Bellar. castigat. de amiss. gra. l. 2. c. 8. lect. 48. (e) 1 Reg. 22. (f) 2 Sam. 24. 1. (g) 2 Sam. 12. 11. (h) 2 Reg. 17. 20. (i) Judic. 3. 8. (k) Judic. 4. 2. (l) Jud. 10. 7. (m) 1 Paral. 5. 26. (n) 2 Par. 21. 17.

ritum Philisthæorum & Arabum. Qui ascendentes contra Ichnidam, irruperunt in regionem ejus. (o) Itaque, si JEHOVAH edixit Shimeio, maledic Davidi, ecquis dicit, quare facis? sinite illum maledicere, quia edixit ei JEHOVAH. Sic David vocat impios gladium, (p) & manum DEI. (q) Tradidisti nos ut pecudes cibarias, & in Gentes sparsisti nos. (r) Mutavit DEUS animum illorum, ut odio haberent populum suum. (s) Væ Assyriæ virgæ iræ meæ, quamvis in manu baculus est indignationis meæ; In gentem hypocritam immittam ipsum, & contra populum in quem exandui dabo mandata ipsi, ut prædetur prædam, ut diripiat rapinam, ut disponat conculcationi, seu lutum platearum. (t) Ecce ego suscito contra illos Medum. Ego præcepi Sanctificatis meis, etiam vocavi potentes meos ad iram meam. (v) Nam attollens (DEUS) vexillum ad gentes è longinquo, & sibilans? advocabit ad se ab extremo terræ, ecce citò, velox adveniet exercitus. (x) Ecce ego perrecturus sum res mirificas agere cum populo isto indesinenter & admirabiles, peribit sapientia sapientum, prudentiaq; prudentum ejus se abdet. (y) Ego JEHOVAH creans lucem, & formans tenebras, faciens pacem & creans malum. Quod vero impii dominandi impulsu & libidine faciunt, id DEUS, opus suum, sed longè alio modo vocat. (z) DOMINUS dedit, & DOMINUS abstulit. (a) Ecce ego sum prophanaturus Sanctuarium meum. Chaldæi tamen Sanctuarium prophanarunt. (b) Ipse autem Propheta, cum pellectus fuerit, ut eloquatur verbum, ego JEHOVAH pellexi illum (c) Confundit sapientiam sapientum. (d) JEHOVAH miscet in medio ejus spiritum perturbatissimum, faciet ut erret Ægyptus in omni opere suo. (e) Excæcat & obdurat homines. (f) Immittit efficaciam erroris ut credant mendacio. (g) In mentem reprobam tradit. (h) Voluntas DEI est ut pii ab impiis affligantur. (i) DEUS posuit in corda hominum, ut dent regnum suum bestiæ. (k) Ut fossa profunda est os extraneorum, qui est detestationi Jehovæ cornet illuc. Hisce quam plurima alia addi possunt.

(o) 2 Sam. 16. 10, 11.
(p) Psa. 17. 13, 14.
(q) Psa. 44. 12.
(r) Psa. 105. 25.
(s) Esa. 10. 5, 6.
(t) Esa. 13. 7, 3.
(v) Esa. 5. 26.
(x) Esa. 29. 14.
(y) Esa. 45. 7.
(z) Job. 1. 21.
(a) Esa. 24. 21. Dani. 1. 2.
Psa. 89. 39.
(b) Ezech. 14. 9.
(c) 1 Cor. 1. 29.
(d) Esa. 19. 14.
(e) Rom. 11. 10.
Esa. 6. 10.
Matt. 13. 15.
(f) 2 Thes. 2. 11.
(g) Rom. 1. 28. (h) 1 Pet. 2. 8. (i) Apoc. 17. 17. (k) Prov. 22. 14.

CAPUT

CAPUT XVIII.

An, quia DEUS *impios ad diem mali condidisset, & ad peccatum permissivè præordinasset, sequatur inde* DEUM *esse peccati Authorem? Expenditur & vindicatur locus*, Prov. 16. 4. Deus omnia propter seipsum. *&c. Item loc. ad* Rom. Propter hoc ipsum excitavi te, *&c. Et loc.* 1 Petri 2. 8. *ad partes vocantur* Bellarmin. Ruiz. Lo. Mæratius, Arubal, Fasolus, & Arminiani.

Quæstio hæc convenientior videri potest disputationi de reprobatione æternâ. Sed quia *Bellarmi.* & *Remonstrantes* in quæstionibus de providentiâ litem hanc movent, eorum methodo obediendum.

II. Argumentum.

Sed antequam attingam quæstionem, secundum nostrum argumentum pro actuosâ DEI, circa peccatum, providentiâ, propono.

Qui sapiente & justâ suâ ordinatione instituit, ut omnes posteri *Adami*, nec scientes nec volentes, nec ullo actu personali ad vitandum pares nascerentur peccato originali inquinati, is voluit ut peccatum fieret, se permittente.

Atqui DEUS justâ suâ ordinatione, instituit, ut omnes posteri *Adami* sic nascerentur.

Ingressus peccati in omnes Adæ posteros probat Deum velle peccatum fieri, se permissive volente & ordinante.

Ergo DEUS voluit ut peccatum fieret, se permittente.

Major certa est: quia qui vult fluxum pœnalem peccati ab *Adamo* in omnes posteros *Adami* nondum natos manare, is vult ut in iis omnibus, permissivâ ordinatione, existat peccatum quâ pœna peccati. Atqui hoc facit DEUS. Ergo, *&c.* Major rursus probatur & confirmatur etiam assumptio primi Syllogismi. Quia DEUS ex fœdere primo, quod solo liberrimo & sapiente suo arbitrio fecit cum *Adamo*, hanc legem tulit, ut si *Adamus* peccaret, in eo peccante, peccarent omnes ipsius posteri. At hanc legem DEUS liberè tulit. 1. Quia DEUS hanc legem nullâ necessitate naturæ fecit. 2. Quia DEUS potuit, siquidem ita ei visum fuisset legem tulisse quâ, si *Adamus*

mus peccaret, ipse solus reus foret, & posteri ejus omnes innocentes nascerentur. Et cum nos nondum nati eramus, patet nullo actu personali, nos posse eum fluxum pœnalem impedire, quippe creaturam declinare pœnam à Creatore inflictam, non est possibile. Si quis dicat ex communione naturæ humanæ, quæ *Adamo* cum suis posteris, intercessit, ortum esse hunc fluxum peccati in omnes posteros ipsius. Hoc nihil ad rem. Quia communio naturarum non necessario facit communionem legis & peccati inter patrem & prolem: Non enim necessario, sed liberâ DEI institutione filius fert iniquitatem patris quoad vel reatum culpæ vel pœnæ, ut videre est. *Ezech.* 18 *Exod.* 20.

Argumentum III. *Permissio peccati in determinatum finem probat peccatum fieri Deo volente.*

Hinc Argumentum tertium. Qui permittit peccatum non in ambiguum, sed in certum & determinatum finem, quem non assequitur absque eo quod permittit, non habet se negativè ad id quod permittit, sed vult ut id quod permittit, eveniat, voluntate permissivâ. Atqui DEUS permittit peccatum non in ambiguum, sed in certum & determinatum finem, nempe, in gloriam justitiæ vindicatricis & misericordiæ condonantis.

Ergo DEUS vult ut peccatum eveniat se permittente. Major patet, cum peccatum sit certissima via ad interitum creaturæ, non potuit Deus tam nobilissimam creaturam ad interitum ruere permittere, nisi in finem certum & determinatum & in finem longè optimum, nempe, declarationem Gloriæ DEI. Ratio. Quia omnium actionum DEI tum *immanentium, & ad intra*; tum *transeuntium, & ad extra*, finis est ipse DEUS & Gloria DEI hinc *Solomon. DEVS omnia fecit propter seipsum, etiam impium ad diem mali.* Prov. 16. 4. Rom. 9. 17. ὅτι εἰς αὐτὸ τοῦτο ἐξήγειρά σε ὅπως ἐνδείξωμαι ἐν σοὶ τὴν δύναμίν μου, καὶ ὅπως διαγγελῇ τὸ ὄνομά μου ἐν πάσῃ τῇ γῇ. *Moses* Exod. 9. 16. *Propterea feci te restare.* Arrias Montan. וְאוּלָם בַּעֲבוּר זֹאת הֶעֱמַדְתִּיךָ Junius. *Propterea feci ut restares ut ostenderem in te virtutem meam, & annunciaretur nomen meum in universâ terrâ.* Hinc duæ emergunt quæstiones. Prior est an DEUS homines condat ad interitum. Alii altius à decreto, quæstionem adferunt. An homines à DEO ad interitum prædestinati sint? Posterior est an homines ad peccandum prædestinati sint. De priore hic agendum. Unde hæ distinctiones observandæ.

Distinctiones circa DEI actiones destinantis hominem ad interitum.

1. *Distinctio*

1. *Aliud est prædestinare hominem ad interitum, aliud præ-destinare hominem obedientem & rectum.*
2. *Distinctio. Alia est prædestinatio secundum actum absoluti beneplaciti, alia secundum actum justitiæ.*
3. *Aliud est DEVM prædestinare hominem ad interitum simpliciter, aliud ad interitum propter Gloriam DEI.*
4. *Aliud est finis DEI creantis & opificis, aliud creaturæ vel opificii DEI, sicut aliud est finis operantis, aliud finis operis.*
5. *Aliud est providentia naturalis, aliud supernaturalis.*
6. *Aliud est prædestinare hominem ad interitum, aliud prædestinare hominem habentem se passivè more stipitis aut trunci, dum actu demeritorio incurrit damnationem, ad interitum.*
7. *Aliud est finis conditionatus, si Adamus nunquam lapsus esset, & aliud finis absolutus in DEI æternâ Electione & Reprobatione.*

His præmissis tria faciam. 1. Nostram doctrinam proponam & propositam conclusionibus confirmabo. 2. Alteram quæstionem, eâ quâ decet, modestiâ discutiam. 3. Cavillationibus adversariorum occurram. Sit itaque hæc.

Dei intentio non terminatur simpliciter in interitum hominis.

Assertio 1. Primaria & ultimata DEI intentio non est interitus hominis, quasi DEUS ideo, & eâ de causâ crearet, ut haberet, quos perderet, & in æternum cruciaret. 1. Quia in tanto mysterio tam inexplicabili, loquendum cum scripturâ. At scriptura non dicit DEUM condidisse homines simpliciter & sine adjecto ut haberet quos cruciaret, quasi ultimatè terminaretur pia DEI voluntas in cruciatus creaturæ, sed addit DEUM eos condere PROV. 16. 4. *propter seipsum* & Pharaonem conservare non simpliciter ut perderet, sed ROM. 9. ut *annunciaretur nomen Dei & potentia in totâ terrâ*, & vasa esse coagmentata ad interitum, à DEO non simpliciter sed à DEO v. 22. *volente ostendere iram & patefacere potentiam suam.* Vide *Bezam.* 2. Quia DEUS *omnia facit propter se*, nec propter bonum vel malum, *simpliciter & ultimatè*, creaturæ. Nec creatura ulla actum finalizandi in DEI voluntatem excercere potest. 3. Sic loquuntur nostri *Beza*, uti & *Calvinus*. Hæc *loquendi formula nunquam apud me occurrit finem creationis esse æternum interitum hominis.*

Rom. 9. 17. Beza. annot. in Rom. 9. 17.

Beza cont. Castell. de æter. præd. ar. 1.

Assertio 2. Longè differunt hæ propositiones (*Deus creaturas suas ad interitum æternum destinat & creat*) & (*Deus creaturas liberas, quæ actu demeritorio pœnas peccati incurrunt, ad æternum interitum creat & destinat*)

Calvin. de occult. prædesti. art 3.

quoat prædefinire peccatum quoad formale aut materiale, ut fundat rationem malitiæ, consequens est ut in hoc testimonio, Act. 2. 23. Ubi talis prædefinitio significatur, fiat sermo de prædefinitione ejus quoad materiale materialiter sumptum, & dicendum DEVM prædefinire decreto suo absoluto et ex se efficace materiale peccati.

Respondeo. *Jejunum* hoc est actus materiales odii hominum, occisionis actus physicos esse malum pœnæ à justo Judice CHRISTO sponsori nostro inflictum. Et actus entitativos qui ex se boni sunt, esse media illa ex quibus DEUS, inscrutabili providentiæ abysso, redemptionem generis humani elicuerit.

Exceptio 4. Corvinus contra Molinæ c. 4. q. 4. pag. 50. Armi. Antiperkinſ pag 696. edit. Bertii. Arminius fatetur juratorum hostium CHRISTI peccata a Deo decerni. Ledesm. de auxil. divinæ gra. in 1 2. q. 29. ar. 2. dub. 2. conc. 4. Fr. Suvius Duaci. An. 1609. apud Marcum Wyon. m. 40. part. 4. art. 4. Bradwardi. de causâ DEI l. 1. c. 32. Auguſt. de prædeſt. ſanc. l. 1. c. 29.

Quartò. *Corvinus cum suo Arminio Antiperkinsi* replicant. *Non hic dici illud ipsum quod ab hominibus scelerate patratur, à DEO juste & sapienter decerni, & homines violantes mandatum DEI, arcano ejus consilio servire, nec hic docerri* (ait *Arminius*) *DEVM voluisse ut Judæi ipsum trucidarent, sed tantum DEVM præordinavisse filium suum tradere in manus ipsorum hostium, ut ab iis pateretur, quæ DEVS illi imposuerat, & quæ Judæi pro suâ malitiâ & odio adversus CHRISTVM inferrentur; At quales DEVS consideravit illos, quum præordinavit ut hoc fieret? sane quales tum temporis, erant, cum CHRISTO mortem inferrent, nempe, inimici CHRISTI jurati. —— Cæterum nulla hic apparet DEI actio, qua impulsi sunt aut moti ad volendum & agendum, quod voluerunt.*

Respondeo 1. Nec nos docemus illud idem per omnia quod ab hominibus scelerate fit, à DEO juste decerni. *In ordine ad DEVM* (inquit *Ledesma*) *sunt actiones bonæ & religiosæ. In ordine ad ministros. gravissima sunt peccata. In ordine ad DEVM efficientem* (inquit *Francisc. Silvius Duscenesis*) *sunt bona in ordine ad homines qui tenentur tales defectus vitare, sunt actiones culpabiles.* Ita & *Bradwardin.* Ita *Auguſtin.* vult id quod est præter DEI voluntatem non esse contra ejus voluntatem. 2. Si traditus est CHRISTUS, DEO volente, hostibus, hæc traditio ex parte *Judæ* proditoris & hostium capientium erat peccatum gravissimum, ἐκδοσιν κακίσιον ut vox affinis sonat. *Ioan.* 3. 16. *Rom.* 8 16. At quæro, quo fine ex parte DEI traditus est? Respondet *Armin. Ut ab hostibus pateretur, quæ DEVS illi imposuit,* hoc est, vulnera, scommata, alapas, manuum & pedum perforationem, & denique maledictam mortem crucis. Voluit ergo DEUS & intendit occisionem Filio suo, & omnia illa

quæ

quæ per sceleratas manus passus est, & quidem determinato consilio DEI. At non dicerent, opinor, DEUM tradidisse Filium suum Sicariis eo fine & intentione ut manus abstinerent à fundendo sanguine innocuo Filii DEI. DEUS istum finem & simul Redemptionem mundi per effusum sanguinem Filii DEI, non potuit intendere. Atqui intendit Redemptionem mundi in tradendo Filio suo. JOAN. 3. 16. Nam id satis patet eâ ratione. *Non mea, sed tua fiat voluntas.* Voluntatem DEI fuisse ut CHRISTUS calicem illum biberet. 3. *Præordinavit DEVS* (inquit *Arminius*) *ut mors inferretur à* Judæis, *sed quales tum erant? nempe, jurati hostes CHRISTI.* Sed quid hoc ad rem? Nam Sanctum Israelis non magis à societate sceleris liberabis, si dicas DEUM præordinasse voluntate approbante ut hostes jurati CHRISTI mortem ipsi nefariam inferrent, quam si dicas DEUM eâdem voluntate præordinavisse ut amici CHRISTI ipsi mortem nefariam inferrent: DEUS enim non magis est Author peccatorum à Diabolis, quam ab innocentibus Angelis commissorum. 4. Vanum est quod dicat *Arminius. Nullam hic actionem esse quâ impulsi sunt ad peccandum.* Nam decretum DEI, cum realiter non influat in actum liberum, non addit impulsum voluntati ad peccandum, sed ponit futurum aliquando esse impulsum prædeterminativum in voluntate, quâ ipsa ad actum, salvâ libertate prædeterminaretur, sed nullo modo ad malitiam.

5. *Exceptio.* Corvini. ib. Mæratius tom. 1. tract. de peccat. disp. 11. sect. 3.

Quinto excepit *Corvinus, mortem Christi non evenisse inevitabiliter respectu Judæorum, nam etsi Deus decreverat absolute ut Christus moreretur, decrevit tamen eum morti tradere per tales, qui sua sponte ac libera voluntate Dei consilium erant executuri: poterat enim alia ratione, & multis modis (quos in Thesauris suæ sapientiæ habuit reconditos) id effectum dare.*

Mors Christi hæc eadem numero quam per hæc eadem numero mala instrumenta perpessum est, unico absoluto & fixo decreto statuta est, non conditionate & sub disjunctione, ut statuunt cum Corvino Arminiani.

Respond. Magis congruenter doctrinæ Jesuiticæ dicit *Lod. Mæratius* Jesuita *Deum non habuisse efficax & absolutum decretum de crucifigendo filio suo, priusquam quicquam decreverit de mediis, justè ne, an injustè fieret.* Imo omnia agentia possunt non agere, & non crucifigere illum, non enim *habet Deus in Thesauris suæ sapientiæ reconditos modos quibus contradictoria esse simul* vera efficere queat, at ut agentia libera absolutè determinentur ad crucifigendum CHRISTUM implicat contradictionem, nam agens liberum

sic non esset indifferens ad agendum vel non agendum, posito decreto absoluto, & sic si stet Theologia Jesuitica, esset non agens liberum, vel rescindi & retractari posset decretum absolutum, quæ omnia sunt absurda. 2. Est somnium plane Chymericum, DEUM, bis aut ter aut sæpius decrevisse ut *Christus moreretur* & quidem absolute vel etiam conditionatè. Nam 1. sic decrevit absolute crucifixionem, vel potius mortem filii DEI nihil dum comperti habens de mortis genere, an cruce, an lapidatione, an tumultu populari moreretur, nihil in hoc momento sciens de ministris & satellitibus, insteté an injuste & ὑπὸ χειρῶν ἀνόμων moreretur, sic enim prius decreverit mortem, confusè & in genere, deinde prospiciens specillis *scientiæ mediæ* hæc vel illa agentia libera filium suum morti non adacturа, & hæc iterum non adacturа, ideoque DEUM secunda & maturiore cogitatione, & tertiâ & quartâ forte curâ concoctiore prospexisse eum cruci affigendum per *Judam proditorem*, *Herodem*, *Pilatum*, *& tum* secunda vice, tertiâ, aut forte quarta (quis enim in causis defectibiliter operantibus numerare omnes revolutiones & defectus potest?) & tum DEUM ultimum fixum decretum permissivum posuisse de hâc eâdem numero morte, quam per hæc determinata instrumenta & organa diaboli, perpessus est. Sic DEUS decrevit prima vice *ut Christus moreretur & quidem absolutè* (inquit *Arnold. Corvin.*) Secundo, ut moreretur per agentia libera peccare permissa, & hoc decretum necessario fuit conditionatum, si non corruat fides Arminiana. Et tertia vice, DEUS præscians hæc instrumenta infallibiliter cum morti adacturа, fixe voluit ut hanc numero mortem, quam perpessus est, & non aliam subiret: at Scriptura ait omnia quæ perpessus est CHRISTUS, fixo unico DEI decreto esse statura. *Mortuus est semel in fine mundi.* Ergo hęc mors semel à DEO decreta fuit. Hęc numero eadem mors definito DEI consilio & præcognitione ordinata fuit: *Act.* 2. 23. *Act.* 4. 27. quin

Heb. 9. 26. Luc. 24. 26. Joa. 19. 36. 37. 24. Mat. 27. 35. 42. 43.

imo *nonne hæc, talia ideo magis oportuit eum pati?* nonne Spiritus Sanctus *lateris fossionem*, *tarum non fractionem*, *vestium partitionem*, *hostiam subfumationem*, &c. dissertis verbis impletioni Scripturarum adeoque DEI decreto & fixæ constitutioni adscribit? adeo ut omnia hæc eadem numero vulnera, mors, scommata, opprobria, sitis, lassitudo, quæ per hæc eadem numero organa diaboli subivit sanctissima innocentia ipsa, à DEO semel decreta certo certius fit. DEUM

um itaque ignarum futurorum, ancipitem, fluctuantem, à creaturis & earum actibus liberis rationem novam suorum decretorum mendicantem, & quasi in arena pro re natâ consilium novum capientem & plane Anthropomorphiticum fixit vanus homo *Corvinus* cum Arminianis, dum dicit. *Quare dicendum DEVM certâ & determinatâ voluntate decrevisse ut CHRISTVS moreretur, sed ut isti Judæi CHRISTVM occiderent qui illum occiderunt, non est constitutum decreto exercitico, sed permissivo, ideoque dicimus mortem CHRISTI contingentem esse quando respicitur ad modum & personas per quas in mortem traditus est.* Sed. 1. eadem numero crucifixio, quæ obtigit CHRISTO sic etiam respectu decreti permissivi Arminiani est planè fortuita & casualis. 2. Bis decreta est mors CHRISTI semel determinata voluntate, & sic non potuit non mori, quia rescindi non potest hæc voluntas, estque mors necessaria: Et semel decreta est mors ejus *decreto permissivo* quæ relinquit voluntati crucifigentium omnimodam indifferentiam crucifigendi vel non crucifigendi. At quod unum & idem etiam respectu decreti DEI partim determinati, partim permissivi sit & necessarium & contingens sempiternam clamat contradictionem, præsertim Adversariorum auribus. 3. Sic decretum DEI absolutum rescindi potuit, quicquid Arminianis est contingens potest nunquam esse? at mors CHRISTI *Corvino* est contingens. 3. Potuit nunquam redimi mundus hac Redemptione eadem numero quæ est in CHRISTO JESU. *Rom.* 3. 24, 25. 1 *Pet.* 1. 18, 19. *Ephes.* 1. 7. Siquidem ita visum fuisset libero arbitrio indifferenti *Judæ proditoris*, *Herodis* & *Pilati*. Vah quam lubrica providentia. 4. Eandem numero mortem CHRISTI decretam fuisse decreto & absoluto & simul permissivo implicat contradictionem. Quia potuit sic mors ejus esse & non esse, & non potuit non esse respectu unius & ejusdem divinæ voluntatis. 5. Vanum est quod dicit *Arminius, DEVM non decrevisse ut CHRISTVS pateretur antequam præsciret Judæos esse juratos CHRISTI hostes quia* odium & malevolentiâ hostilis Judæorum est non pars minima eorum quæ CHRISTUM, *ex definito DEI consilio pati oportuit.* At dicimus DEUM decrevisse ut *Judæi* non minus ipsum odio & malevolentiâ hostili haberent, quam ut ipsum occiderent. 6. Esto quod præscirentur prius *jurati CHRISTI hostes*, antequam Deus decreverat *ut ipsi mortem inferrent*, in eo tamen statu, contingenter

Corvinus contra Molinæ. c. 4. q. 5. pag. 52.

trucidarunt

trucidarunt CHRISTUM, & non est major DEI decreto necessitas occidendi, quia *præsciti erant capitales hostes CHRISTI*, quam si præsciti essent amici CHRISTI: ideoque hæc evasio Arminii non est ad rem.

Corv. cont. Molinæ c. 4. q. 5. pag 54. 55.

Sed *Corvinus* sic videt actum esse de inevitabili certitudine redemptionis mundi per tam contingens & lubricum medium, ideo addit. *Cum decretum DEI permissivum nitatur infallibili DEI præscientiæ, à quo solo impedimentum proficisci poterat, quo minus futura esset actu quæ alioqui præsciebatur certo futura, liquet causam inveniri posse, cur CHRISTVS certò mortuus sit, & si non ponatur absoluta talis voluntas, quâ absolutè DEVS decrevit ut Judæi ipsum crucifigerent. — Quasi scilicet non potuerit DEVS efficere, ut filius suus ligno affigeretur, nisi ipse homines aliquos motu determinante ad id faciendum impelleret, & quasi non posset hominibus uti CHRISTVM suâ sponte volentibus crucifigere ad illud consilium suum exequendum prout novit gloriæ suæ convenire esse: nimis coarctas divinæ sapientiæ limites, qui vis DEVM per homines nihil efficere posse nisi quod absolutè velit, & ad quod eos præcisè determinet & impellat.*

Certitudo crucifixionis Christi per agentia libera nulla in DEO secundum placita Aversariorum.

Resp. 1. Certitudo divinæ præscientiæ non est certitudo entis & objectiva: quam nos jam quærimus, sed divinæ mentis & scientiæ certitudo. Non quærimus an DEUS præsciat CHRISTUM certo moriturum, sed an certò & inevitabiliter in se futura sit occisio CHRISTI adeoque Redemptio mundi, nisi utrumque sit à DEO absolutè decretum. Nam *Judæi* poterant absolutè CHRISTUM crucifigere vel non crucifigere, ut illi docent, nulla ergo est certitudo & inevitabilitas redemptionis nostri à DEO, aut à DEI libero decreto, si stet decretum permissivum Arminian. Quo posito vel Redemptio mundi vel non Redemptio esse potest, tota certitudo hic quanta quanta est à *Judæ* proditoris, *Herodis* & *Pilati* libero arbitrio quod CHRISTUM crucifigere vel non crucifigere potest. 2. Falsum est à *solo DEO impedimentum crucifixionis proficisci*, juxta Jesuitarum doctrinam: quia à libero arbitrio crucifigentium proficisci potest. Imo impedimentum crucifixionis non est à DEO omnino: quia futura est crucifixio ante scientiæ mediæ, adeoque multo magis ante divinæ voluntatis actus, uti illi docent. 3. Nec *coarctamus sapientiam* DEI, quia docemus DEUM nihil efficere posse *inevitabili certitudine* per interventum voluntatis liberæ semper operantis

operantis ita ut possit non operari. Nam est repugnans in adjecto, quod DEUS effectus inevitabiles producere posset per media evitabilia, defectibilia, & omni modo, etiam in ordine ad DEI decretum contingentia, & contingenter operantia, quale est liberum arbitrium *Judæorum*. Ideoque necesse est hic agnoscant vel præcisam determinationem, vel aliam antecedentem indeclinabilem flexionem liberæ voluntatis creatæ. Quod funditus evertit elementa Alphabetaria Theologiæ *Jesuito-Arminianæ*.

Aliis Scripturis probatur peccatum Deo permittente decerni.

Hisce denique Scripturis alia testimonia addere possum, quibus *evincitur DEVM velle ut eveniant peccata, se permittente.* Ut (a) *Loquere Pharaoni, ut dimittat populum meum. Ego vero obdurabo cor Pharaonis, ut multiplicem signa mea in terrâ Ægypti.* (b) *A JEHOVA fuit, quod obfirmarent cor suum, ut interæcioni devoverentur eos. Septuaginta* διὰ κυρίου ἐγένετο. *Munsterus, à DOMINO fuit qui obdurabat. Vatablus. DOMINUS fecit. Arrias Montan. Quia à cum DOMINO fuit. Junius. à DOMINO enim fuit.* (c) *Non auscultarunt filii Eli voci patris sui, quia* לֹא (corruptissimè vertit *Corvinus* idcircò.) *Junius, Arrias Montan. Quia volebat IEHOVAH eos morte afficere.* Ita & *Vatablus.* Sic rebellis illa (d) decem tribuum à Familiâ *Davidis* defectio fuit à DOMINO. *Junius. causa fuit à DOMINO. Ar. Monta. Causa à cum DOMINO. Pagnin. Quia fuit ordinatio DEI. Vatabl. Fuit DEO Authore.* Noster *Calvinus, à DEO ordinante fuit, quod lacerarentur sacra unitas. Pareus. Causa erat à DEO quâ pœna peccatorum præcedentium.* Sic singulari DEI ordinatione (e) *quâ voluit impium Achabum pletti, factum ut spiritus mendacii pellexerit eum ad pugnam à DEO prohibitam, ut ibi occideretur.* Sic (f) *DEVS* iratus incitat *Davidem ad numerandum populum.* Et (g) quod *Absolomus* torum patris sui impiè polluat, id DEUS sibi adscribit. *Ego faciam id coram Sole.* (h) *Ideo spernens IEHOVAH totum semen Israelis & affligens eos, tradidit eos in manus deripientium, donec abjiciat eos à facie suâ.* (i) *Accensa, est ira* JEHOVÆ *in Israelitas, & dedidit eos in manum Chusanis.* (k) *Dedidit eos in manum* Jabanis. (l) *Dedidit eos in manus Philistbæorum.* (m) *Suscitavit* DEUS *Israelis spiritum Fulis, &c. ut deportaret populum captivum.* (n) *Excitavit itaque* JEHOVAH *contra Iehoramum, spi-*

(a) Exo.7. 3, 4. (b) Jos.11. 20. Septuaginta Munsterus. Vatablus. Arri. Montan. Junius. (c) 1 Sam. 2. 25. Junius. Arri. Montan. Vatablus (d) 1 Reg. 12. 15. Junius. Ar. Monta. Pagninus. Vatablus. Calvinus instit. l. 1. c. 18. s. 4. Pareus in Bellar. castigat. de amiss. gra. l. 2. c. 8. lect. 48. (e) 1 Reg. 22. (f) 2 Sam. 24. 1. (g) 2 Sam. 12. 11.

(b) 2 Reg. 17. 20. (i) Judic. 3. 8. (k) Judic. 4. 2. (l) Jud. 10. 7. (m) 1 Paral. 5. 26. (n) 2 Par. 21. 17.

ritum Philisthæorum & Arabum. Qui ascendentes contra Iehudam, irruperunt in regionem ejus. (o) Itaque, si JEHOVAH edixit Shimeio, maledic Davidi, ecquis dicit, quare facis? sinite illum maledicere, quia edixit ei JEHOVAH. Sic David vocat impios gladium, (p) & manum DEI. (q) Tradidisti nos ut pecudes cibarias, & in Gentes sparsisti nos. (r) Mutavit DEUS animum illorum, ut odio haberent populum suum. (s) Væ Assyriæ virgæ iræ meæ, quamvis in manus baculus est indignationis meæ; In gentem hypocritam immittam ipsum, & contra populum in quem exardui dabo mandata ipsi, ut prædetur prædam, ut diripiat rapinam, ut dissonat conculcationi, seu lutum platearum. (t) Ecce ego suscito contra illos Medum. Ego præcepi Sanctificatis meis, etiam vocavi potentes meos ad iram meam. (v) Nam attollens (DEUS) vexillum ad gentes è longinquo, & sibilans advocabit ad se ab extremo terræ, ecce citò, velox adveniet exercitus. (x) Ecce ego perfecturus sum res mirificas agere cum populo isto indesinenter & admirabiles, peribit sapientia sapientum, prudentiaq; prudentum ejus se abdet. (y) Ego JEHOVAH creans lucem, & formans tenebras, faciens pacem & creans malum. Quod vero impii dominandi impulsu & libidine faciunt, id DEUS, opus suum, sed longè alio modo vocat. (z) DOMINUS dedit, & DOMINUS abstulit. (a) Ecce ego sum prophanaturus Sanctuarium meum. Chaldæi tamen Sanctuarium prophanarunt. (b) Ipse autem Propheta, cum perfectus fuerit, ut eloquatur verbum, ego JEHOVAH pellexi illum (c) Confundit sapientiam sapientum. (d) JEHOVAH misçet in medio ejus spiritum perturbatissimum, faciet ut erret Ægyptus in omni opere suo. (e) Excæcat & obdurat homines. (f) Immittit efficaciam erroris ut credant mendacio. (g) In mentem reprobam tradit. (h) Voluntas DEI est ut pii ab impiis affligantur. (i) DEUS posuit in corda hominum, ut det regnum suum bestiæ. (k) Ut fossa profunda est os extraneorum, qui est detestationi Jehovæ cornet illuc. Hisce quam plurima alia addi possunt.

(o) 2 Sam. 16. 10, 11.
(p) Psa. 17. 13, 14.
(q) Psa. 44. 12.
(r) Psa. 105. 25.
(s) Esa. 10. 5, 6.
(t) Esa. 13. 7, 3.
(v) Esa. 5. 26.
(x) Esa. 29. 14.
(y) Esa. 45. 7.
(z) Job. 1. 21.
(a) Esa. 24. 21. Dani. 1. 2. Psa. 89. 39.
(b) Ezech. 14. 9.
(c) 1 Cor. 1. 29.
(d) Esa. 19. 14.
(e) Rom. 11. 10. Esa. 6. 10. Mat. 13. 15.
(f) 2 Thes. 2. 11.
(g) Rom. 1. 28.
(h) 1 Pet. 2. 8.
(i) Apoc. 17. 17.
(k) Prov. 22. 14.

CAPUT

CAPUT XVIII.

An, quia DEUS *impios ad diem mali condidisset, & ad peccatum permissivè præordinasset, sequatur inde* DEUM *esse peccati Authorem? Expenditur & vindicatur locus*, Prov. 16. 4. Deus omnia propter seipsum. *&c. Item loc. ad* Rom. Propter hoc ipsum excitavi te, *&c. Et loc.* 1 Petri 2. 8. *ad partes vocantur* Bellarmin. Ruiz. Lo. Mæratius, Arubal, Fasolus, & Arminiani.

Quæstio hæc convenientior videri potest disputationi de reprobatione æternâ. Sed quia *Bellarmi.* & *Remonstrantes* in quæstionibus de providentiâ litem hanc movent, eorum methodo obediendum.

Sed antequam attingam quæstionem, secundum nostrum argumentum pro actuosâ DEI, circa peccatum, providentiâ, propono. II. Argumentum.

Qui sapiente & justâ suâ ordinatione instituit, ut omnes posteri *Adami*, nec scientes nec volentes, nec ullo actu personali ad vitandum pares nascerentur peccato originali inquinati, is voluit ut peccatum fieret, se permittente.

Atqui DEUS justâ suâ ordinatione, instituit, ut omnes posteri *Adami* sic nascerentur. *Ingressus peccati in omnes Adæ posteros probat Deum velle peccatum fieri, se permissive volente & ordinante.*

Ergo DEUS voluit ut peccatum fieret, se permittente.

Major certa est: quia qui vult fluxum pœnalem peccati ab *Adamo* in omnes posteros *Adami* nondum natos manare, is vult ut in iis omnibus, permissivâ ordinatione, existat peccatum quâ pœna peccati. Atqui hoc facit DEUS. Ergo, *&c.* Major rursus probatur & confirmatur etiam assumptio primi Syllogismi. Quia DEUS ex fœdere primo, quod solo liberrimo & sapiente suo arbitrio fecit cum *Adamo*, hanc legem tulit, ut si *Adamus* peccaret, in eo peccante, peccarent omnes ipsius posteri. At hanc legem DEUS liberè tulit. 1. Quia DEUS hanc legem nullâ necessitate naturæ fecit. 2. Quia DEUS potuit, siquidem ita ei visum fuisset legem tulisse quâ, si *Adamus*

1. *Aliud est prædestinare hominem ad interitum, aliud prædestinare hominem obedientem & rectum.*
2. *Distinctio. Alia est prædestinatio secundum actum absoluti beneplaciti, alia secundum actum justitiæ.*
3. *Aliud est DEVM prædestinare hominem ad interitum simpliciter, aliud ad interitum propter Gloriam DEI.*
4. *Aliud est finis DEI creantis & opificis, aliud creaturæ vel opificii DEI, sicut aliud est finis operantis, aliud finis operis.*
5. *Aliud est providentia naturalis, aliud supernaturalis.*
6. *Aliud est prædestinare hominem ad interitum, aliud prædestinare hominem habentem se possivè more stipitis aut trunci, dum actu demeritorio incurrit damnationem, ad interitum.*
7. *Aliud est finis conditionatus, si Adamus nunquam lapsus esset, & aliud finis absolutus in DEI æternâ Electione & Reprobatione.*

His præmissis tria faciam. 1. Nostram doctrinam proponam & propositam conclusionibus confirmabo. 2. Alteram quæstionem, eâ quâ decet, modestiâ discutiam. 3. Cavillationibus adversariorum occurram. Sit itaque hæc.

Dei intentio non terminatur simpliciter in interitum hominis.

Assertio 1. Primaria & ultimata DEI intentio non est interitus hominis, quasi DEUS ideo, & eâ de causâ crearet, ut haberet, quos perderet, & in æternum cruciaret. 1. Quia in tanto mysterio tam inexplicabili, loquendum cum scripturâ. At scriptura non dicit DEUM condidisse homines simpliciter & sine adjecto ut haberet quos cruciaret, quasi ultimatè terminaretur pia DEI voluntas in cruciatus creaturæ, sed addit DEUM eos condere PROV. 16. 4. *propter seipsum* & Pharaonem conservare non simpliciter ut perderet, sed ROM. 9. ut *annunciaretur nomen Dei & potentia in totâ terrâ*, & vasa esse coagmentata ad interitum, à DEO non simpliciter sed à DEO v. 22. *volente ostendere iram & patefacere potentiam suam.* Vide *Bezam.* 2. Quia DEUS *omnia facit propter se*, nec propter bonum vel malum, *simpliciter & ultimatè*, creaturæ. Nec creatura ulla actum finalizandi in DEI voluntatem exercere potest. 3. Sic loquuntur nostri *Beza*, uti & *Calvinus*. Hæc *loquendi formula nunquam apud me occurrit finem creationis esse æternum interitum hominis.*

Rom. 9. 17. Beza. annc. in Rom. 9. 17.

Beza cont. Castell. de æter. prædar. 1. Calvin. de occult. prædest. art 3.

Assertio 2. Longè differunt hæ propositiones (*Deus creaturas suas ad interitum æternum destinat & creat*) & (*Deus creaturas liberas, quæ actu demeritorio pœnas peccati incurrunt, ad æternum interitum creat & destinat*)

Deum creaturas simpliciter, & creaturas liberas ad interitum destinare differunt.

Hos. 11.

stinat) Prior propositio nihil habet in se repugnans divinæ justitiæ, sed de facto à nobis non asseritur. Sed Posterior est nostra. 1. Quia DEUM destinare creaturas simpliciter aut creaturas libertatis expertes & passivè se habentes in viâ ad interitum, ad æternum exitium faceret DEUM primarium exitii creaturarum authorem. *At perditio nostra est ex nobis & salus ex Deo.* At DEUM intendere negare gratiam creaturæ quam ei minimè debet, ut creatura sic derelicta justissimè commereatur æternum exitium, & sic intendere ut in creaturâ, liberè peccante, patefiat gloria justitiæ, nihil habet in se repugnans DEI bonitati. 1. Quia excitatur à DEO *Pharaoh*, ut patefiat in eo gloria potentiæ, ROM 9.17. 2. Talis potentiæ declaratio in terreno figulo licita esset. Ergo multo magis non est ea DEO indigna. 3. Quia DEUS miseretur quorum vult, quos vult, indurat.

Assertio 3. DEUS *Pharaonem* destinat, & *condit impios ad diem mali* ut illustretur gloria potentiæ, justitiæ, misericordiæ, voluntate absolutâ, id est quæ soluta sit ab omni conditione conditionante, restringente & determinante talem DEI voluntatem. 1. Quia DEI voluntas causam aut conditionem ipsam conditionantem non magis habet, quam ipse DEUS. 2. Quia nulla est in luto conditio aut ratio determinans voluntatem figuli ad fingendum hoc vas ad honorem, illud ad dedecus. At vero DEUS non destinat homines ad exitium voluntate tali quæ soluta sit ab omni conditione quæ necessario, licet etiam libere, ponenda sit in homine, qui actu pervenit ad metam vel terminum vel objectum illius destinationis. DEUS enim non destinat homines ad exitium sive futuri sint peccatores, sive non. Imò hi duo actus eodem decreto includuntur, nempe destinatio hominis ad æternum interitum, & volitio permittendi hominem ut finaliter peccet: non est itaque destinatio DEI absoluta vel ex parte materiæ, vel objecti seu termini ad quem: quia DEUS non destinat ad interitum, nisi hominem qui futurus est finaliter impœnitens nec destinat quemquam nisi ad conditionatum interitum, id est talem interitum quem, actu malo, demerito, homo destinatus improbâ suâ vitâ sibi justissime procurat.

Calvin. in Catech. sua. q. 1.

Assertio 4. Non est difficile nostrorum Theologorum sententias de fine conditi humani generis specie tantum, non reipsa discrepantes conciliare. *Calvinus* ait *principalem & præcipuum humanæ vi-*

ta

tæ scopum esse, ut Deum homò agnoscat. Beza ait *finem creationis esse ut Deum colamus.* *Et Catechesi. Heidilburg.* ait *Deum homines condidisse ut Creatorem suum cognoscerent, diligerent, cum eo in æternum beati viverent.* Et nostra *Catecheseis Alphabet. Puerorum*, dicit nos eo fine creatos, *ut Deum glorificaremus & ei inserviremus.* Et idem *Calvin. homines non pari conditione creari omnes: sed aliis* (inquit) *vita æterna, aliis damnatio æterna præordinatur. Itaque prout in alterutrum finem quisque conditus est, ita vel ad vitam vel ad mortem prædestinatum dicimus.* *Joan. Piscator* vero *multos ad æterna supplicia creari* contendit. *Et Deum omnes in uno creasse, sed non in uno fine.* D. *Pareus affirmo* (inquit) *omnes uno fine conditos in Adamo, ut ramos in stirpe; sed cum conditione, si Adam in imagine Dei ipse staret eamque ad posteros, propagaret — verum quia hæc conditio neque in consilio Dei erat posita, neque in eventu ponenda, à posteriore coguntur negare, Deum nempe omnes homines ad salutem condidisse.* Quia alius est finis moralis continens moralem obligationem ad officium à nobis præstandum. Et sic rectè *Calvinus, Beza & Catecheseis* docent finem creationis esse *ut* Deo *inserviremus*, unde reportassent omnes vitæ æternæ præmium. Hoc modo condidit Deus omnes ad salutem *interpretativè & in causa, ut in conditione*, quæ tamen nunquam est ponenda. Et alius est *finis Physicus* à Deo efficiendus per gratiam efficacem. Talis finis est cultus Dei per Dei gratiam in omnibus efficiendus. Hoc sensu *Calvin.* & nostri recte docent non omnes à Deo creatos esse ad æternam salutem, sed alios ad exitium, alios ad æternam salutem. Deinde *alius est finis naturæ* creatæ seu opificii, *alius est finis Dei Creantis*, nam finem operis à fine operantis distinguunt *Docti.* Sic finis naturæ & creationis est, ut omne animal generet sibi simile, ignis tendat sursum, imbres terram fœcundent, feræ homini inserviant: hæc enim ex natura opificii creati destinata sunt ad hos fines. At vero in multis individuis, longè alius est Dei creantis finis, Deus enim in quibusdam intendit ut monstra generentur, ut ignis deorsum ad consumendos *Sodomitas* tendat, imbres fœta putredine exedant, leones devorent peccatores, & à *Daniele* devorando etiam famelici abstineant, sed finis humani generis conditi, nempe finis operis quem postulat natura opificii rationalis creaturæ est ut homines *Deo inserviunt, & cum eo in æternum beati vivent*: ut loquitur *Catecheses*; At is non est finis Dei qui hominem labi permisit & quidem ex æterno

Beza inqu. de Christ. relig. q. 2. Catech. Heidelbur. q. 6. Cateches. Alphab. Pueror. Piscato. ad ami. Dupl. Vors. pag. 347. Contr. An. Shaaftman. pro. 29. Pareus in Miscella. Catech. q. 5. pag. 139, 140.

Alius est finis moralis, alius Physicus.

Alius etiam est finis creationis & opificii, alius finis DEI Creatoris & opificis.

suo decreto, & nonnullos finaliter deficere à Deo: quia filii sui incarnationem & declarationem justitiæ suæ fines longè eminentissimos decrevit & intendit.

Actio destinandi creaturas ad interitum, non est actio Dei Juridica & forensis.

Assertio 5. Actus Dei quosdam ad interitum destinantis non est actio Dei juridica in subsellio justitiæ sedentis, & post causam judicialiter cognitam sententiæ dictio, quia hæc actio præsupponit creaturæ peccatricis demeritum, sed est actus absoluti beneplaciti quo Deus apud se more supremi figuli in liberrimo & sapiente decreto statuit quid faciendum sit circa finalem creaturæ rationalis statum, & quid permitteret mali culpæ aut non permitteret faciendum; antequam enim supremus figulus hoc vas luteum & fragile conderet, ratio postulat, ut Deus cum sit agens intellectuale & sapientissimum, de fine præconstituto in talis creaturæ conditura statueret aliquid. Nam 1. nemo sapiens domum edificat, nemo opus exstruit, nisi propter finem rationalem. 2. Quia expresse *Ro. 9.* Deus quædam vasa ad honorem, quædam ad dedecus facit.

Providentiæ Dei supernaturalis de ultimo fine hominis.

Assertio 6. Non docemus Deum hominem rectum, justum & obedientem ad exitium destinare, & quidem providentiâ naturali aut ordinis naturalis providentiâ, sed docemus Deum ordinasse hominem simpliciter ad declarationem gloriæ justitiæ vindicatricis, ordinis supernaturalis providentiâ. Quia si respiciamus providentiam illam Dei eminentissimam super ordinariam quam Deus in bruta & res inanimes exercet, æquum est ut de homine nondum condito in signo rationis ante conditionem aliquid statuit, nempe ne tam nobilem creaturam vel propter nullum finem condat, vel propter eum finem, quem præscit se nunquam assecuturum, quorum neutrum in virum sapientem, ne dum in Deum sapientissimum cadere potest. Unde noster *Calvinus* sic argumentatur.

Calvin. Inst. l. 3. c. 33. §. 7.

Qui condit nobilissimam creaturam non in ambiguum sed in certum & determinatum finem, nempe ut patefiat gloria justitiæ punitivæ, is potest condere & condit non nullos ad interitum: atqui Deus posterius facit. Ergo &c.

Bellar. de amiss. gr. l. 2. c. 17.

Bellarmin. Respondet. *Non sequi hominem ambiguo fine à Deo creari, & si daremus Deum non præsciviſſe quid homo facturus esset, si conderetur, quia creavit hominem ad gloriam suam, an homo autem misericordiam & justitiam esset experturus, ambiguum aliquo modo fuisset; sed absque detrimento*

trimento gloriæ DEI. Resp. 1. Non quæritur an DEUS hominem ad suam gloriam creârit, id enim utrinque conceditur, sed quæritur an DEUS hominem ad suam gloriam creârit determinatam, nempe gloriam justitiæ punientis, si DEUS nullos ad interitum destinavit, ut ait *Bellarm.* cum suis: illi enim docent DEUM ad determinatam gloriam justitiæ vindicatricis videlicet ostendendam, neminem destinavisse, sed Deum in creatione hominis intendisse suam gloriam, nempe vel gloriam speculativè declarandam citra permissum peccatum, vel gloriam praxi experimentali manifestandam, sed sub confusâ disjunctione, in gloriæ misericordiæ declaratione, si homines crederent & resipiscerent, vel divinæ justitiæ gloriæ patefactione, si non crederent, & resipiscerent, credere autem vel non credere est in arbitrio hominum indifferente situm, secundum illos. 2. Concedit *Bellarmin. aliquo modo ambiguum esse, an homo experturus esset gloriam justitiæ*, si non obediret, vel misericordiæ, si obediret. Sed 1. rectè observat *Pareus* ib. *Hoc repugnat immensæ atque immutabili DEI sapientiæ.* Psal. 147. *Sapientiæ ejus non est numerus.* Rom. 11. *O profundas divitias sapientiæ & cognitionis DEI.* Humini potest aliquid esse ambiguum, nihil DEO Omniscienti ambiguum, nisi aliquod scibile effugiat infinitam DEI cognitionem. 3. Absurdum est DEUM condidisse hominem sic, quasi omnipotens similis esset sagittario collimanti in duos scopos, qui sagittam indeclinabili motione dirigere non posset, sed si hoc scopo excideret, in illum forte fortunâ incideret; aut haud absimilis nauclero terreno qui motiones & flatus ventorum minimè determinare posset, ideoque si hoc portu malâ & adversâ ventorum fortunâ minimè potiri liceret, in aliquod aliud littus, non sine jacturâ naufragii impelleretur; & hoc DEO indignissimum est. 4. Malè negat *Bellarmi. Sequi DEUM ambiguo fine condidisse hominem*, si non præscivit DEUS in decreto suo permissivo, quid homo facturus esset, si conderetur; quia actus contingentes & liberi qui ex æquo possunt esse vel non esse, non sunt scibiles, nisi in aliquâ causâ determinata. Hæc autem nulla alia est quam decretum DEI liberum.

Deum non in ambiguum sed in certum & determinatum finem hominem condidisse.

Pareus in Bellar. Castig. l. 2. de amiss. c. 17. sect 59.

Quatenus Augustinus *negat homines creatos ut pereant.* Remonstr. synod. in script. dordra. ar. 1. pag. 243.

Haud ignoro *Arminianos* objicere illud *Augustini. Si DEUS permitteret peccatum, ut id sanaret per CHRISTUM, esset crudelis medicus, qui innocentem vulneraret ex solâ lubidine demonstrandi artem suam*,

suam. Et illud. *Nemo ab eo creatus est ut pereat; quia alia est causa nascendi, alia perendi*, &c. Respondeo. Si verba illa ulterius premantur (ut non respondeam permittere hominem labi, ut sanaretur, non esse innocentem vulnerare) quæ habet ibid. *Augusti.* facile solverentur. Negat ibi *Augusti.* interitum esse causam cur quis nascatur. Certè Deus non ideo dat esse; quia intendit interitum, sed quia intendit declarationem Justitiæ in interitu, liberrimo demerito accersito. *Quia* (inquit) *alia est causa nascendi, alia perendi; Ut autem nascantur homines, Creatoris est beneficium; Ut autem pereant, Prævaricatoris est vitium.* Ita & *Prosper.* Nam *Augustino* oppono *Augustinum. Cur DEUS non omnes docet, aperuit Apostolus, dicens & volens ostendere iram.* Et alibi. *Quare omnino creati sunt, quos DEUS ita peccaturos præscivit, ut ab æterno essent igne damnandi, sine dubitatione.* —— *Quare* (*creavit*) *nisi quia voluit; quare autem voluerit, Tu quis es* (*Jesuita, Arminiane, Socino-Pelagiane*) *qui respondeas DEO? Vossius* Antiquitatis rusticator calentissimus, observat à *Pelagianis & Semi-Pelagianis* fuisse objectum *Augustino & Prospero, quod majorem partem generis humani ad hoc DEUS creet, ut illum perdat.* Idem *Augustini* nomine *Faustum* objecisse ait *Sixtus Senensis.* Et quia idem nobis objiciunt *Jesuitæ*, suspecta est hæc objectio: id nobis objicit *Conr. Vorstius.* Ita *Jac. Arminius & Jesuit. Lessius.* Quid aliud hic pomifici? *Tanta est enim* (inquit *Aquin.*) *divinæ bonitatis excellentia, quod non potest uno modo, nec in unâ creatura sufficienter manifestari; & ideo* (id est hoc fine & intentione) *diversas creaturas condidit, in quibus diversimodè manifestaretur; præcipuè autem in creaturis rationalibus, in quibus ejus justitia manifestatur. Hanc autem propositionem* (*DEUM homines creare ad æternas pœnas*) *Capreolus* gravis Scholasticus sic explicat. *Latari de malo non pertinet ad odium, ratione alicujus adjuncti,* —— *nempe,* ut ordinatur per justitiam. Sic *Thomas. Cum igitur DEUS sit universalis provisor totius entis, ad ipsius providentiam pertinet, ut permittat quosdam defectus esse, in aliquibus particularibus rebus, ne impediatur bonum perfectum universi: si enim omnia mala impedirentur, multa bona deessent universo,* —— *non esset patientia Martyrum, si non esset persequutio Tyrannorum. Collegium Salmanticense* ait, *Neminem creatum esse à DEO ut pœnis, ita ut Deus ex se hoc habeat. Nam* (inquiunt) *licet sit crudelitas velle aliquem punire,*

Augusti. ad art. falso impos. art. 2.
August. ib. Prosper.
August. de præd. c. 10. Epist. 106.
Ulterus in continuat. histo. Pelagia. pag. 20, 21.
Prosper. ad Vincent. ob. 3.
Sixtus Senensis. Biblio. sanc. l. 6. annot. 253.
Vorstius amic. dupl. ad Pisc. in præf.
Ja. Armini. in decl. pag. 107.
Lessi. de divi. perfect. l. 14. c. 2. n 25
Aquinas in ca. 9. ad Ro. lect. 4.
Capreol. l. 1. dist. 42. q. 1.
Thomas. q. 22. art. 2. ad 2. arg.
Colleg Salmā. in curs. Theol. to. 1. trac. 5. de præd. disp. 7. dub. 1. q. 2 sig. 19.

nire, solum ex intentione puniendi: non tamen ex intentione complendi bonum universi, & ostendendæ justitiam punitivam DEI. Rispolis de prædefinit. *Reprobatio non est actus divinæ justitiæ formaliter, sed tantum ordinatus ad ostensionem ejus.* Ledesma de auxil. *Communis opinio omnium Thomistarum est* —— *media necessaria ad hoc, quod creatura consequatur ultimum effectum prædestinationis sunt bona, & consequenter sunt prædefinita ab ipso DEO, cæterum id quod est necessarium ad consequutionem ultimi finis reprobationis est malum ut malum est, & sub ratione peccati, & propterea DEVS neq; prædefinit illud neq; prædeterminat illud* Putant ergo omnes *Thomistæ* communiter DEUM reprobationis effectum seu finem ostendere, nempe, declarationem justitiæ punitivæ. Ergo necessariò permittit peccatum ex intentione quâ in nonnullis gloriam justitiæ punitivæ decrevit & præordinavit. *Augustin.* expressis verbis fatetur aliquod genus humanum ad interitum creari. Et *Fulgentius. Impios prædestinavit ad supplicium justum, non ad opus aliquod injustum.* Sed quid agimus? Scriptura loquatur. *DEVS condidit omnia propter semetipsum etiam impium ad diem mali.* Rom. 9. *An non potestatem habet figulus ad faciendum aliud vas ad honorem, aliud ad dedecus.* Exo. 9. *Idcirco autem posui te ut ostenderem in te fortitudinem meam,* &c.

Rispolis de prædefin. pag. 145.

Augustin. de perfect. justitit. Fulgentius lib. 1. ad Moninim. Prov. 16. 4. Rom. 9. 21. Exo. 9. 16. Rom. 9. 17.

Bellarminus. Respondet, *Deum non creare nisi impios materialiter, hoc est creare eos quos videt futuros impios, ut eorum impietate uteretur.* Resp. 1. Acutè D. *Tuissus* replicat. *Si Deus condidit impios ituros ad diem mali non ut irent, pari ratione Deus condidit Electos ituros ad gloriam non ut irent.* Imo addidissem ego: Ergo omnia entia quæ fecit DEUS, condidit, quasi itura, non ut irent ad gloriam; at certe omnia entia ex se & sua sponte antecedenter ad DEI decretum itura non sunt ad DEI gloriam: quædam, fateor, currunt, imo alis aquilinis volant ad DEI gloriam, boni Angeli, *viz.* 2. Quædam ambulant, ut homines Electi qui credunt in CHRISTUM, sed utriusque tum Angeli tum hominis motus hic est effectus gratuitæ electionis. 3. Quædam feruntur potius, quam motu progressivo eunt ad DEI gloriam, qualia sunt Cœlum, Sol, Luna, Mare, Terra, Aves, animantia bruta; hæc enim ignorant ultimum finem, ad eum tamen motu & ductu primi Motoris aguntur At 4. quædam nec volunt, nec ambulant, nec ferri possunt ad DEI gloriam, attamen quasi vi trahuntur, ut *dæmones* & reprobi *homines*,

Bellarmin. de amiss. grat. l. 2. c. 12. Consideratur locus Prov. 16. 4. & vindicatur. D. Tuissus in vindic. grat. con. Armi. Antiperk. l. 3. crim. 3 dig. 9.

non itaque DEUS hos ituros ad suam gloriam condidit: quia gloria justitiæ punitivæ non nisi singulari DEI arte & eminentissimo artificio providentiæ admirandæ elicitur, ideoque DEUS impios condidit, hoc consilio & intentione ut in iis patefieret gloria justitiæ. 3. *Verum est* (inquit D. *Pareus*) *Deum non creare impietatem in impiis, ideoque materialiter intelligendum, id est, creat hominem ex se habentem impietatem.* Et certè impius est Jesuita qui hunc sensum nostris affingit: sed inde non sequitur DEUM non creasse & præordinasse homines impios ad interitum. Nam non creat & condit homines credentes in CHRISTUM, sed condit homines materialiter sumptos qui sunt futuri credentes, nam quis ab utero matris suæ, credit in CHRISTUM? at non sequitur, Ergo non creavit homines credentes in CHRISTUM ad æternam gloriam: at nos sic, vadunt impii ad interitum, non sequitur, Ergo vadunt citra intentionem & destinationem DEI; sed contraria consequentia est validissima, Passereulus decidit in terram, Ergo volatus ejus præordinatur à DEO, quanto magis tot nobilissimarum creaturarum *hominum* & *Angelorum* æternus interitus effugere haud potest æternam DEI destinationem & præordinationem? 4. *At quare* (inquit *Augustin.*) *Creavit, quos præscivit æterno igne damnandos. Quare? quia voluit? quare autem voluerit? O homo, tu quis es qui respondeas Deo?*

Pareus in Bellar. cast. l. 2. de amiss. gra. c. 12. sect. 52.

Augustin. epist. 106. ad Paulin. Gul. Gibieuf. de lib. hum. l. 2. c. 2. n. 9. Phil. Gamachæus in 1 Tho. q. 9. de prædest. c. 12.

Deinde Replicat *Gul. Gibieuf.* Sorboni. Doctor, *Deum prævidisse peccatores permansuros & eos creavisse, ut consiliis suis exequendis inservirent. Et Phil. Gamachæus Deum impium ad diem mali secundario, & ex hypothesi, & per accidens, quatenus per silentium mediam videt futurum in præsenti statu, ut impius vellet peccare.*

Deum velle interitum hominis, etsi ex præscientia id velit. Nec potest præscientia eventus minuere, sed potius augere & intendere voluntatem eventus.

Respond. Frustrà hic in DEUM obloqui audet insana ratio, si pater terrenus præsciat filium suum ruiturum in foveam ignis sulphurei, ibique miserâ & atroce morte absorptum iri, nisi ipse talia obstacula ponat, quæ salvo officio paterno ponere potest, attamen ea obstacula lubens, sciens, volens non opponit, Pater ille vult miseram & immaturam mortem filii sui, & si id ex præscientia velit. 2. Secundaria conditura & quidem casualis præter intentionem DEI, DEO indigna est, & sapit providentiam sopitam & non vigilem. Nempe postquam homines sunt puniendi æternis cruciatibus & sic demonstraturi gloriam justitiæ divinę, DEUS vult ut puniantur ad demonstrandam suam gloriam. At DEUS non potest

non

non velle quod jam est, at libere (credo) vult punitionem peccatoris, At hæc est post-destinatio hominis qui jam se citra Dei providentiæ scientiam & voluntatem prædestinavit ad æternum exitium, & collocatio homuncionis in throno providentiæ Dei.

Nec. 3. moror quod dicit *Vorstius. Impium non esse innoxium, & hinc male concludi* Deum *innocentem posse absolutâ voluntate ad æternum interitum prædestinare, hoc enim est injustum.* Respon. At quando homo est objectum condituræ & Creationis Dei non est impius, sed plasma & innocuum conditoris opificium; at in ea conditione ex hoc textu Deus ei prærordinat interitum licet actu non intercat, nisi sit finaliter impius: quæstio enim manet qui intentione Deus eum permittit finaliter labi in id quod ex ordine justitiæ incurrit actuale demeritum æterni interitus. An nullo decreto & destinatione æterna? at hoc impium & providentiam Dei evertit, & hoc contrarium Paulo. Rom. 9. *Quid si Deus volens ostendere iram & notam facere potentiam multâ benitate pertulit vasa iræ coagmentata ad interitum?* Ergo voluntas ostendendi iram seu gloriam iræ & potentiæ declarandæ est natura prior punitione, & tolerantiâ, & permissione qua homines peccare finaliter permittit. Unde necessario sequitur Deum permittere, ut reprobi finaliter peccent eo consilio & voluntate qua decrevit in iis ostendere gloriam justæ suæ iræ & potentiæ.

Vorstius ad amica. duplic. pag. 348.

Rom. 9. 22.

4. *Exceptio.* Remonstr. in Scrip. synod. art. 1. pag. 209.

Sed quarto loco *Remonstrantes* dicunt. פעל Pagnal, *Operatus est esse præteritum pro præsente. Nec agitur* (inquiunt) *de eo quod est ab æterno, aut à principio creationis* DEVS *fecerit, sed de eo quod fit in tempore.* 2. *In textu non est* (*impium*) *ut notat* Varablus. *Et per ellipsin rectè legitur, impius in nominativo, impius est ad diem mali.* Respond. *Hyeronim. Chrysosto. Augustin. legunt impium.* Sic *Junius, Calvinus, Mercer. Cartwrightus.* Sic *Buxtorfius, Pagninus,& Arrias Montan.* legunt כָּל פֹּעַל יְהוָה לְמַעֲנֵהוּ וְגַם רָשָׁע לְיוֹם רָעָה Et quamvis (רשע *impium*) in textu non esset, quod tamen falsum est, quia tamen in textu est לְיוֹם רָעָה *In diem mali* necessariò supplenda fuit ea vox, ne sensus nullus fuisset; Deus enim omnia sua opera ad exitii diem non condidit. 2. Si Deus in tempore condit impium ad diem mali recte infert clariss. *Amesius. Dei*

Hyeronim. Chrysosto. Augustinus Junius. Calvinus. Mercerus. Cartwrigh. in Pro. 16. 4. Buxtor. Pagnin. Montan. in Bibliis Hæbraicis,

Gul. Amesius in Antisynod. art. 1. c. 16. pa. 162.

providentiæ & gubernationi subjici actus peccaminosos quibus reprobi incurrunt damnationem & eos ordinari ad interitum. Sic *Aquinas, Gregor. de Valent. Did. Ruiz.* ex hoc loco inferunt *DEUM omnia opera sua ad extra ordinasse ad ostensionem attributorum suorum, nempe, justitiæ, gratiæ, bonitatis,* &c. *Bradwardina,* de caus. Dei. lib 1. c. 28. Universa propter seipsum. *Hæc* (inquit) *est causa finalis potissima voluntatis divinæ & cujuslibet operationis illius. Per hunc erant Sancti.*

Aquinas in Rom. 9. lec. 4. Gregor. de Valent. tō. 1. dis. 1. q. 23. punc. 2.

Did. Ruiz. in 1 Thom. disp. 3. sect. 2. n. 8.

Sed quid *Jesuitæ & Arminiani* ad alterum locum de *Pharaone*, Exod. 9. Ro. 9. *Sensus est* (inquit *Bellarmin.*) *cum ego previderim te mihi fore contrarium & obstinatâ mente præceptis meis repugnaturum, & cum potuerim impedire, ne nascereris, aut ad regnum consenderes, vel etiam statim te de medio tollere, cum primum peccare cæpisti, ideo tamen vitam & regnum tribui tibi, idque non ad breve tempus, ut malitiâ tuâ uterer ad exercitium populi mei, ut justitiam & potentiam meam in tuo supplicio demonstrarem. Sed sensus non est ut Calvin. & Martyr volunt. Ego incitavi te absolutè & sine previsione peccati ut mihi resisteres, sic enim DEUS erit Author peccati.*

Bellarm. de amiss. grat. l. 2. c. 12.

Respond. Certè primam partem sensus convenienter *Augustin.* & *Ruperto*, imo scripturæ *Jesuita* hausit, Si Deus præsciens *Pharaonem* jam impium ad regnum evectum, scelera sceleribus superaccumulaturum, attamen ad regnum evehit, negatâ ei gratiâ efficace quâ scelera ista vitarentur, intendit voluntate permissivâ, illa scelera superaccumulata, si scio saxum quod manu teneo, casurum & vas vitreum fracturum, & dimitto ut cadat, æque intendo fractionem vasis vitrei, ac si eo animo ut vas frangeret, dimitterem, nam præscientia eventus facit eventum magis imputabilem præscienti, quam non præscienti, itaque præscientia Dei potius auget (ut sic *loquar*) intentionem peccati permissivam, quam minuit. Pater terrenus præsciens, nisi ipse impediat, uti potest, filium suum, ruiturum in flammas sulphureas, qui permittit ut ruat, est magis causa permissiva filii sui exustionis, quam alter pater filium in tales flammas ruere permittens, qui omnino ignarus futuræ ustionis est. Nam scientia eventus nihil tollit de ratione causandi, sed multum auget. 2. Dicit *Jesuita Deum* sic loqui, *Utor tuâ malitia,*

Augustin. quæst. 39. in Exod. Ruper. Tuitiensis in Exod. 9. 26. com.

litis I. *O Pharaoh, ut exerceam populum meum tuâ tyrannide.* At hoc est, permissive intendo tuam tyrannidem: ut exercitium populi activum in ordine ad *Pharaonem* exercentem, & malitiosè & tyrannicè affligentem innocentem DEI populum, erat gravissimum peccatum permissivè à DEO intentum & finis supererogatæ vitæ & dati regni. 3. Utitur *Moses* verbo. עמד. *Stetit* & in conjugatione hiphil *stare fecit.* 2 *Par.* 19. 8. *Rex constituit* הֶעֱמִיד *levitas & sacerdotes*, *Psal.* 30. 10 *montem meum stabilisisti.* Imo constituere & ordinare significat: Unde est עֲמֻדָּה *constitutio, decretum. Mic.* 1. *v.* 11. Vide quæ alia respondet *Ibid. Pareus*: non potest itaque nudam permissionem significare.

Pareus in Bellarm. castigat. l. 16. 2. de amiss. gra. c. 12. sect. 52.

Deinde Respondet *Vasquez*. *Nequaquam Paulum velle* DEUM *ex primariâ intentione, quæ præcederet, secundum rationem, præscientiam meritorum decrevisse ostendere iram in aliquos, ex sola expulsione à beatitudine — & particula (ut) non indicat causam finalem, sed eventum. Et alibi. Dico nullum peccatum à Deo permitti ex intentione damnandi aut excludendi aliquem à beatitudine, etiamsi alius finis, quem* DEUS *secreto suo judicio respexit. nobis non innotescat — est enim finis ex Augustino ostendere divitias gratiæ suæ & liberalitatem, quâ usus fuit erga prædestinatos, denegans enim vocationes congruas reprobis, ostendit easdem prædestinatis gratis dari.*

Vasquez in 1. to. 1. dis. 96. c 7. n. 39. 40. c 9. n. 50.

Respond. Novum hoc est & cæteris Jesuiticæ scholæ doctoribus ignotum *figmen*. Nam 1. DEUS purè negativè sic se habebit erga damnationem exclusionemque à beatitudine, quia non potest positive velle ut salventur ii quibus *vocationes congruas* absolutè negat, & non intendit talibus ex *Vasquezio* exclusionem à beatitudine: Ergo nec vult ut damnentur, neque non vult ut damnentur reprobi, quod est absurdum. At *Bradwardino* & rationi sanæ est absurdum quod Deus meritè negativè se habeat erga omne volibile & nolibile. 2. Quod *Augusti.* dicit, nobis favet, Nam si DEUS eo fine tolleret vasa iræ & in peccata labi permittit, ut patefaceret gloriam misericordiæ in vasis misericordiæ, tum eo fine permittit reprobos finaliter labi ut damnentur reprobi, quia gloria misericordiæ non nisi ex justa reproborum damnatione patefit electis. *Ut electis* (inquit Augustin.) *conflet quæ sibi debita pœna relaxetur, & quæ indebita gratia condonet.* Nam non simpliciter ex peccatis, sed ex damnatione reproborum patefit Electis *quæ gratis ipsis condonet,*

Locus Rom. 9. *ad hoc ipsum excitavit*, Pharoa, *expenditur & vindicatur.*

Augustin. contr. Julian. l. 4. c 8.

& quæ

& quæ debita pœna relaxetur. 3. Omni ratione caret, quod Deus neget reprobis vocationem sine qua salvari nequeant, & tales vocationes incongruas indulgeat, quibus indultis præscit eos non posse non damnari, attamen in talibus vocationibus Deus non intendat eorum, à beatitudine exclusionem. Nam procul dubio, quia eo modo vocat ad salutem quo præscit nunquam taliter vocatum salvandum, sed perituram, & vocationem ad salutem efficacem negat interpretativè, & virtualiter, si non expressè intendit interitum.

Exceptio 3. Suarez de Deo de reprob. l. 5. c. 4. n. 10. Mæratius com. 1. disp. 46. sect. 2. n. 4.

Tertio. *Suarez* & *Mæratius* dicunt *sic tibi ad hoc excitavi te, notare non causam finalem sed eventum per accidens; nec notatur hic,* (inquit *Pet.* de *Arubal.*) *Prima creatio, nec prima permissio in primum peccatum, sed actus, quo DEVS regem fieri permittat, cum jam antea puniri meruisset, & in eum finem, ut propter præcedentia scelera, potentia & justitia Dei ostenderetur.*

Pet. de Arubal. to. 1. q. 2. art. 8. disp. 88. c. 4. num. 14.

Respondeo. Verba *Moseos* sunt *Exod.* 9. 16. בַּעֲבוּר הַרְאֹתְךָ ut te videre faciam propter: Propterea cum litera servili ב, est radix עבר transivit, præterivit. Cum Pleonasmo ל *Exod.* 20. *v.* 20 *Genes.* 3. 17. Deinde si particula (*ut* ut) notet hic eventum, non Dei intentionem, tunc Deus supereſe voluit *Pharaonem* non ut annunciaretur Potentia Dei & Nomen ejus gloriosum in justissimâ perditione Tyranni, sed ut *Pharaoh* obediat Deo, & ut patefiat gloria misericordiæ in salvando *Pharaone*. At hoc tum *Moshi*, tum *Paulo* contradicit. *Moshi*: quia reddit rationem à causâ finali & occultâ Dei & inexplicabili providentiâ. Quod

Junius in analy. exp. ad c. 9. Cajetan comment. in Exod. c. 9. v. 16. Ferus comment. in Exod. c. 9. Toſtat. Abulen. cõment. ib. Cajetan. comment. ibid.

Junius optimè sic resolvit. *Qui omnibus suis viribus obnituntur DEO, hi omnibus plagis à DEO digni sunt. DEVS autem pepercit Ægyptiis, cum plagis omnibus digni essent. Ergo non propter ipsos, sed propter aliud pepercit iis: tum ut illi evitti cognoscerent manum DEI, in medio ipsorum dominantis.* v. 14. *Tum ut piis DOMINVS testimonium ederet, cujus argumento Nomen ipsius celebrarent in universa terra.* v. 16. Sic *Cardina. Cajet. Possem quidem* (inquit) *in hoc momento extendere manum meam, & tam sævam pestem in te ac tuos immittere, ut statim omnes de terrâ periretis, sed ideo excitavi te, hoc est, conservari incolumem, ut ostendam in te fortitudinem meam,* &c. *Ferus. Ideo mala permitto, ut ostendam me etiam ex malis bona elicere posse.* Ita *Toſtat. Abulensis.* Verum est *Cajetanum* dicere, *non dici, feci stare peccatum tuum aut inauratiõnem tuam, sed feci stare, id est,*

personam

personam tuam. Sed certum est non posse DEUM intendere ostensionem potentiæ, justitiæ, & justitiæ vindicatricis, per nudam permissionem citra peccatum permissum: DEUS enim punit & intendit punire nec permissionem ipsam, nec personam *Pharaonis* à sceleribus contradivisam, sed ipsa scelera punit, Ergo necesse est permissivè intenderit & voluerit scelera quæ puniret, & in quibus puniendis, patefieret gloria justitiæ. DEUS autem eventus per accidens non intendit. At hunc finem, nempe, ostensionem gloriæ justitiæ intendit, latente ibidem *Cajetano.* 2. *Si DEUS voluit superesse Pharaonem,* ad ostensionem potentiæ & justitiæ clariorem per scelera isti supervictioni superaccumulata, tum necesse est DEUS scelera ista superaccumulata permissivè voluerit: quia novæ legationi DEI restitit. *Pharaoh* obduratus, *Exod.* 10. *v.* 12. 3. *Non esse volentis neq; currentis probat Paulus* ex eo, quod DEUS invicto suo dominio *Pharaonem excitarit ut annunciaretur Nomen DEI in totâ terrâ.* Si autem evitabilitas hujus tam illustris finis esset penes *Pharaonem,* non penes DEUM; quod necessariò sequitur ex glossâ adversariorum, sequitur DEUM non misereri quorum vult, & indurare quem vult, & esse hominis currentis & volentis, quod ostendatur gloria justitiæ & misericordiæ & non ostendatur, & *Pharaoh* sese excitavit ad declarandam gloriam justitiæ, DEUS autem illum non excitavit. At misera est hæc Theologia. *Quicquid DEUS circa vasa lutea intendat aut decernat, est absolutè in vasorum luteorum arbitrio ut supremi figuli justitiæ punientis & misericordiæ parcentis gloria illustretur, vel non illustretur, ita ut DEUS gloriam habeat, vel non habeat, & tantum gloriæ quantum nobis homuncionibus arriserit.* Ita arcana Theologiæ Pelagianæ sese aperiunt.

Glossa Adversariorum gloriæ divinæ justitiæ & misericordiæ ostensionem subjicit, non supremi figuli sed vasis lutei lubrico arbitrio.

Remonstr. Arminii. verbosè in DEUM tumultuantur. *Si* (inquiunt) *respectu primæ creationis DEO propositum fuisset Pharaonem perdere, tum hoc fine merè creasset, ut eum perdere posset, aut ut propositum de eo perdendo ad finem perduceret, quum finis & causa propter quam aliquid fit, præcedat in intentione hoc ipsum quod eo fine fit, —— sed sic DEI imago à DEO ipso ad exitium creata esset; quod abhominandum —— omittimus, quod ad vitam creati fuerint sub conditione obedientiæ. —— Si DEUS in vivis conservavit Pharaonem, ut ad horrendum istam finem eum perduceret, ad quem pervenit, illa conservatio non fuit ad bonum, sed ad malum Pharaonis, nec beneficii, sed pœnæ loco*

Exceptio 4. Remonstr. synod. Dordr. in expl. c. 9. ad Rom. v. 17. pag. 141, 142. Jac. Arminii in suâ declar. pag. 107.

loco habenda: qualis est cura quorundam tyrannorum, qui eos quos oderunt, superstites esse volunt, ut magis eos excrucient. Sic ante illos suis musis cecinit *Jaco. Arminius.* sic Jesuita *Lessius. Creatio est communicatio boni; at sic non erit communicatio boni, sed præparatio ad summum malum: quia bonum omne æstimari debet ex mente dantis, & ex fine propter quem datur. Imo* (inquit *Lessius*) *est melius reprobis non esse, sic enim eorum interitus est originaliter à DEO.*

Lessius de divi. perfectio. l. 14. c. 2. n. 25.

Respondeo 1. Verbum transitivum in hiphil est à radice עָמַד quod stare significat, *Josh.* 22. 9. לֹא עָמַד *non constitit quisquam ante faciem vestram.* Deut. 4. *Die quo stetisti coram JEHOVA in Chorebo*; non itaque hic notatur prima creatio *Pharaonis.* 2. Nec sequitur *DEVM merè hoc fine creasse homines, ut posset eos perdere,* nisi Mero madidi sint tales dialectici, quâ *summus DEI finis* (inquit *Beza*) *non proprie & simpliciter est ipsorum reproborum exitium, sed DEI gloria in eorum justo supplicio elucens.* Et hoc verum est de fine DEI vel creantis vel peccatorem conservantis, vel peccare permittentis. Ita *Calvin.* Ita Clariss. Vir Doc. *Guliel. Twissus.* 2. Nec hic conticesceat humana ratio. DEUS enim secundum *Arminian.* clementissimus pater obnixè cupiens & intendens obedientiam & salutem reproborum, præscit certò, si conditi sint, & hâc gratiâ, non majore non congruentiore (quam tamen DEUS dare potest, siquidem vellet) ipsos in cruciatus longè exquisitissimos ruituros, & eo exquisitiores fore æternos cruciatus, quod ad ætatem virorum, adoleverint, & eo exquisitiores quod ad extremam senectam in vivis conservati sint, & eo adhuc exquisitiores, quod Euangelio & gratiâ Euangelicâ sint instructi & attracti, quod prædicatores divinâ eloquentiâ præditos, nanciscantur, quod multa hujus vitæ beneficia, opulentiam, fœcundam sobolem, splendidas ædes, honores aulicos, valetudinem secundam, amicitiam multorum, famam suave olentem *&c.* à DEO consequantur. At DEUS reprobos creat, gratiâ parciore, quàm actuali salvationi parem esse præscit, donat, ad viros adolescere vult, Euangelium & gratiam indulget, in vivis ad canitiem, fœcunda sobole, honoribus, valetudine prosperâ, amicitiâ, bonâ famâ & nullis non voluptatibus auctos & beatos conservat. At quæro: quo fine, quo consilio DEI fit ut in infantiâ non pereant omnes, ut sic æternos & ineluctabiles

Beza an. in Ro. 9. 17.

Calvin. de occult. provid. art. 1. Twissus in Antiperkin. l. 2. criminat. 3. degres. 2. c. 9.

Deus largiri multa beneficia eo fine ne cedant iis, in quos conferuntur, in exitium longe gravius.

cruciatus

cruciatus evaderent, (ut illi docent) quo fine dat Deus beneficia tot ac tanta quæ præscit cessura iis quibus dantur in cruciatus Tartareos longè exquisitiores & graviores, quam si Deus talia nunquam indulsisset? Quid si clementissimus pater terrenus sic ageret cum suis filiolis? Nonne crudelis & truculentus audiret, & mitiorem dixerint, si potuit, absque homicidii notâ, (quod certè Deus hic facere potest) in infantiâ & adhuc vberibus hærentes, vitâ & luce hâc vitali privasse? Quid si Rex terrenus sic cum suis subditis ageret, nonne *Nerone* immanior, & tygride aut leone sævior passim vulgò audiret, aut hic est inexplicabilis abyssus aut nullibi. *Hic certè dona ex mente dantis & fine præscito, ad quem dantur, æstimanda sunt.* Quo quis perfectius præscit donum fore nocentius, magisque permitiosum, ei cui datur, eo minus donum videtur, si mentem dantis respiciamus. 2. Beneficium æstimetur ex animo datoris, non respectu duntaxat hominis, cui datur, & finis particularis, propter quem datur, sed & respectu finis universalis, propter quem datur, nempe, propter bonum universi & declarationem gloriæ justitiæ: At sic communicatio τῦ esse seu creatio omnium reproborum est beneficium maximum universo & respectu finis universalis: quando enim datur esse huic vel illi homini, quo ille abutitur & facit sibi damnum non benificium, datur universo tanquam beneficium simpliciter. 3. Benificium consideratum ex animo dantis, destinatum ad malum ejus cui datur propter finem longè præstantissimum, nempe, Dei Gloriam non desinit esse beneficium, si non cedit in malum ejus, culpâ & vitio datoris, sed culpâ & vitio illius cui datur, si detur ex supremo dominio potestatisque absolutæ jure datoris qui bonum longè eminentissimum inde potest elicere. Nam esse artificiale & forma artis, non desinit esse benificium vasi collatum, etsi destinetur in usum inhonestum ex vitio innato luteæ materiæ, non ex vitio & culpâ figuli, licet homo destinatus ad æternum exitium non sit ex se materia determinans voluntatem supremi Figuli ad eam destinationem ad interitum potius quam ad destinationem ad gloriam, attamen ad terminum destinationis puta materiam non est actu perventurus nisi ex vitio & culpâ suâ; nullo vero modo ex culpâ Dei. Potest agricola destinare stramen ad agros fœcundandos, etsi non nisi ex insitâ vi & potentiâ ad putredinem in ipso stramine fiat stercus aptum ad fœcundandos

Deus intendere potest patefactionem potentiæ suæ & justitiæ & dare τὸ esse homini eo fine ut sic patefiat gloria justæ ultionis, quando illud esse datum cedit in exitium creaturæ, nullâ Dei datoris, sed solius creaturæ culpâ & vitio.

dandos agros. Putredinem autem aut potentiam ad eam agricola stramini non indidit, uti DEUS peccatum aut ad peccandum inclinationem nemini insevit aut indidit. Supponamus quod pater peritus medicus esset vitæ necisque filiorum suorum absolutus faber & dominus, potest filiorum corpora ad materiam salutaris medicinæ destinare ad artem suam demonstrandam, etsi filii moriantur & in cadavera vertantur nullo vitio talis patris, sed tantum distemperie qualitatum in corpore filiorum suorum existentium, nemo tamen negaret generationem esse beneficium in se filiis suis collatum. 4. Creare & dare esse non esset beneficium sed insidiosum donum, si DEUS verbo diceret, se, eo animo dare, quo cederet in æternam salutem eorum quibus datur, interim daret eo animo quo cederet iis in æternum exitium; at tali animo non dat DEUS vitam iis, nec se tali animo dare dicit. 5. *Esse* simpliciter & Metaphysicè sumptum & quoad actum primum est meli° τῷ non *esse*. *Esse* enim est beneficium Creatoris, sed *esse* per accidens & ex abusu & propter annexam ἀνομίαν & vitiositatem deterius est τῷ *esse* respectu hujus aut illius particularis hominis, & melius est *Judæ* proditori, per accidens & propter annexam miseriam, ut non sit, quam ut sit, sed *esse* simpliciter & respectu universi est longè melius etiam in damnatis, quam non *esse*; alioqui, si DEUS annihilaret omnes dæmones & reprobos, nihil boni ipsis in creatione datum auferret, quod non est dicendum.

Duplex Dei providentia.

6. Distingui etiam hic velim, duplicem DEI providentiam, *naturalem*, quæ competit DEO quâ *Creator* respiciens fines creationis, & *supernaturalem*, quæ competit DEO quatenus finem absolutè ultimum respicit, & ad eum omnia dirigit. Prioris providentiæ respectu *Augustin.* & *Prosper* rectè dixerunt, *neminem à DEO creatum esse, ut periret*; quia finis creationis & Creatoris est ut communicaret τὸ esse creaturis, quod est bonum creaturæ. At vero respectu *providentiæ supernaturalis* & finis DEI eminenter supremi, DEUS dat *esse* naturale & permittit peccatum ex inscrutabili dispensatione, ut patefiat gloria justitiæ in interitu hominis justissimo demerito suo procurato.

Dilutè igitur & insulsè *Bellarminus* ait, *vasa facta in contumeliam habere à DEO, quod sint vasa, sed quod sint in contumeliam, habere non à DEO, sed à conditione materiæ*: Quia Creaturæ non se

ordinant

ordinant ad interitum nisi demeritoriè, puta, peccando. At non est quæstio an Creaturæ peccando dispositivè se ordinent ad damnationem committendo ea quæ actualem damnationem incurrunt; at quæstio est de ordinatione DEI prædestinativâ, ideoque solidè D. *Pareus, sumit* (inquit) *pro eodem esse contumelioſa, & esse in contumeliam; Quod sint contumelioſa habent à conditione materiæ missa nimirum damnabili: sicut statua carioſa, quod est statua, habet ab artifice, quod est carioſa, habet à conditione materiæ. Quod vero sint coagmentata iis ἀλυσιν in contumeliam, non habent à materia, (nisi de meritoriè) sed à DEO ordinante vasa reprobata ad contumeliam. Nam particula ἵνα finem notat atqui finis non intenditur à materia, sed ab efficiente.* D. Pareus in Bellar. de amiſſ. grat. l. 2. c. 12. prælec. 52. n. 4.

Quarto *Becanus* ait DEUM his *verbis, ad hoc excitavi te*, &c. *loqui de rejectione à Gratia, non de rejectione à Gloria, nam si comparatè quæras* (inquit) *cur è duobus peccatoribus, sive solo originali, sive etiam actuali peccato infectis DEVS uni majorem exhibeat misericordiam* (gratiæ efficacis) *quam alteri, non alia est cauſa quam DEI voluntas*, sed Respondeo, *DEVS est crudelis* (inquit ibid. *Becanus*) *qui hominem innoxium & innocentem sempiternis devovet cruciatibus*: assumo atqui DEUS ex solâ suâ voluntate homines comparatè innocentes privat eâ gratiâ, absque qua præscit eos in æternos cruciatus ruiturus, juxta *Becanum*. Quia sola DEI voluntas, non autem peccatum cauſa est cur uni exhibeatur gratia efficax, alteri exhibeatur nullo modo. Becan. in opuſcul. de præd. Calv. q. 1.

Altera jam agitanda est quæstio *An DEVS homines ad peccandum prædestinet*. Assertio 1.ª DEUS ab æterno præordinavit homines ad actus materiales peccati. 1. Quia DEUS absolutè decrevit omnes actus contingentes, alioqui omnia entia positiva non subordinarentur actuosæ DEI providentiæ. 2. Quia nulli actus liberi casu aut fortuitò, id est, præter intentionem DEI evenire possunt, sed si non absolutè, sed conditionatè tantum, id est, in signo rationis antecedentis DEI decretum, adeoque ante & præter intentionem Dei decernentem evenirent hi actus materiales peccati, omninò fortuito & casu evenirent. 3. Quia in hac oratione, *fiat voluntas tua*, oramus ut DEUS tales actus liberos, tum in nobismetipsis, tum in aliis efficaciter impediat, at actus quos DEUS non efficaciter impedit, eosdem efficaciter fieri procurat & absolutè decernit. *An Deus ad peccandum præordinet.*

Assertio. 2. Hoc assertum (*peccatum quatenus est peccatum est ordinabile ad* DEI *Gloriam*) vel habet hunc sensum, quasi particula (quatenus) specificativè sumeretur, uti hoc (homo quâ capillatus est rufus) sed non valet hic sensus: quia atributum (ordinabile) ad solum subjectum nempe peccatum restringendum foret, quia solus Capillatus est rufus, at solum peccatum non est ordinabile ad DEI Gloriam illustrandam, nam obedientia & omnes creaturæ sint ordinabiles ad DEI Gloriam illustrandam: Sed si sermo sit de Gloriâ DEI patefecta per punitionem aut condonationem peccati, tum (*quatenus*) in hoc assertio (*peccatum quatenus est peccatum est ordinabile ad* DEI *Gloriam*) sumitur *reduplicativè*, & sic DEUS ordinat peccatum, qua est quid punibile & quid condonabile ad declarationem Gloriæ justitiæ & misericordiæ. Recte itaque *Theod. Beza* & *Rob. Rollocus* nostras rejiciunt hanc loquendi formulam. (DEUS *vult peccatum quatenus est peccatum*) quia DEUS nullo modo vult, aliquid suæ sanctæ voluntati contrarium qua tale, attamen DEUS permissivè vult peccatum quatenus fundat rationem conducibilitatis ad Gloriam DEI illustrandam, nempe, quatenus peccatum est punibile & condonabile, non autem dicendum DEUM non velle peccatum qua peccatum & sub ratione formali peccati, sed secundum esse materiale, & qua nudus actus entitativus est, quia actus entitativus peccati non est formaliter ostensivus Gloriæ justitiæ & misericordiæ, quia DEUS nec punit, nec propriè condonat actum entitativum peccati, sed ipsa malitia adhærens actui est illud quod est formaliter ostensivum Divinæ Gloriæ. Unde quæritur *an peccatum propriè sit medium Gloriæ* DEI, *& an medium per se, an per accidens*, Respondeo esse medium, & esse medium per se, non autem medium per accidens, ut vult *Arminius*. Quia peccatum, quo deterius est in genere mali inhonesti, eo est melius & aptius medium, in genere boni utilis & conducibilis ad illustrandam Gloriam justitiæ punitivæ & misericordiæ condonantis. Quia impossibilis est experimentalis Gloriæ justitiæ & misericordiæ declaratio nisi per peccatum, quia nihil est propriè punibile nihil propriè condonabile nisi peccatum. 2. Quia omne medium per accidens debet reduci ad aliquod medium per se, sed peccatum est medium & solum quidem medium declarandæ talis Gloriæ, nam nihil aliud est medium per se, quia Gloria DEI vindicatricis justitiæ & misericordiæ condonantis non illustratur vel

Beza

Rollocus ad Roman. pag. 184.

Quatenus peccatum est ordinabile ad DEI *Gloriam.*

puniendo

puniendo, vel condonando obedientiam creaturæ, nam justus mundi judex non punit nec punire, vel condonare potest aliud quam peccatum. Sed *peccatum* (inquiunt) *obscurat Gloriam DEI, quatenus creatura DEI mandato & Creatoris voluntati suam voluntatem minimè submittit, sed peccando ei contravenit, si ergo obedientia est medium per se Gloriæ DEI, inobedientia erit medium per accidens.* Respondeo. Fallaciam hic subesse ab homonomia vocis *Gloriæ*. Quia quod obscurat *Gloriam* DEI legislativam, vel quæ debetur DEO tanquam legislatori, non est illud quidem medium gloriæ legislativæ vel per se vel per accidens, hoc modo sola obedientia est medium Gloriæ DEI, sed peccatum obscurat Gloriam DEI, legislativam, verum quidem sic est assumptum, sed quod obscurat Gloriam justitiæ punitivæ & misericordiæ condonantis id non est medium Gloriæ DEI: verum & hoc. Sed jam assumptio est apertè falsa: quia peccatum non obscurat Gloriam justitiæ punitivæ & misericordiæ condonantis, sed eam Gloriam mirificè commendat & illustrat peccatum, & quidem solum peccatum, & nihil aliud hoc facit præter peccatum.

Assertio 3. Permissio peccati est per se medium Gloriæ DEI & prædestinationis effectus per se & directè volitus. Hoc concedunt *Thomas, Collegi. Salmanticenſe, Fasolus* & alii; & *Salmanticenſes* pro hac sententiâ citant *Anselmum, Ambrosium, Bedam, Cajetanum, Bannem, Ripam, Cumelem.* Neque moror, quod dicunt *permissionem nudam, ut a peccato contradistinguitur esse per se medium volitum à DEO, non vero permissionem, uti ex ea sequitur peccatum, quia non potest DEVS velle permissum peccatum, licet velit permissionem peccati: permissio enim est res bona, sed peccatum permissum est res mala.* Sed ego sic occurro: nuda permissio peccati citra omnem existentiam peccati non est medium ostensivum gloriæ justitiæ punitivæ aut misericordiæ condonantis, permissio enim peccati nec est quid punibile, nec quid condonabile, quia non est peccatum, DEus autem nihil punit aut condonat nisi peccatum. 2. Permissio peccati est via & gradus ad peccatum, adeoque medium remotum & non, ullâ connexione necessariâ, cum gloria justitiæ & misericordiæ declarandâ conjunctum: & sic medium remotum ex quo necessariò minimè declaratur justitiæ & misericordiæ gloria secundum adversarios. Quippe docent posita peccati permissione non necessario sequi peccatum, unde permissio

Thomas in Rom. 11. lec. 4. Collegium Salmant. curs. Theolo. Fasolus to. 1. m. 2. q. 23. dub. 4. art. 2. n. 32.

permissio peccati non est quid punibile & condonabile nec medium proximum Gloriæ justitiæ Dei declarandæ.

permissio peccati est medium Gloriæ DEI propter peccatum permissum: Ergo peccatum est magis medium, & medium proximum & per se, quia posito peccato permisso non potest non sequi gloria justitiæ & misericordiæ divinæ: quia *propter quod unum quodq; tale, id ipsum magis est tale.*

Meisner. Anthrop. dec. 4. disp. 4. q. 2. n. 4.

Objicit *Meisnerus.* Hoc non est universaliter verum. *Qui vult finem, vult media ad finem; Nam Magistratus vult promulgationem bonarum legum, sed non malos mores, vult. Hortulanus finem arefactæ arboris frugiferæ, nempe, calefactionem contubernii, sed non voluit ipsam arefactionem. Deinde* (inquit) *distinguimus, inter medium per se, seu φύσει, & medium per accidens, seu θέσει. Peccatum est medium Gloriæ DEI per accidens & θέσει tantum, non φύσει & per se. Qui autem finem vult, omnia media per se ad finem ducentia etiam vult, Qui vult finem non vult omnia media per accidens.*

Discutitur illud, qui vult finem, vult media ad finem.

Respondeo 1. Male moratus est *Meisnerus, qui vult promulgationem bonarum legum esse finem, & malos mores media ad finem.* Nam promulgatio bonarum legum est medium, & expulsio malorum morum est finis, & justus *magistratus* utrumque per se vult. Nec intendit *Hortulanus calefactionem contubernii per arefactionem arboris,* imo neque vult, neque proprie permittit frugiferam arborem arefieri; fit enim ea arefactio bono Hortulano simpliciter invito & nolente. At vero peccatum non fit DEO simpliciter invito & nolente, neque fit eo non permittente. 2. Supra evicimus peccatum esse φύσει & per se medium declarandæ gloriæ justitiæ & misericordiæ, non autem medium per accidens,

Arubal Jesuita tom. 1. q 23. art. 4. disp. 82. n. 2.

Objicit *Petrus de Arubal. Remotum* (inquit) *medium non potest amari ex intentione finis ultimi, nisi ex complacentiâ medii propinquioris quod ex fine remoto pendet, ut non potest homo quærere equum, nisi ex complacentiâ eundi in Curiam. DEUS ergo non potest amare gloriam justitiæ punitivæ saltem absolutè & per se, nisi amet peccatum, quod est medium propinquius ad illum finem; Hoc autem est absurdum, DEUS ergo absolutè talem gloriam non intendit.*

Respondeo. *Qui vult finem, vult media propinqua* & remota, sed non necesse est eodem amore & eâdem complacentiâ velit finem & media, sufficit hic quod DEUS effectivè velit declarationem suæ gloriæ vindicatricis justitiæ complacentiâ effectivâ & practicâ, quippe efficiens est in puniendo & condonando, sed non necesse est

eâdem

eâdem complacentiâ effectivâ velit omnia media ad illum finem. satis est quod velit peccata complacentiâ permissivâ, quæ optimè consistit cum morali detestatione peccati. Sic qui vult sanitatem, quæ finis est, complacentiâ effectivâ & per se, non necesse ut velit sectionem venæ eâdem voluntate effectivâ, satis est quod sectionem venæ velit propter aliud, & permittendo ut *Chirurgus* venam secet: imo quamvis velit sanitatem per se, potest tamen ita velle sectionem venæ, ut eam detestetur tanquam naturæ particulari inimicam: sic potest quis velle per se & effectivè ire in curiam, attamen potest velle conducere equum voluntate quasi mixtâ partim voluntariâ, partim involuntariâ, quia fortè magno nimis pretio conducitur equus.

Assertio 4. Permissio peccati & ipsum peccatum sunt media ostensiva justitiæ DEI, non ostensione speculativâ, sed practicâ & experimentali, quia DEUS non intendit quamlibet gloriam declarare; nempe, vel justitiæ, si allibuerit homini finaliter perseverare in peccatis: vel misericordiæ, si libuerit ei resipiscere, vel gloriæ simpliciter legislativæ, si libuisset *Adamo* nunquam peccare. Nec intendit DEUS declarationem gloriæ, justitiæ & misericordiæ, ut volunt *Corvinus* & *Vorstius*, *ipsâ legislatione*, *& pœnarum comminatione*, *& revelatione*, *etsi nunquam extitisset peccatum*. Quod sic probo: Eam Gloriam DEUS ab æterno decrevit declarare in creaturis rationalibus, quam actu & in tempore declarat, *Eph.* 3. 9. 2 *Tim.* 1. 9. 1 *Pet.* 1. 19, 20. Quia CHRISTUS idem mactatus & prædicatus est in tempore, qui in DEI æterno decreto mactandus & prædicandus fuit, ac proinde eadem gloria in CHRISTO crucifixo patefacta est, quæ in æterno DEI decreto patefacienda fuit *ante tempora sæculoria*, *& ante facta mundi fundamenta*: atqui illa non fuit gloria CHRISTI, vel Gloria DEI Legislatoris, sub disjunctione, Scriptura de tali gloriâ pendulâ & ancipite nihil habet. 2. Gloria potentiæ, justitiæ & misericordiæ, de quâ ad *Rom* 9. quæ fuit à DEO præordinata non est gloria speculativè & nudâ revelatione declaranda, sed gloria practica & notitiâ experimentali in justissimâ *Pharaonis* punitione, in tollerandis multâ lenitate vasis iræ, & salvandis vasis misericordiæ patefacta: ideo *Paulus* potè *Mosem*. *Propter hoc ipsum excitavi te*, *ut declararem in te* (experientiâ tibi dolendâ) *virtutem meam*, *& ut annunciaretur nomen meum in universâ*

Deus eandem determinatam gloriam justitiæ, non aliam quam assequitur, intendit.

Corvi. contr. Molinæ. c. 3. q. 9. Vorstius amica dupli. con. Piscat.

terrâ. Non dicit, ut virtus mea sit declarabilis, ut nomen meum sit annunciabile, *sed ut actu declararem virtutem meam, & ut actu annunciaretur nomen meum in universâ terrâ.* v. 22. *Quod si Deus volens ostendere iram suam & notam facere potentiam suam, multâ lenitate pertulit vasa iræ coagmentata ad interitum.* 23. *Et ut notam faceret opulentiam gloriæ in vasis misericordiæ quæ præparavit ad gloriam.* Ex quo sequitur DEUM eandem gloriam potentiæ & longanimitatis, quam actu, eventu & experimentali manifestatione declarat in reprobis perdendis (& ab æterno tali modo) & non aliam gloriam patefacere decrevisse & præordinasse, & eosdem numero homines ad hunc eventum destinasse; & eandem opulentam gloriam, quam DEUS gratiosa & misericorde experientiâ declarat, *erga vasa misericordiæ*, illa eâdem (inquam) & non alia, quam *quæ præparavit ad gloriam*, DEUM ab æterno patefacere & declarare decrevisse. 3. Non est quæstio an DEUS indigeat peccato ad sese glorificandum, ut autumant adversarii. 2. Nec est quæstio an DEUS aliis mediis, quam efficace permissione peccati, peccato permisso, peccati denique permissi punitione & condonatione gloriam suam declarare potuerit. Quis hic Spiritum JEHOVÆ coarctaret? sed posito hoc semel, quod eventus ponendos esse reipsa comprobasset, & DEUS decrevisset patefacere talem determinatam gloriam justitiæ vindicatricis & misericordiæ condonantis, nos homunciones non videmus, stante hac dispensatione DEI, quomodo DEUS hominibus, & Angelis, experimentali notitiâ, potuerit aliter talem gloriâ declarare quam per hæc ipsa media, nempe per peccata permissa, juste punita, & misericorditer condonata in Mediatore CHRISTO. Alioqui, si aliam dispensationem infinitæ sapientiæ DEUS instituisset, potuit DEUS justitiam punitivam, & misericordiam condonantem ostendere nuda revelatione, comminatione pœnæ, & promissione, verum ea declaratio speculativa fuisset, non experimentalis & practica, & quia nulla fit alia declaratio gloriæ justitiæ & misericordiæ DEI quam hæc practica & experimentalis, ideo nulla alia fuit ab æterno à DEO decreta & declaranda præordinata. Et qui aliam somniant, ii DEO à consiliis fuisse videntur, & ultrà quod scriptum est, de DEO sapiunt: Nam omne DEI decretum quod nos tenemur credere, vel expresso DEI verbo continetur, vel eventu nobis declaratur. Atqui decretum

Somniant Adversarii Deum in consiliis capiendis pendulum, ancipitem, ignarum.

disjunctivum

disjunctivum Adversariorum, *Jesuitarum* & *Arminianorum* intelligo, nec DEI verbo continetur, nec eventu nobis declaratur: nam fingitur sic DEUS anceps, dubius, pendulus, quasi sic ab æterno apud se statueret, *Ego intendo declarare in hominibus & Angelis, vel gloriam meam legislativam, quæ debetur mihi quâ legislatori, si nempe omnes Angeli & omnes homines in obedientiâ perfectâ meæ legi præstandâ persistiterint; vel gloriam Justitiæ, si quidam ex Angelis defecorint; vel gloriam Justitiæ punitivæ, si omnes homines finaliter repugnaverint mandato Euangelico credendi in CHRISTUM & resipiscendi; vel gloriam misericordiæ condonantis, si omnes crediderint in CHRISTUM; vel partim Justitiæ, partim misericordiæ, si quidam ex hominibus crediderint, & quidam non.* Cupimus tale decretum de patefaciendâ DEI gloriâ scripturis aut ratione demonstrari. Certe omniscius dux in bello non est, qui statuit, hoc oppidum capere, sin vero fine exciderit, oppidum alterum subigere, si vero voto non potitus fuerit, hoc tertium expugnare, si vero spes voto non responderit, quartum hoc oppidulum in suam potestatem redigere; sin vero re infecta, spe elusa, & consilio irrito in omnibus domum revorti & depositis armis in pace vitam transigere compulsus fuerit, is in consilio capiendo ignarus eventus, & dubius & pendulus fuit: Sic Nauclerus qui in portum hunc navem appellere decernat, sin vero imperio ventorum subactus fuerit, in alium portum navigare, & si nec hoc portu potiri permiserit tempestas, in hoc littus remigio & cymbula vectores in terram deducere, si vero vi ventorum in omnibus hisce cedere coactus fuerit, & tandem navis in altum mare acta scopulisque allisa confringatur, non fuit fatorum maris & eventuum & periculorum exactè præscius & gnarus, sed in consiliis suis capiendis dubius, & omnino pendulus. Licetne de JEHOVA nostro Creatore infinito, omniscio, omnipotente aliquid tale fingere? ah absit, absit; unde necesse est dicamus DEUM hanc determinatam gloriam justitiæ punitivæ, & misericordiæ condonantis & non aliam, & in his & his determinatis hominibus, non in aliis, & per hæc media, non per alia, nempe per efficacem peccati permissionem, per hæc, quæ eveniunt peccata, per hanc punitionem, & per hanc condonationem peccatorum declarare & patefacere tali experimentali manifestatione decrevisse & ab æterno præordinasse. Unde DEUS gloriam justitiæ &

misericordiæ, *etiam si peccatum nunquam extitisset*, ut fabulatur *Arnol. Corvinus*, declarare minimè decrevit, stante hac DEI dispensatione quam sapienter instituit.

Assertio 5. DEUS homines ad peccandum complacentiâ effectivâ, aut approbativâ minime prædestinavit, ut probant adversarii, at vero complacentiâ permissivâ, præordinavit DEUS, ut homines peccarent, ut sic gloriam justitiæ vindicatricis & misericordiæ ostenderet: probatur posterior pars. *Quidam impingunt ad sermonem* εἰς ὃ καὶ ἐτέθησαν *ad quod etiam constituti erant.* Item. *Surrexerunt quidam jam olim præscripti ad hanc damnationem*, προγεγραμμένοι εἰς τοῦτο τὸ κρῖμα. Item. *Non auscultarunt filii* Eli *voci patris sui.* יען. Quia (male vertit *Corvinus*, *ideo*) *Volebat* JEHOVAH *ipsos interimere*, id est, *stabat sententia occidendi illos*; inquit *Junius*. Si enim decrevit JEHOVAH ut filii *Eli* à Philisthæis occiderentur (hæc quidem occisio activa ex parte occidentium erat actio injusta & scelus atrocissimum sacerdotes JEHOVÆ interimere) tum DEUS volebat & decernebat ut Philisthæi ipsos occiderent. Nec occurrunt qui respondent DEUM occisionem activam gnatorum *Eli* intendisse & decrevisse, non intentione & præordinatione primariâ & absolutâ & antecedente facinorosam vitam filiorum *Eli*, sed secundariâ, conditionatâ & consequente scortationem nefandam eorum, nam quæcunque sit DEI intentio, ego ex hoc loco evinco DEUM voluisse & præordinasse hominum jam flagitiosorum occisionem peccaminosam & nefariam, quod est institutum nostrum. Nec dicent adversarii DEUM intendere peccatum vel voluntate absolutâ & antecedente, vel voluntate conditionatâ & consequente, aut ullâ voluntate DEUM velle peccatum. Sed, 2. sic arguo. Qui intendit punire peccatum peccato, is præordinavit complacentia permissivâ ut homines peccarent, atqui DEUS intendit punire peccatum peccato. Ergo. Major negari non potest. 1. Quia DEUS ex justitiâ punit peccatum peccato, ut postea demonstrabo: Ergo intendit & decrevit punire peccatum peccato. 2. Quia scriptura expresse hoc dicit. *Rom.* 1. 26, 27, 28. Qui, propterea quod *homines commutarunt gloriam DEI in imaginem corruptibilis hominis*, ut est, 23, 24. tradit *eos fœdis affectibus & reprobæ menti*, ut *facerent quæ minimè conveniunt*, & monstrosâ libidine masculinâ sese polluerent, is eos præordinavit complacentiâ permissivâ, ut peccarent.

1 Pet 2. 8. Judæ 4.

1 Sam. 2. 25

Junius an. in 1 Sam. 2. 25.

Deum complacentiâ permissivâ præordinasse ad peccatum quatenus est pœna peccati.

Item

Item. Quos Deus, eo quod veritati non crediderunt, sed justitia delectati sunt, tradit efficaciæ erroris, ut crederent mendacio, ut damnarentur, eos Deus, complacentiâ permissivâ, præordinavit ad peccatum, ut est, 2 *Thess.* 2. 10, 11, 12. atqui Deus prius facit. *Rom.* 1. 2 *Thess.* 2. Ergo posterius intendit: major tam certa est, ut necesse est dicant, Deum propter antecedentia scelera tradere reprobæ menti, & efficaciæ erroris, ut fœdis & monstrosis peccatis sese polluerent, & mendacio crederent, & quidam hac intentione ut hæc perpetrarent peccata, vel ea intentione ut Deo obedirent & hisce flagitiis abstinerent, Nam Deum hic actus indifferentes sub disjunctione intendere est absurdum; atqui non possunt dicere Deum tradere homines reprobæ menti & efficaciæ erroris, ea intentione ut homines sic traditi Deo obedirent, quod certe dicendum, si Deus in hac traditione peccatum ut pœnam peccati non intendit, sed particula, *ινα* ut, notet eventum per accidens, & non finem pœnalem intentum & præordinatum à Deo hominibus talem pœnam commeritis, ut docent adversarii. Sed sapiens nemo diceret Deum tradere efficaciæ erroris homines, eâ intentione ut crederent veritati, deinde non servatur proportio inter pœnam & peccatum. *Rom.* 1. ut qui *v.* 23. glorioſum Deum transformant in creaturæ corruptibilis imaginem & sic Deum dedecore afficiant, ii puniantur in hoc quod permittantur monstrosâ libidine masculinâ contra naturam suam Dei creatam imaginem dedecore afficere, nec proportio servaretur inter peccatum quod erat *non credere veritati.* 2 *Thess.* 2. 11. & pœnam, nempe credere mendacio, quod tamen est expresse contra contextum Scripturæ.

3. Si ubi *abundat peccatum, ibi superabundat gratia*, ut ait *Paulus*, tum ibi superabundat gloria gratiæ manifestatæ à Deo præordinata & intenta. Si ergo Deus gloriam gratiæ ut 14. intendit & ad eam homines præordinavit, tum etiam permissivâ complacentiâ intendit & præordinavit ut homines peccata ut 7. committerent, alioqui quantitas medii nullo modo quantitati finis præordinatâ aliquâ proportione responderet, & quod contraria opinio fuerit olim *Pelagianorum* patet ex *Augustino, Electus est* (inquit) *Judas ad opus cui congruebat.* nempe præordinatione permissivâ, ad proditionem (nam de ea loquitur contra *Pelagianos*) & clarissime, ex

Quatenus patres negant DEUM ad peccatum prædestinare.

Augustin. de correct. & gra. c. 7.

Bradward. de cauſ. Dei. l. 1. c. 38. Suarez de Deo. l. 5. de reprob. c. 4. n. 8. Alvarez. lib. reſponſion. c. 27. n. 17. Fulgentius con. Moni. l. 1. c. 13.

ex *Bradwardinâ* cui hoc ipſum objectum erat, nempe per patronos gratiæ doceri *homines ad peccandum prædeſtinari.* Ad quod reſpondet malleus ille Pelagianorum, *Homines non eſſe ita à DEO ordinatos ad peccatum, quaſi DEUS illos malos mores creaverit.* Et ibid. *DEUS per prædeſtinationem ſuam non cogit eos contra voluntatem ſuam ad peccandum —— ſi quis arguat, DEVS nec vult nec facit merita noſtra bona, quia neminem cogit invitè mereri, dicendum quod merita aliter tribuuntur DEO quam peccata, propter habitus boni infuſos, & quia eſt prima cauſa imputabilis meritorum.* Miror qua fronte *Suarez* imputet *Colvino* & *Bezæ*, quod velint Deum *prius eſſe ultorem peccati, quam homo ſit peccator.* Quia, ut ait *Alvarez, prior in executione eſt permiſſio peccati, quam oſtenſio iræ*, id quod noſtri docent: deinde decernere quoſdam ad efficacem permiſſionem peccati & ad interitum non eſt actus ulciſcendi peccatum. Nec quicquam contra nos dicunt *Fulgentius* & *Concilium Valentinum.* Et doctores *Salmanticenſ.* cum noſtris docent *eos nihil aliud dicere, quam cauſam meritoriam mortis æternæ eſſe peccatum hominis, non prædeſtinationem DEI.* Quia Deus neminem ſic ad peccandum prædeſtinat, uti docuerunt *Pelagiani*, qui docuerunt orthodoxos facere *prædeſtinationem DEI cauſam peccati.* Imo ipſi *Salmanticenſes* docent *providentiam DEI connotare actus divinæ voluntatis, ſcilicet, intentionem finis & electionem mediorum, & conſiſtere formaliter in imperio providentiæ quo procurat media ad finem à ſe intenta.* At vide quid inferri poſſit contra eos, ſi peccata ſunt media gloriæ juſtitiæ divinæ. *Non ſunt volita* (inquit *Fran. Herera Scotiſta.*) *peccata à DEO (prædeſtinante) ut media, ſed ut conditiones ſine quibus non, quæ conditiones poſſunt eſſe volitæ à DEO, ut ſunt in genere entium, non ut ſunt in genere moris.* At vero peccata *in genere moris* & quâ peccata ſunt formaliter punibilia & condonabilia, ac proinde formaliſſimè media oſtenſiva divinæ juſtitiæ & miſericordiæ. *Imo ornari* (inquit *Proſper*) *talium* (peccantium & pereuntium) *conditione mundi hujus varietatem quis non intelligit?* quod & ait *Aquinas*, dum aſſerit quia *excellentia divinæ bonitatis, non poteſt uno modo, nec in una creatura ſufficienter manifeſtari, ideo DEVM diverſas creaturas præſertim rationales condidiſſe, in quibus juſtitia ejus manifeſtaretur.* Quid? non ne *Suarezio* inſcio hæc veritas excidit? *ſic permiſit* (inquit) *peccatum*

Concil. Valenti. c. 5. Collegiu. Salmanticenſ. curſ. Theolo. to. 1. trac. 5. de prdæſti. diſp. 7. dub. 2. q. 2. n. 28 Herera diſp Theol. l. 2. ſent Sco. ſubti. diſp 38. q. 1. reſp. ad ult. arg. Proſper ad Cap. Gal. c. 13. Aquinas in c. 9. ad Roma. lect. 4. Suarez in 1. de Deo. tract. 2. l. 3. de prædeſt. c. 8. n. 4, 5.

Adæ,

Ade, ut sapientiam suam in procurandâ hominum salute manifestaret. At nos nihil aliud docemus quam hoc: DEUS ergo intendit Gloriam istam sapientiæ manifestandæ in incarnatione filii sui, dum permitteret *Adamum* peccare, & eo consilio & intentione permisit eum labi. *Concilium Arausicanum* anathemate ferit eos *qui credunt aliquos ad malum divinâ potestate prædestinatos esse.* Respondet *Collegium Salmanticense, Concilium loqui de prædestinatione ad malum culpæ, non ad malum pœnæ*; sed duo hinc concludo. 1. *Salmanticens.* dicere DEUM homines ad æternum exitium prædestinare. 2. Cum peccatum sit pœna peccati, DEUM posse prædestinare homines non quidem absolutè, bene tamen conditionate & quâ flagitiosos, ad peccata quatenus sunt malè anteactæ vitæ scelerum supplicia. Sed Respondeo, puto neminem qui antiquitatem vel à limine salutarit, ignorare coactum esse id *Consilium Arausica*, contra *Pelagianos*, qui imputabant orthodoxis, quod docerent homines non prædestinatos esse ad peccandum, sed ad malum divinâ potestate (notanda vox potestatis) prædestinatos esse. Potestas autem ea erat fatalis, cogens, necessitans & causativa. *Tridentinos* hic non moror, quippe contra nos conspirarunt cum *Pelagianis*: Sed adhuc eloquatur *Suarez* Jesuita. *Permissio formaliter consistit in privatione seu negatione illius auxilii, quod DEVS præscit futurum esse efficax ad vitandam culpam, & sicut DEI voluntas est adæquata causa dandi tale auxilium, ita etiam non dandi.* Unde nos sic, cujus voluntas est adæquata causa dandi tale auxilium quod efficax est causa peccati vitandi, & adæquata causa non dandi, is, quoties non dat tale auxilium, vult & intendit, ut non evitetur peccatum, atqui DEUS, ex *Suarezio*, est talis causa. Ergo. Sic *Damascen. DEVS vult permittere peccatum propter suam gloriam. Ambrosius. Permisit DEVS lapsum Petri propter bonum Ecclesiæ. Augustin. Audeo dicere superbiæ esse utile cadere in aliquod apertum manifestumque peccatum, unde sibi displiceant, & humiles fiant.* Jam permissio in actu primo prout contradistinguitur à peccato permisso, non est medium humiliandi superbum sed potius inflandi, quippe quia potest homo stare, etiam quando cadere permittitur à DEO, juxta Adversariorum dogmata, nec permissio talis est quid ostensivum gloriæ justitiæ punitivæ, & misericordiæ condonantis. *Becanus. Permissio* (inquit) *peccati & obduratio sunt effectus prædestinationis actu positivo*

Operitur meus Concilii Arausicani.

Concilium Arausican. ca. 25.

Collegi Salmanticens. curs. Theo. to. 1. tract. 5. de prædest. dub. 1. q 2. n. 19.

Concil. Trident. ca.

Suarez in 1. de DEO. tract. 2. l. 3. de prædest. c. 8. n. 4, 5.

Damasce. de fid. ortho. l. 2. c. 29

Ambrosius sermo. 47. de fide Petri.

Augustin. de civit. Dei l. 14. c. 13.

Becan. par. 3. trac. de DEO. c. 15. q. 2. concl. 2.

Gregor. de Valent. to. 1. disp. 1. q. 23. punct. 4 Grego. ib. punc. 4. Becan. lect cit. Fonseca Metaphys. l. 6. q. 5. c. 2. sec. 9. Bellarmin. de grat. & lib. ar. l. 6. c. 15. sent. 9. Vasquez. Ruiz.

tivo (inquit *Gregori.* de Valentia.) *Et peculiari divinæ voluntatis negatur reprobis singularis illa gratia, qua corda illorum emollirentur.* Denique *Gregor. de Valent. Becanus, Fonseca, Suarez, Bellarm. Vasquez, Ruiz,* Docent *DEVM ex absoluta sua voluntate negare reprobis gratiam congruam, quæ si daretur, converterentur & salvarentur.* Unde sic arguo, Deus vel prædestinavit Judam proditorem & omnes reprobos ad conversionem & salvationem, vel ad non-conversionem & non salvationem; sed prius non est admittendum. Ergo admittendum posterius: ratio minoris, quia qui ex absolutâ suâ voluntate, nulloque hominis demerito comparativo vocat Judam per gratiam quam scit fore inefficacem, & negat eam solam quam scit efficacem & efficaciter conversionis & salvationis procurativam, is non intendit conversionem Judæ, neque eum ad conversionem & salvationem prædestinavit. Nam si homo finem ex solâ liberâ suâ voluntate intendit per media quæ scit esse inefficacia, & negat ex solâ suâ voluntate, media quæ scit fore efficacia, finem velle & ad eum destinare minimè dicendus esset.

Remonstr. in script. synod. ar. 1. pag. 247. ad Rom. 9. v. 19.

Assertio 6. Licet Deus permissivè præordinet hominem ad peccandum, male objiciunt *Remonstrantes* illud. *DEUS non potest* (inquiunt) *iis ulla specie juris irasci, vel eos punire propter delictum, quod ipse fieri voluit ab æterno, quod in tempore procurat, imò cujus committendi alteri irrefragabilem necessitatem imposuit.* Suspecta est hæc objectio duplice nomine. 1. Quia carnalium hominum personâ à Paulo, proponitur & refutatur. *Dices igitur mihi, cur adhuc succenses, voluntati enim ejus. Quis restitit?* hoc est, Si Deus miseretur quorum vult, & quos vult indurat, necesse est Deus iis succenseat qui irresistibili ejus voluntate indurentur, atqui cur Deus talibus succenseat? quia Deo indurare volenti nemo resistere potest. 2. Idem *Pelagiani* olim objecerunt *Bradwardinæ.* Cui ille sic, *omnis actus divinæ voluntatis respectu rei præsentis & præteritæ necessarius in ratione immutabilitatis, infinitæ stabilitatis & firmitatis divinæ naturæ est, quare est etiam necessarius respectu rei futuræ. non enim efficitur aliquis actus DEI de novo necessarius, ex præsentia, vel præteritione rei, nec ab aliqua causâ extrinsecâ.* Ergo & Carnales sunt & *Pelagiani*, qui objiciunt Deum non posse jure irasci iis, qui peccant indurati irresistibili Dei voluntate, & qui objiciunt Deum per decretum suum immutabile cui resisti non

Bradward. de caus. Dei l. 3. c. 49.

Suspecta est objectio Adversariorum qui dicunt voluntatem absolutam tollere demeritum.

potest,

potest, hominibus imponere necessitatem peccandi; quia ut contendit *Bradwardinus*, & jure quidem, quando DEUS semel voluit actus liberos fore, ea DEI volitio semper est necessaria & ad intra ex internâ immutabilitate, non autem incipit esse necessaria ex causâ ullâ extrinsecâ, aut ex præsentiâ & futuritione rei, & sic actus liberi quos DEUS fieri vult, respectu divini decreti semel necessarii, sunt semper necessarii. 3. Falsissimum est DEUM imponere necessitatem per decretum suum immutabile libero arbitrio. 1. Quia decretum DEI nulla actione reali influit in actus liberos. 2. Quia posito decreto ponitur necessitas tantum secundum quid, & talis in quam ipsa voluntas sese libere inclinat & flectit. Unde falsum est illud, DEUM non posse ei jure irasci, qui illud facit ex quadam necessitate impositâ ei à voluntate ejus qui irascitur, hoc quidem verum, si ea necessitas pugnet cum libertate illius cui DEUS irascitur, si vero cum ea conspiret amicè, jure potest ei succensere.

Assertio 7. Intentio hæc DEI permissiva est ordine causarum prior vel hominis peccato, vel divinâ permissione. 1. Quia infinitæ DEI sapientiæ consonum est, ut antequam homo, vel creatus sit, vel cadat, vel finaliter cadere permittatur, DEUS habeat intentionem & propositum de illius peccati permissione, vel de æterno exitio quod est justum demeritum peccati: quia omne agens intellectuale prius finem in actione intendit. 2. Quia *Deus omnia facit propter seipsum*, id est, propter suam gloriam. PROV. 16. 4. *Et omnia operatur ex consilio voluntatis suæ, ut nos simus ad laudem gloriæ ipsius.* EZECH. 1. 11, 12. Intendit ergo DEUS, ordine naturæ, priusquam nos creet, hos fines nempe gloriam justitiæ, per peccati efficacem permissionem, & misericordiæ, per donationem resipiscentiæ, fidei & remissionis peccatorum. 3. DEUS in tempore homines creat, creatos peccare, in peccatis mori permittit, resipiscentiâ quosdam donat, ut glorificetur. Ergo DEUS hunc ordinem etiam ab æterno præconstituit. 4. Voluntas DEI ab æterno determinata fuit, ut ait *Bradwardin.* & saniores Scholastici, *circa omne volibile & nolibile*, cum enim voluntas DEI sit actualissima, non potuit esse suspensa, anceps & indeterminata circa quicquid fit, vel non fit. Unde necesse est habuerit propositum fixum de fine, hominum salvatione & damnatione, de gloriâ misericordiæ & justitiæ, & de mediis adæquatis, quæ præsertim sunt materia-

Intendit Deus permittere peccatum antequam sit vel peccatum vel peccati permissio.

Bradward. de causa Dei, l. c. 22

intrinseca justitiæ punientis & misericordiæ condonantis, puta de peccato. Vide de hac re *Bezam*, Et facile solvi potest quod ait in contrarium *Fasolus Jesuita* asserens DEUM non velle gloriam justitiæ & misericordiæ, nisi postquam peccatum jam extitit. *Qui vult* (inquit) *pœnitentiam & resuscitationem à peccato, postquam peccatum existit, & existere præscitur, non necessario vult peccatum existere, sed peccatum destrui & non existere vult, sicut qui vult mortuum Paulum aut Petrum resuscitari, non necessario vult mortem esse, sed mortem non esse, & Petrum & Paulum à morte liberatos, atqui DEUS non vult resuscitationem & resipiscentiam ex peccato, nisi postquam jam existit peccatum. Nam non vult peccatum esse ut existeret pœnitentia & splenderet gloria misericordiæ in peccato condonando, quia sic necessariò dicendum DEVM velle peccatum, si prius vellet pœnitentiam, quam peccatum existeret.* Unde probare vult Jesuita DEUM gloriam justitiæ & misericordiæ non velle aut intendere absolute & primariò, sed tantum secundariò & conditionatè, postquam peccatum est, & creatura præscitur peccatrix esse.

Bezæ con. Castell. de præd. ar. 1. pa. 30. Fasolus tom. 1. que. 23. art. 2. n. 23.

Respondeo. Postquam peccatum permissum existit actu, non potest DEUS intendere gloriam misericordiæ in dando pœnitentiam, sicut non potest medicus intendere sanitatem Pauli per sectionem venæ, si secta fuisset vena per alium medicum antequam existeret illa intentio, fingitur autem DEUS intendere incarnationem CHRISTI tanquam finem per hoc medium nempe per permissionem primi peccati, sed ea intentio non incipit esse, donec *Adamus* prius permissus sit peccare & sit actu peccator; nam per eandem rationem posset DEUS hâc horâ intendere incarnationem Filii sui per efficacem permissionem primi peccati *Adami*, quæ multis retro seculis elapsa est: & certe non potest agens intellectuale intendere finem per tale medium quod existit ante illam intentionem, quia intentio medii aliquo modo essentialiter includitur in intentione finis per tale medium; nam certe quæstio semper manet qua intentione DEUS excitet *Pharaonem* eumque sese & cor suum indurare permittit; *Paulus* ait ut annunciaretur nomen DEI, hoc est, gloriæ potentiæ & justitiæ vindicatricis in universâ terrâ. *Fasolus* respondere debet DEUM excitare & permittere *Pharaonem* peccare, ut obedientiam præstet DEO & pateſiat gloria legislativa DEI in servando *Pharaone*. Item quæritur cur, vel quo *fine multa lenitate*

pertulerit

pertulerit vasa iræ, Paulus ait, *ut ostenderet iram, & ut notam faceret opulentiam gloriæ suæ in vasis misericordiæ.* Rom. 9. 22. 23.
Fasolus respondere debet DEUM tolerare & labi permittere vasa iræ coagmentata ad interitum, *ut ostenderet misericordiam in* vasis iræ servandis. 2. Si DEUS non intendit gloriam justitiæ & gloriam misericordiæ & gratiæ in incarnatione Filii sui, dum *Adamum* peccare permisit, aliam gloriam intenderit necesse est, nam DEUS nihil ad extra facit nisi propter suam gloriam, ut ait scriptura, at quæ sit illa alia gloria, nunquam ostendet Jesuita. Nempe permisit *Adamum* labi & gratiam efficaciter confirmantem negavit ei, eo fine, ut obediens persisteret, & sic ut locus nullus foret filio suo incarnato, locus nullus justitiæ, gratiæ, misericordiæ gloriæ foret. Sed Paulo potius credendum *Deum omnes conclusisse sub peccato, ut omnium misereretur* in CHRISTO, quam talibus Sophistis Dei gloriam obscurantibus. Prov. 16. 4. Rom. 11. 36, 37. Apoc. 4. 11.

Certe nobiscum sentire mihi videtur Magnus Jesuita *Didac. Ruiz*, Dum asserit *Deum velle non tantum ut causam Physicam, sed etiam ut moralem, negationem gratiæ justificantis, quæ proprie* (inquit) *reprobationis effectus est, non quidem ut est peccatum, sed ut pœna præcedentis peccati, ut homo non corroboretur contra consequentia peccata.* Sed certè si DEUS intendit negationem gratiæ illius justificantis in decreto reprobationis, *in pœnam præcedentis peccati eo fine ut homo non corroboretur contra consequentia peccata*, tum DEUS prædestinavit homines in id ex quo necessario sequitur peccatum tanquam ex causa non removente prohibens, & erit DEUS causa peccati ad modum causæ non removentis prohibens, ut Jesuitæ contra nos arguunt. 2. Deinde sequitur DEUM *illa peccata consequentia* intendere, quia negat eam gratiam justificantem quâ homo corroboraretur contra illa peccata, & hæc negatio talis gratiæ, (inquit) *est propriè effectus reprobationis*, non ergo est eventus per accidens, & consequentia ista peccata necessario erunt à DEO intenta ut compleretur decretum reprobationis. Sed cur igitur *Ruiz*, cum *Lo. Mæratio*, negant permissionem esse prædestinationis effectum? *Quia permissio* (inquit *Ruiz*) *Neque est gratia bonum, neque ultimus terminus, sicut pœna ad quam homines destinantur, Ergo licet permissio sit bonum à Deo positivè volitum, tamen ad permissionem non prædestinantur homines:* sed elumbis est hæc ratio. Quia nec pœna est ultimus terminus, nam ulterior est gloria justitiæ, attamen ex *Ruiz*, homines Ruiz. to. de prædest. disp. 38. sect. 20. n. 4, 5. Ruiz. de volunt. Dei disp. 26. sect. 5. Mæratius Jesui. tom. 1. disp. 39. sect 8. n. 7.

Thomas Aquin. in Rom. 11. lec. 4. Fasolus in 1. to. 2. q. 23. ar. 2. dub. 4. n. 23 Arubalto. t. q. 23. disp. 87. n. 11. & 15.

ad pœnam prædestinantur. Deinde *DEUS concluſit omnes ſub peccato*, hoc eſt, interprete *Thomâ*, peccare permiſit, ut omnium miſereretur. *Eſt enim* (inquit *Faſolus*) *bonum quid* (permiſſio) *ac per ſe conducibile ad majus gratiæ ac gloriæ bonum, ideo ex abſoluto prædeſtinationis fine, ſine dubio,* (*DEUS*) *elegit permiſſionem.*

Objicit *Arubal. Licet Deus quâ abſolutus Dominus excludere poſſet à gloriâ quem vult, hoc tamen facere non poteſt ex præcedente intentione oſtendi juſtitiam. Et quare*, rationem reddit. *Quia DEUS non poteſt habere voluntatem oſtendendi juſtitiam, niſi habeat complacentiam in peccato quod eſt medium tendens ad oſtenſionem juſtitiæ. At voluntas permittendi primum peccatum non oritur ex tali complacentiâ, quam Deus habet erga peccatum; ideoque voluntas permittendi peccatum non eſt effectus reprobationis.*

Reſpondeo. Si DEUS juſtè excludere poteſt à gloriâ quem vult, ut abſolutus Dominus, mirum eſt quod voluntas oſtendendi juſtitiam in excluſione tali reddat hanc excluſionem injuſtam. Hoc idem eſt ac ſi diceret Jeſuita. Figulus poteſt quamlibet portionem luti excludere è numero vaſorum honoris: ſed ſi figulus hoc faciat ex voluntate oſtendendi peritiam in rejicendo luto inutili, eſt jam injuſtus & iniquus erga lutum. 2. Voluntas ſeu intentio oſtendendi juſtitiam non eſt formaliter actus juſtitiæ, ſed actus abſoluti DEI beneplaciti. Voluntas DEI oſtendendi Omnipotentiam non eſt actus Omnipotentiæ; Voluntas oſtendendi Omniſcientiam non eſt actus Omniſcientiæ, ſed actus liberrimi DEI beneplaciti, quia liberum eſt DEO hoc vel illud attributum creaturis declarare, vel non. 3. Nec valet ratio Jeſuitæ, *DEUS non poteſt* (inquit) *habere voluntatem oſtendendi juſtitiam, niſi habeat complacentiam in peccato.* De complacentiâ effectivâ in peccato, falſum eſt. De complacentiâ in peccato permiſſivâ, verum eſt, ſed inconveniens non eſt, ſed neceſſarium. Et quia DEUS habet complacentiam effectivam in oſtendendo juſtitiam, & permiſſivam circa peccatum; ideo permittit peccatum. Unde adhuc reſpondeant Jeſuitæ quo fine, & quâ intentione DEUS primum peccatum permiſit. Voluntas permittendi primum peccatum à noſtris, quod ſciam, non dicitur effectus reprobationis, ſed eſt ipſa reprobatio, aut pars ejus. Permiſſio primi peccati eſt communis effectus, tum Electionis, tum reprobationis,

Si eſt in DEO ut abſolutus Dominus, voluntas excludendi homines à gloriâ intentio declarandi juſtitiam non poteſt reddere hanc intentionem injuſtam.

reprobationis, & viam sternit ad incarnationem DEI. Sed notandum ad hæc respondere Jesuitam *Lessium*, *DEVM non velle nisi voluntate consequente gloriam justitiæ punitivæ, gratiæ, & misericordiæ.* nempe, hoc prius posito, quod peccatum sit, unde adæquata causa cur sit in DEO decretum de incarnatione Filii DEI est peccatum hominis determinans DEUM ad hoc decretum faciendum. 2. Sic DEUS voluntate antecedente decrevit ut nunquam declararetur gloria gratiæ & misericordiæ in incarnatione Filii *Dei*, ut nûquam declararetur gloria justitiæ punitivæ & misericordiæ condonantis. 3. DEUS primariâ voluntate decrevit ut omnes in *Adamo* obedirent, & in eo omnes mortales prædestinavit ad gloriam per fœdus legale acquirendam. 4. DEUS primariâ voluntate & antecedente neminem ad gratiam & gloriam merito mortis *Christi* partam prædestinavit. 5. Penes liberum arbitrium creatum fuisset simpliciter, quod CHRISTUS incarnatus fuisset, vel non, quod actu declarata sit justitia vindicatrix, & misericordia condonans, vel non declarata. Quod fuisset gratia, justitia imputata, remissio peccatorum in rerum naturâ, vel non fuisset, DEI autem beneplacitum nullum, dominium efficax, aut absolutum imperium circa existentiam vel non existentiam horum. Quin imo DEUS omnia hæc fieri voluit determinatus & compulsus ad hæc volenda & decernenda, voluntate secundariâ & consequente, cum voluntate primariâ & antecedente fine primitus intento jam excussus esset. Hæc omnia ex contrariâ opinione, absurda & multa alia consequuntur, ex eo quod DEUS non intendat justitiam & misericordiam suam declarare per efficacem peccati permissionem.

Secundum Jesuitas & Arminianos causa decreti DEI in incarnatione Filii DEI, est in hominibus, & quidem absolute.

Neque absonum rationi debet videri hominem à DEO constitutum ad exitium idque ex absolutâ DEI voluntate. Nam quosdam ad pœnas temporales præaliis ipsis sceleratoribus esse conditos experientiâ & sacris oraculis confirmari potest. Si enim DEUS quosdam ad pœnas ut 6. ex absolutâ suâ voluntate condidit, potest etiam ex eâdem voluntate alios ad pœnas ut 1000. & ad pœnas æternas condere. Sed audi Scripturas. 1. DEUS *Jobum*, *Hieremiam*, & ultimos Apostolos ad afflictiones temporales aliis longè graviores & atrociores constituit. Ergo vel propter eorum peccata ad tales pœnas præordinavit, vel ex absolutâ suâ voluntate, non prius, nam sancti aliis sceleratiores non fuerunt. Ergo ex absolutâ scâ voluntate eos ad tales

Quosdam præ aliis ad miserias longè atrociores à Deo condi.

Job. 1. c. 2. Hierim. c. 20. 14. 1 Cor. 4. 9. 1 Thes. 3. 3. 1 Thes. 3. 3. Heb. 11. 37.

tales cruciatus cõdidit *Nostis ad afflictiones nos esse constitutos.* Quid de cæco nato. *Joh. 9.* Quem CHRISTUS neque propter sua, neque propter parentum peccata, sed ad declarandam Gloriam DEI cæcum natum dicit? Videmus nonnullos infantes, gladio, vivicomburio in utero & ab ubere raptos miserè perire. At alii infantes ex parentibus æquè sceleratis tales pœnas evadunt, qui moriuntur etiam citra baptismi lavacrum, & propterea Cœlo proscribuntur, si credendum Pontificiis. Ergo ad hanc miseriam absolutâ DEI voluntate destinati sunt, vel ostendant conditionatam DEI voluntatem hic, quod nunquam facient. Quam vanum est *Suarezii* effugium hic. *Impedimentum salutis & Baptismi* (inquit) *sæpè provenit ex effectu per se bono & inculpabili, quem effectum Deus non tantum permittit, sed etiam vult, sed impedimentum hoc provenit ex illo effectu per se considerato, vel in ordine ad alios fines universi: tamen ut est impedimentum salutis & remissionis peccati est tantum permissus: quia involvit aliquo modo malitiam culpæ.* Sed non plus desiderò, quam DEUM destinare homines ad interitum ut ordinatur ad bonum universi. Et qui, quæso, sint isti alii fines, propter quos DEUS prædestinaret tenellos infantes ad tam luctuosum interitum, effare, *Jesuita*, nempe, alibi sic respondes, elegit DEUS hunc ordinem providentiæ, non alium, in quo tales infantes destinatum à DEO interitum incurrunt, nullo ipsorum, præ aliis infantibus in vivis conservatis, malo merito, *quia fortasse* hoc expediebat, *ut divina gratia simul & Justitia magis ostenderetur.* Hoc est quod *Calvinus, Beza* & nostri docent, DEUM destinare homines nondum natos absoluto suo decreto ad talem æternum interitum, quem non nisi suis accumulatis sceleribus actu incurrunt, ut patefiat gloria justitiæ, ut patet in *Pharaone* & vasis iræ, quæ multâ lenitate DEUS tollerat, *Rom. 9. 17, 22, 23.*

Suarez. de DEO tract. 2. l. 5. de reprob. c. 3. n. 16, 17.

Suarez. de aux. l. 2. c. 14. n. 13.

CAPUT

CAPUT XIX.

An DEUS ita sit agens principale, dum Diaboli & impii homines peccant. Ut ipse tamen sit immunis ab omni labe, instrumenta tamen peccati reatu duntaxat inquinentur.

Argu. IV

Prima Evangelicorum distinctio peccati in se, & peccati quà est medium declarandæ gloriæ Dei, vindicatur.

QUarto sic *Argumentamur.*

Qui utitur hominibus & diabolis, in ipso actu peccandi, ad fines à se intentos assequendos, ad sua judicia exequenda, peccata ulciscenda, sanctos humilian. dos, tanquam suis instrumentis, is vult ut eveniat peccatum, se permittente.

Atqui DEUS utitur hominibus & diabolis, in ipso actu peccandi, ad fines à se intentos assequendos, ad sua judicia exequenda, peccata ulciscenda, sanctos humiliandos, tanquam suis instrumentis.

Ergo DEUS vult ut eveniat peccatum, se permittente.

Probatur Major. 1. Omnis qui utitur instrumento propter talem finem, is vult motionem & usum instrumenti quatenus ad eum finem conducibile est. Qui serrâ, gladio, aut baculo utitur, is vult serræ, gladii, aut baculi motionem, nempe dum lignum findit, hostem ferit, servum verberat. 2. *Thomas* sic. *Ipsa naturæ operatio est etiam operatio virtutis divinæ, sicut operatio instrumenti est per virtutem principalis agentis.* Probatur minor, quia creaturæ peccantes assumuntur à DEO ut primo agente, peccata diabolorum & hominum per alia peccata ut justa supplicia puniente, per *Chaldæos* captivum abducentes Jehudam, punit Idololatriam: Vel 2. à DEO castigante ut per *Absolomum* polluentem torum patris sui, castigat *Davidem*, propter adulterium & homicidium: Vel 3. à DEO servos suos explorante, ut per *Sabæorum* latrocinia & depræda tionem, *Jobi* fiduciam & spem in DEUM, nec non patientiam probat: Vel. 4. à DEO suos humiliante, ut per Petri lapsum, inanem & prætumidam in se confidentiam excutit & eum humiliorem (ut ait *Augustin.*) reddit: Vel 5. per injustam Salvatoris occisionem mundum redimente: Vel (6.) suos DEI mandatis obsequentiores per persecutiones

Thomas de poten. q. 3. art. 7. m. 3.

Supplicia puniente peccantes sunt instrumenta à Deo assumpta ad peccata peccatis puniendo.

Augustin. de civ. Dei l. 14. c. 13.

persecutiones efficit. Ps. 119. 71. 2. Hinc impii, dum peccant opprimendo & vastando Ecclesiam Dei, vocantur. *Virga & baculus furoris Dei* (a.) *Novacula conducta* (b.) *Babylon calix aurea in manu Dei* (c.) *Rete Dei* (d.) *Piscatores & venatores* (e.) *Gladius Dei* (f.) *Manus Dei* (g.) *Malleus Dei* (h.) Imo dum libidine dominandi serviunt sibi, Deo tamen principali agenti judicia sua exequenti servitium præstant (i.) Impius *Nebuchadnezzer*, dum Tyrannicè sævit in *Ecclesiam*, vocatur *servus Dei* (k.) Sic *Zuinglius. Neque instrumento facit injuriam, cum omnia sint magis sua, quam cujusque artificis sua instrumenta, quibus non facit injuriam, si nunc limam in malleum, & contra malleum in limam convertat* (l.) Sic *Ferrariensis. Deus utitur omni voluntate ad suum finem* (m.) *Driedo, ad opus suum utitur peccante* (n.) *Lyra, utitur Assyrio baculo.* (o.) Imo ipse *Bellarm. Deus Satanæ, & hominis nequitiâ utitur ad eum puniendum qui tali pœnâ dignus est.* (p.) Et perspicuè, subtilis Jesuita. *Did. Ruiz. Causa* (inquit) *principalis est quæ præconcipit & præordinat actionem instrumenti, quatenus est instrumentum, & præscribit illi mensuram & cæteras circumstantias, at demones & homines peccantes, licet quantum ad malitiam sint causæ principales, cæterum quantum ad inferenda mala tristia sunt instrumenta Dei*, Sic *Hieronym*, de *Assyrio* loquitur. *O stultissime mortalium Dei iram tuam putas esse sapientiam, & illius jussionem ad tuam refers fortitudinem.*

(a) Esa. 10. 5. (b) Esa. 7. 20. (c) Hierem. 51. 7. (d) Hos. 7. 12. (e) Hierem. 16. 6. Job. 10. 16. Habac. 1. 14, 15. Thren. 4. 18, 19. (f) Lev. 26. 33. Psal. 17. 13. Esa. 34. 5, 6. Hier. 9. 16. Hier. 12. 12. Hier. 47. 6. Ezech. 14. Ezech. 21. 3, 4, 5, 6. Ezech. 32. 10. Zephan. 2. 12. (g) Job. 2 10. c. 19. 21. Thren. 3. 3. (h) Jer. 50. 23. (i) Ezech. 29. 19, 20. (k) Hierem. 25. 9. c. 27. 6. c. 43. 10. (l) *Zuinglius* de provid. c. 6. (m) *Ferrariens.* contra Gent. l. 3. c. 70 (n) *Driedo* de concord. c. 3. *Lyra* in Esai. 10. 5. (o) *Bellar.* de amiss. gr. l. 2. c. 14. *P. Ruiz.* tom. de provid. tract. 2. disp. 11. sect. 2. n. 11. *Hieronym.* in Esai. 4.

Prima Adversariorum responsio ad argumentum hoc, est Deum *velle usum, non ortum peccati.* Alii communiter sic. *DEVM non agere per instrumentum, dum peccat, nec DEVM velle ut existat instrumenti peccatum, ideoque DEVM non velle ut oriatur & committatur, sed ex hypothesi quod peccatum jam sit ortum & commissum DEVM velle ut cedat in suam gloriam & sit peccatori malum triste, pœnale & castigativum.*

J. Respons. Guliel. Cibiens. de li. Dei & creat. Refellitur 1. Evasio decimum Deum velle usum, nullo vero modo, ortum peccati

Respondeo 1. Hoc insulsè dicitur, postquam commissum sit latrocinium *Sabæorum*, & convitium *Shimejanum*, Deum velle & intendere

intendere ut illud sit malum castigativum *Jobo*; hoc vero *Davidi* pœnale & ignominiosum: quia nemo sapiens aliquid intendit in pœnam sonti, si sit jam pœnale sonti ante intentionem illam. Atqui convitium *Shimeianum* est pœnale & ignominiosum *Davidi*, ante omnem DEI intentionem: *Quia* (inquiunt) *DEVS ortum peccati non intendit, neq; vult, sed usum tantum.* 2. Ridiculæ erunt omnes comminationes DEI & multæ promissiones in hâc materiâ, sicut enim liberum est DEO comminari malum & promittere bonum, ita liberum est DEO, rem quam comminatur, & promittit, infligere, (nam DEI immutabilitas libertatem non evertit) vel præstare. At per hoc effugium tollitur DEI libertas in plerisque: quia DEUS non potest non velle ut incestus *Absaloni* sit *Davidi* dedecorosus ullâ verâ libertate, ex hypothesi, quod jam sit *Davidi* dedecorosus. DEUS itaque sic dicit. *Est contra meam sanctitatem & naturæ meæ repugnans, velle ut Chaldæi populum meum in exilium abducant, verum ex hypothesi, quod me nolente, eum abducant, ego comminor iis eam nefariam abductionem in justam populi mei Apostasiæ & Idololatriæ ultionem.* Sic. *Meæ naturæ repugnans est velle pollutionem tori Davidici incestuosam per Absolomum, ex hypothesi tamen quod sit, ego eam pollutionem comminor in justam compensationem tori Uriæ à Davide polluti.* Sic. *Ego non volo neque decerno injustam Chaldæorum per Medos & Persas ex solâ dominandi libidine attractos deletionem, sed ex hypothesi quod existat illa deletio populo meo consolatoria, ego promitto eam deletionem in solamen populi mei.* At Scripturis notius quam ut ignorari debeat, DEUM velle liberè, quod comminatur & promittit. 2. DEUM suis comminationibus & promissionibus fidem facere easque implere. 3. Absurdissimum esse DEUM id comminari ut pœnam, quod est jam pœnale iis quibus comminatur, ante illam comminationem, & id promittere ut bonum, quod evenit iis, quibus fit promissio, ante factam promissionem. Neque hic morulam temporis ostendere possunt interjectam inter peccatum & pœnalitatem peccato adhærentem. Hoc est enim ἀναίσχυντον. 4. Quod hic intelligant per usum peccati non exponunt, usus peccati hic sæpè est punitio vel castigatio hominis per ipsum peccandi actum, atqui dum truculenti sicarii CHRISTUM occidunt, in illo actu occidendi DEUS redimit mundum, dum *Absolomus* committit incestum, DEUS in illo ipso actu castigat *Davidem*, nam una & eadem fuit hic actio DEI principalis agentis, & *Absolomi*

Esa. 21. 16, 17. Esa. 14. 24. 1 Reg. 15. 29, 30. 1 Reg. 22. 38. Ezech. 12 25. Hierem. 44 29.

qui instrumentum fuit, una & eadem (inquam) realiter, physicèque, seu materialiter, licet non eadem sit moraliter, ut mox docebo. Non ergo ex hypothesi quod existat talis actio *Absolomi Deus* vult ut sit pœnalis *Davidi* & gloriæ justitiæ declarativa, quia *Deus* agēs est principale in illâ actione, & principalis causa judicās & puniens *Davidem* tali incestuosâ actione prout jam ante comminatus erat, 2 *Sam.* 12. 10, 11, 12.

2. Respon. Doctorum *Salmanticensium.*

2. Respondent *Salmanticenses. Peccatum qua peccatum non esse Davidis castigationem, sed actum entitativum incestus esse castigationem Davidis, ideoque hinc minimè sequi DEUM velle peccatum ut pœnam, sed tantum actum entitativum ut pœnam.*

Non actus sed actus a nomia pœnale quid.

Respondeo. Actus entitativus qui est in incestu ex se non est pœna, sed actus entitativè bonus, & quoad moralitatem indifferens; nam actus sermocinandi in *Shimeïo* non fuit *Davidi* castigativum malum, sed tantum actus sermocinandi probrosus. Nec ablatio bonorum *Jobi* qualiscunque & simpliciter fuit castigatio *Jobi*, sed ablatio per rapinas facta contra omne jus & fas, ab hominibus de quibus homo nihil mali erat commeritus, ea (inquam) ablatio fuit *Jobi* fidei & patientiæ exploratoria, si enim ablata bona *Jobo* fuissent volenti & liberè donanti, non fuisset locus excercitio fidei & patientiæ.

3. Respon. Stapleton. tom. 2. de causâ peccati l. 11. c. 11.

3. Respondet *Stapletonus. Satanam & impios homines in actu peccandi, non justa* DEI *judicia exequi, sed suam duntaxat malitiam, ideoq; non subisse hic* DEO *peccantes in actu peccandi, ut instrumenta.*

In eodem actu quo impii, peccant, famulantur justo DEI decreto.

Respondeo. *Stapleton.* opponit quæ opponenda non sunt, & dicit revera Satanam & impios homines, dum peccant, *non exequi justa* DEI *judicia, sed exequi justa* DEI *judicia*, quia hoc ipso quod suam malitiam peccando explent, in illo eodem actu DEI judicia exequuntur, quia dum *Sabæi Jobum* deprædantur, in illo actu deprædandi serviunt sanctissimo DEI decreto de explorando *Jobo*, dum Pseudoprophetæ seducunt *Achabum* & ad vetitum à DEO bellum pelliciunt, ut illic è medio, propter Idololatriam & ablationem vineæ *Nabothæi*, tollatur, in illo actu seducendi serviunt justo DEI decreto, quo impium Regem ad mortem quam justissimè commeritus fuerat, prædestinaverat. Et sic violantes *voluntatem* DEI (ut ait *Augusti.*) *incidunt in justam* DEI *voluntatem.* 2. *Stapleton.* ibidem sibi contradicit, dum ait, DEUM *mala ad bonos fines destinare, vel ad sua judicia exequenda, vel ad potentiam suam exequendam*

August. Stapleton. lib. c. 3.

quendam & ostendendam. Fateor impios in actu peccandi non esse DEI instrumenta formalia, rationabilia, aut cognitione formali DEI decretorum prædita, sed quasi præter spem & concilium arrepta.

4. *Bellarminus & Remonstrantes Synodistæ* urgent retortionem hic. *Si diaboli & homines impii peccantes sunt instrumenta DEO tanquam principali agenti subordinata in actu peccandi, tum omnia peccata adscribenda sunt DEO ut causæ primæ, & propriè, & principali, hominibus vero & diabolis peccantibus ut causis tantum organicis & in virtute tantum principalis causæ agentibus ac ut causis minus propriè dictis.*

4. Respon. Bellarmin. de amiss. gra. l. 2. & c Remonstr. in script. synod. art. 1. pag. 14. 15, 16.

Atqui Prius asseritur à *Zuinglio, Colvino, Bezâ* & aliis.

Ergo DEO tanquam causæ principali & propriæ omnia peccata sunt ascribenda, hominibus vero & diabolis peccantibus ut organis tantum, &c.

Rationem majoris fundant in *Maximâ* Topicâ. *Actio & effectus est potius & principalius actio & effectus causæ principalis, quam causæ instrumentariæ, ut scita scriptio est potius adscribenda scriptori perito, quàm pennæ, homicidium imputandum est homini potius motitanti gladium, quam gladio. Nam principalis & præcipua & prima influentia causandi est à principali agente, à causâ verò instrumentariâ secundariò tantum, per participationem virtutis, ejusq; derivationem à causâ principali.* Probant Minorem. *Quia nostri* (inquiunt) *docent impios Assyrios & Chaldæos in actu vastandi Ecclesiam subordinatos esse DEO ut baculum, malleum, rete in manus hominum, qui baculo, aut malleo utuntur, quorum usus & motitatio hominibus manus tenentibus baculum & malleum tribuitur.*

Quatenus actio instrumenti magis causæ principali quam instrumentariæ tribuenda; sit sufficiens axioma enodatur & limitatur.

Hoc unicum ferè argumentum est, in quo triumphare & Musis suis sacrificare videntur. Quod, quia est nodus vindice dignus, experiamur quanti sit. Hæ interim notentur distinctiones, quas in sequentibus explanabo, Contra *Becanum, Bellarminum, Stapleto.* & alios.

1. Distinctio. Distinguendum inter tria in hoc axiomate, (*actio & effectus est potius causæ principalis, quam instrumentariæ.*) 1. Quid sit *causa.* 2. Quid *actio & effectus.* 3. Quid sit *instrumentum.*

2. Distinc. *Causa alia est homogenea, alia heterogenea.*

3. *Causa alia est physica & realis, alia moralis.*

4. *Aliud est tribuere effectum causæ principali in concreto, aliud eundem*

eundem tribuere ei quoad peculiarem rationem in concreto involutam.

5. *Instrumentum aliud est proprie dictum, aliud est improprie & Metaphoricè dictum.*

6. *Aliud est causa obnoxia legi, aliud supra legem causa.*

7. *Aliud est totum aggregatum & concretum opus peccati, aliud vero formaliter ipsum peccatum.*

8. *Aliud est instrumentum liberè agens, aliud brutum & ἄλογον.*

1. Restrictio Axiomatis hujus. *Actio & effectus est potius causæ principalis quam instrumentariæ.*

Tota ratio enodationis hujus dubii pendet ex rectâ explicatione hujus axiomatis, *actio & effectus est potius causæ principalis quam instrumentariæ.* Valet axioma in causis homogeneis, non heterogeneis: Causæ hic homogeneæ sunt quando causa principalis & instrumentaria, sunt utræque vel positivæ, vel utræque privativæ, vel utræque Physicæ, vel utræque morales. Heterogeneæ vero quando altera, nempe principalis, est positiva & Physica seu quasi Physica, altera, nempe instrumentaria, est privativa & moralis; vel quando altera est legi subdita, altera supra legem. Unde 1. Valet axioma in causis homogeneis. *Ut verbum Dei ut instrumentum sanctificat, ergo Spiritus Sanctus per verbum Dei potiùs & principaliùs sanctificat.* Sic *Timotheus prædicando salvat se & alios. Ergo Deus per Timotheum potius & principaliùs salvat.* Sic *pseudopropheta seducit Achabum. Ergo diabolus magis & principaliùs per pseudoprophetam tanquam per instrumentum seducit Achabum.* Validæ sunt omnes hæ consequentiæ juxta axioma prædictum, Quia causa principalis & instrumentaria sunt homogeneæ. Nam in duobus primis exemplis utraque causa est positiva, in ultimo utraque est causa privativa. At vero consequentia, non valet in heterogeneis causis, uti est hæc,

"*Carnifex ut instrumentum justi Judicis sontem cruci adigit ex*
"*studio vindictæ.*
"*Ergo justus judex magis & principaliùs sontem cruci adigit ex*
"*studio vindictæ.*

Sic. "*Gladius interficiens hominem ut instrumentum non est causa*
"*culpabilis homicidii.*
"*Ergo homicida movitans gladium non est magis causa culpabi-*
"*lis homicidii.*

Neutra consequentia valet, quia sunt causæ heterogeneæ. In priore

priore exemplo, causa principalis est positiva, moralis & legi consona & justa; causa vero instrumentaria est privativa & moraliter legi dissona: in posteriore exemplo causa principalis est privativa, legi obnoxia, & moralis; at posterior, causa nempe instrumentaria est causa Physica, positiva & nulli legi obnoxia. Nam homicida est causa moralis, privativa & legi subjecta; Gladius vero causa Physica, positiva, nullique legi obnoxia. Sic in hoc exemplo Adversariorum, DEUS, & peccantes diaboli & homines sunt causæ heterogeneæ. Quia DEUS est causa positiva, legi hominibus latæ non obnoxia, ideoque quasi causa Physica: Dico (*quasi Physica*) quia cum DEUS sit justus judex est moralis causa simpliciter; Quia beneplácitum DEI regulatum ab infinitâ sapientiâ est hic principium actus. Est vero *quasi causa Physica*, quia DEUS hic agit tanquam legi morali non magis obnoxia quam causa quævis naturalis. DEUS punit *Davidem* per incestum *Absolomi* nulla lege vetitus punire, at *Absolomus* committit incestum lege septimi mandati decalogi vetitus. Non itaque hic valet axioma, *actio peccati est potius & principalius DEI, quam Absolomi.* Sic distinxi causas, jam distinguo, actiones & effectus.

2. Axioma non obtinet nisi ubi actio causæ principalis est omnino eadem moraliter, cum actione instrumenti. Ut 2. Restrictio.

"*Discipulus Arrii hæreticè sentit de Filio Dei.*
"*Ergo ipse Arrius magis & principalius hæreticè sentit de*
"*Filio DEI.*

Sic. "*Doeg interimens sacerdotes Jehovæ ut instrumentum Sauli est*
"*homicida.*
"*Ergo ipse Rex Saulus, qui eum interimere jussit, est potiùs*
"*& principalius homicida.*

Utraque consequentia est valida, quia eadem est actio moralis utriusque causæ, & principalis & Organicæ. At vero axioma non obtinet quando actio causæ principalis Organicæ est actio eadem quidem materialiter & Physicè, non vero moraliter. Suppono patrem & filiolum, duos servos Tytioni hero obnoxios, volvere lapidem, pater principalis volutor jussus ab hero volvit, filiolus adjutor prohibitus à Titione hero volvit, hinc consequentia hæc non valet.

"*Volutatio*

"*Volutatio hæc facta à filiolo instrumentario adjutore patris est*
"*iniqua; (nam vetitus ab hero volvit lapidem.)*
"*Ergo eadem volutatio facta à patre, qui jussus volvit, est ma-*
"*gis iniqua.*

Actio Dei & Sabæorum eripientium bona Jobi eadem Physicè, non moraliter.

Quia licet Physice & materialiter eadem sit actio patris, & filioli nempe eadem volutatio lapidis, non est tamen eadem moraliter, quia patris volutatio, hero jubente, est licita & æqua, filioli vero instrumenti patris volutatio est illicita, quia fit hero vetante, & prohibente. Sic in hoc negotio, DEUS aufert bona *Jobi* per *Sabæos*, eadem Physicè & realiter est actio DEI & *Sabæorum*. Quia eosdem oves & boves quos abstulerunt *Sabæi*, abstulit DEUS per *Sabæos*, eidem servi eadem actione Physicâ occisi à *Sabæis*, fuerunt occisi à DEO, si enim fuerunt duæ numero diversæ actiones Physicæ, *Jobus* fuit bis spoliatus, à *Sabæis* aliâ actione Physicâ, à DEO aliâ, & servi *Jobi* fuerunt bis occisi, semel à *Sabæis*, semel à DEO, quod ridiculum est. Sed quamvis DEI & *Sabæorum* actio sit eadem Physicè, non est tamen eadem moraliter, quia actio auferendi bona *Iobi* in DEO fuit moraliter æqua & justa ex omnibus causis, Ex principio effectivo, liberrimum & justissimum est DEI beneplacitum in hâc ablatione; Ex materia, DEUS enim *Iobo* non aliena, sed sua & quæ Creatoris propria sunt, dona eripuit; Ex formâ, DEUS enim ne sua auferat à *Iobo* non vetatur ulla lege; Ex fine, quia ad servi sui fidem & patientiam exercendam, & ad manifestandam gloriam gratiæ, & supremæ suæ libertatis bona hæc eripuit. At vero *Sabæorum* eadem actio Physica, cum actione DEI, fuit moraliter & in relatione ad legem DEI iniqua & injusta. Ex efficiente iniquâ fuit, quia ex animo tum avaro, tum Gladiatorio manavit; fuit quoad materiam iniqua, quia aliena bona, non sua, invito Domino vi eripuerunt; quoad formam erat iniqua, quia vetiti sunt octavo mandato decalogi aliena surripere; quoad finem fuit iniqua, quia ad sese ditandos virum innocuum spoliarunt. Quando itaque actio principalis agentis & causæ organicæ non eadem & moraliter & Physice est, falsum est hoc, (*actio causæ organicæ potius & principalius causæ principali est adscribenda*) imò non est adscribenda causæ principali omnino. Quæ recte docent Scholastici, *non ab actus realis Physici substantiâ oriri actus specificationem quoad esse morale, sed à diversis circumstantiis moralibus,*

Quia

Quia eadem actio Physica potest esse æqua vel injusta, pro diversitate agentium legi subjectorum, vel à lege solutorum, ut justè facit Carnifex sontem patibulo affigens ex sententiâ judicis, injustè facit alter involans in partes carnificis, qui eundem sontem ex sententiâ Judicis condemnatum, clam in carcere strangulet.

3. Latum esse discrimen inter causas ostendi; nec non. 2. Inter actiones; jam tertio loco & hic distinguo inter *instrumenta*. Nam. 1. Distinguo inter instrumentum propriè dictum, & instrumentum metaphoricè dictum. 2. Inter *instrumentum* purum & simpliciter *instrumentum*, & *instrumentum* non purum, sed aliquid de suo habens admixtum, quod à principali agente non mutuetur. 3. Inter *instrumentum* rationale & *instrumentum* ἄλογον. Quod ad primum & secundum; rectè eruditissimus vir *D. Parens*, *Neq; enim cum Scriptura* (inquit) *Assur vocat baculum, serram in manu DEI, hoc intelligit propriè, nam nec DEVS propriè habet manum, nec Assur propriè erat baculus, sed Metaphoricè, quod per Assur puniturus esset populum suum, sicut herus per baculum verberat servum nequam.* Homines & diaboli peccantes sunt talia instrumenta per quæ DEUS in ipsorum sceleribus exequitur sua judicia, puniendo malos, castigando, corrigendo, explorando servos suos, sed non sunt pura *instrumenta*, non sunt formalia *instrumenta*, quia habent aliquid de suo, quod à principali agente non habent, imo aliquid de principali causalitate habent, & aliquid admixtum de suo ultra aut supra rationem puri *instrumenti* quod à DEO non habent. Ideo axioma non sic obtinet. *Quicquid tribuitur instrumento Metaphorico, rationali, & non puro, vel non simpliciter instrumento, est etiam tribuendum causæ principali.* Unde sic corrigi debet axioma, *quod est instrumenti qua instrumenti id tribuitur potius causæ principali.* Rectè sic *Thomas* explicat. *Dicendum* (inquit) *quod actus servi* (instrumenti) *in quantum procedit ex voluntate servi, non est actus Domini, sed solum quantum ex mandato Domini.* Unde non valet consequentia hæc.

Tertia restrictio.

Pareus in Casti. Bellar. de amiss. gr. l. 2. c. 4. lec. 42.

Vitiositas, quæ est propria instrumenti, non est tribuenda principali causæ. Aquinas 12. q. 21. ar. 6. ad. 3. Cumel. 12. q. 47. art. 2. ad. 2.

" *Equus calcaribus adactus à sessore, claudicat.*

" *Ergo ipse sessor potius & principalius claudicat.*

Propellens claudum, ut progrediatur, est causa cur progreditur, & tamen non est causa cur progressus est claudicatio.

Quia equus non purum instrumentum sessoris sed instrumentum est habens aliquid de suo in motu claudicationis in quo non subordinatur sessori, uti merum instrumentum, nempe, habet à seipso, non

non à sessore luxatam tibiam quæ causa adæquata & principalis est claudicationis. Sed neque hæc est bona consequentia.

« *Penna stridula in chartâ bibulâ scripturam deformem reddit.*
« *Ergo elegans scriptor principalius scriptionem deformem reddit.*

Pareus loci.

Nam, ut rectè *Pareus* ibidem notat, vitium instrumenti non debet adscribi principali agenti. Propterea actio instrumenti in concreto, seu totum opus aggregatum & concretum ex malitiâ & pœnalitate tribuitur DEO principali agenti, sed non secundum omnem rationem in concretione involutam. Movet faber serram reciprocando, serra movetur rodendo, actus idem serræ & fabro tribuitur, sed non secundum omnes rationes serræ peculiares, serratio rodendo est tantum à serrâ, sed serratio secundum actum reciprocandi est tantum à fabro. Auferre bona *Jobi* in concreto & DEO ut principali agenti, & *Sabæis* ut DEI instrumentis tribuitur, sed utrique causæ non secundum omnes rationes in concreto & aggregato involutas, in ablatione bonorum *Iobi*. Ratio malitiæ, & ratio pœnalitatis seu castigationis unum totale concretum faciunt, malitia in illâ ablatione, seu malitiosa ablatio est à *Sabæis* non ut puris instrumentis; nam *Sabæi* de suo mero latrocinio & rapinis auferunt bona *Jobi* ut causæ principales, neque hæc actio quâ talis DEO est adscribenda; at vero eadem ablatio boum *Iobi* quatenus est *Iobi* castigatoria, & quatenus ei infert malum pœnale, seu malum triste & viro innocuo nocivum in genere mali damnosi & inutilis; non autem in genere mali inhonesti & moraliter injusti, est potius & principalius DEI actio: At est *Sabæorum*, non ut *purorum instrumentorum* qui malum castigationis & nocivum inferunt sancto DEI servo: ideoque peccantes in actu peccandi subordinantur DEO judicia sua exequenti in tali actu ut instrumenta materialiter & physicè considerata, seu ut instrumenta non pura, non autem ut instrumenta formalia, moralia & pura. Quod probatur 1. sic. Ea instrumenta quæ moralem impulsum malitiæ à DEO principali agente non recipiunt, non sunt instrumenta in actu peccandi DEO subordinata, quâ talis est actus: atqui diaboli & impii homines peccantes in actu peccandi nullum impulsum moralem à DEO principali agente recipiunt. Sic quidem DEUS esset principalis author peccati. 2. Quia in instrumentis puris quæ instrumenta tantum sunt & instrumenta simpliciter, nulla est causalitas principalis, sed tantum merè

Actio tota in concreto non tribuitur causæ principali & instrumentariæ secundum omnes in concretione rationes involutas.

Distinctio instrumentorum quorum quædam a principali causa totam impulsionem recipiunt. quædam non

merè organica & ex virtute principalis agentis profluës, atquì diaboli & impii homines sunt causæ principales in actu peccandi, (præter quam quod in actu inferendi malum pœnale iis quos DEUS per eos in illo actu punit, aut castigat. Sunt causæ instrumentariæ) & quidem causæ adæquatæ & totales peccati. Unde homines in actu peccandi non sic subordinantur DEO in hoc actu quâ tali, uti baculus subordinatur levanti baculum, & gladius percutienti gladio, quia in gladio aut baculo nulla est motio nisi merè organica, quia sunt pura instrumenta, nullam motionem habent principalem, sed merè organicam in virtute principalis moventis. At homines & diaboli peccantes sunt peccatorum causæ verè principales. DEUS igitur servitium hic sibi assumit ab impiis. Sed qualem? Certè deviatio creaturæ materialiter, non formaliter DEO Judici subordinatur. Ferro quis hostem invadit, animo & certo consilio ipsum interimendi, interim gladio ulcus maturum aperit, hic hostis materialiter servit vitæ & valetudini ipsius, quem interimere statuerat. Ita *Isaias*, *Assyrius non ita sibi proponit, & animus non ita cogitat, sed perdere ei est in animo.* Attamen ibidem dicit DEUM *per Assyrium perficere totum opus suum.* DEUS perficit suum in *Tzione* totum opus in concreto per *instrumenta* peccantia, affligendo, castigando, humiliando, fidem & patientiam suorum exercendo, sed non totum operis, aut totum opus secundum omnes rationes in concretione involutas & connotatas, & licet DEUS malas voluntates non faciat (ut rectè dicit *Augustin.*) plus tamen facit, quam si tantum peccatis jam commissis uteretur. Homines (fateor) sunt, qui peccant, sed homines non sunt qui peccantes formaliter redimunt genus humanum. Rectè *Augustinus.* *Quod ipsi peccant eorum esse, quod peccando hoc vel illud agant, ex virtute DEI esse, tenebras, prout visum est, à luce dividentis.* Sic *Calvin.* *Adhæc quoties in populi transgressiones vindicare illi placuit, quomodo opus suum adimplet? ut videas efficaciam agendi penes ipsum fuisse, illis ministerium duntaxat præbuisse.* Intelligi hic velim *ministerium* purum, & formale respectu rationum in concretione involutarum. Respectu scilicet DEI punientis, castigantis, explorantis suos: Sed *ministerium* non purum, sed materiale respectu operis in concreto. Spoliatio *Jobi* quâ mala moraliter est penes ipsos *Sabaos*, & quidem efficientia principalis est penes ipsos. Spoliatio illa quâ *Jobi* exploratoria

Esai. 10. 7. 12.

Augustin. de præde. sancto.

August. ib.

Calvin. instit. l. 2. c. 4. sect. 4.

ploratoria est penes DEUM. Nam efficientia illius judicialis & principalis est sanctæ providentiæ quæ novam quasi formam puta castigationem & explorationem servi sui imponit rudi & informi suæ materiæ, puta injustæ eorum spoliationi: nam DEUS præordinando ut peccatum sit, nempe, ut sit vel existat spoliatio *Jobi*, eodem decreto ordinavit ut illa spoliatio sit *Jobo* pœnalis & castigativa.

2. *Dist. Instrumenta alia nesciunt & patiuntur, alia actiua & sciunt.*

At *Calvinus*, qui verbo *cogendi* hic utitur, (nam hoc objici potest) non vult peccatores in actu peccandi DEO subordinari ut *instrumenta formalia* & propriè dicta. Nam *ait hostes arcanâ providentiâ impelli, quo DEO visum est.* Item, *arcano ejus instinctu concitari ad perdendum populum DEI & ad obsequia præstanda, quasi fræno cogi.* *Zuinglius*, tropo duriore, ait *homines à DEO ad scelera cogi.* Et *Beza*, *per illa instrumenta* (DEUS) *agit, ut non tantum sinat illa agere. Nec tantum moderetur eventum, sed etiam excitet impellat, moveat, regat, atque adeo quod omnium maximum est, etiam creet ut per illa agentia agat, quod constituit.* Facile hæc solvuntur duplice distinctione: Nam alia est *compulsio propriè dicta*, quâ vis infertur libero arbitrio. De tali compulsione nostri non loquuntur. Alia est *compulsio impulsiva & improprie dicta* quæ cum libertate conspiret, & necessitatem modalem & necessitatem secundum, quid conditionatam & consequentiæ infert, non autem necessitatem puram, simpliciter, absolutam & consequentis infert. 2. Addo, quod observat *D. Pareus*, DEUM *impellere, convertere, destinare, movere, cogere, excitare, imo creare* homines ad maleficia quatenus sunt pœnæ, judicia, castigationes & media DEI consilio infervientia, non quatenus sunt scelera & peccata. *Movet latronem* (inquit *Zuinglius*) *ad occidendum alium. Movet* (inquit *Pareus*) *quia non nisi motus à DEO occidit alium, ratione occulti judicii, quo DEUS cogitat occisum in Cœlum transferre, latronem in crucem adigere.* 3. *Instrumenta libera alia sunt activa, alia passiva; activa* quando ad nutum & imperium superioris agunt, & sciant & intendant isti superiori obedire: sic *Doeg* fuit instrumentum Regis *Sauli*, in interimendis sacerdotibus JEHOVÆ. *Passiva* sunt, quæ licet in opere materiali, puta, in peccato perpetrando liberrimi sunt, & activè nimis sese habent, attamen respectu illius actus eminentissimi *providentizandi* (sic liceat loqui) & occultæ providentiæ

Calvin. com. in 5. Ps. 5. Comet. in Esa. 10. 5. Instit. l. 1. c. 17. q. 1. Instit. l. 2. c. 4. q 2. Zuinglius de provid. cap. 6. oratio de provident. an. 1529. Marpurgi habita, in æula Philippi Cattorum landgravii. Beza. resp. ad Castellia aphoris. 22. Pareus in Bellar. de amiss. gr. l. 3. c. 3. sect. 40. Zuinglius de prov. c. 6. Pareus ib.

dentiæ (ut ait *Calvinus*) ratione, impii aliud agentes, cęci, inscii & virtualiter involuntarii, & inviti, imprudentes incidunt in voluntatis occultæ, & decreti DEI executionem, & sic sunt quasi *instrumenta* passiva, talia *instrumenta ad* exaltandum Josephum fuerunt fratres ipsum vendentes, & occisores Salvatoris nostri; sic ad exequendum DEI decretum de Redimendo genere humano servitium organicum contulerunt. Ita loquitur DEI Propheta, de oppressoribus Tzionis. *Non cognoscunt cogitationes Jehovæ, neque ejus consilium intelligunt.* Sic intelligi debet reverendus vir *Th. Beza*, qui ait DEUM *excitare, impellere, movere, regere, atque adeo quod omnium maximum est, etiam creare, ut per illa agentia* (cęca, inscia, quasi passiva) *agat, quod constituit.* Unde quando instrumentum est agens liberum, & tamen virtualiter invitum, aliud agens, & inscium, quod delinquendo hoc vel illud agat, quod à principali agente est constitutum, & interim est etiam agens legi obnoxium, & ad non agendum, moraliter obligatum, & agens principale eidem legi non est obnoxium, tum, hoc casu, *actio instrumenti* sic obligati, & tamen contra debitum & obligationem agentis, non est *potius & principalius actio principalis agentis* legi non obnoxii, quam instrumenti. Quia contrariæ relationes, obligatio *viz.* & non obligatio fundant moralitates in principali agente & instrumentò contrarias. Voco *instrumenta* hic libera, quasi passiva quia sunt tam ignara supremi DEI decreti quam baculus aut gladius sunt, qui opus & scopum motitantis gladium & baculum plane ignorant; & quamvis *Judæ* proditori revelatum fuerit, se fore virum, per quem proderetur Filius DEI, si eo consilio & intentione Salvatorem prodidisset, ut exequeretur tale DEI decretum, attamen quia per approbativam DEI voluntatem, ad Salvatorem non prodendum obligatur. Ideo non magis *Judæ*, in hoc etiam casu, deberentur gratiæ impleti decreti, quam gladio debetur laus victoriæ. Non perpendent adversarii unum & idem opus in relatione ad agens principale ad agendum obligatum & in relatione ad *instrumentum* ad non agendum obligatum esse debitum & non debitum, idque quoties peccatum est alterius peccati pœna. Quod profundus Scholasticus *Thomas Bradwardin.* sic exprimit, *Sicut cum peccans, ab aliquo, ad quem non pertinet, punitur, quoniam iste debet punire, & ille non debet punire, debet esse,*

Mic. 4. 12.

Actio Instrumenti, quod nullâ obligatione tenetur, non tribuenda est principali causæ, quæ nexu omnis obligationis solvitur.

Bradward. de caus. Dei. l. 3. c. 32.

esse, & non debet esse ista percussio, & ideo recta, & non recta negari non debet. David infamiam in concubinarum suarum constupratione justissimè commeritus est à DEO, & constupratio ea erat justum justitiæ divinæ supplicium, quippe viri innocui *Uriæ* unicam uxorem, præfidè trucidato marito, constuprarat; an non hic DEI opus debitum, justum & rectum: at ea constupratio ex parte Absolomi erat injusta, non debita, non debuit ingratum monstrum hominis, torum, cum patris sui, tum principis & uncti Domini polluere. An non idem opus in concreto est & debitum, & justum, & opus exactæ justitiæ, & etiam opus indebitum, injustum & opus injustitiæ? Quoties ergo concretum ἀποτέλεσμα & effectus in concreto ex debito morali & indebito morali coalescens & quasi compositus est, effectus instrumenti non tribuitur principali agenti, & effectus principalis agentis instrumento non tribuitur. Et hæc est quarta restrictio axiomatis, quia nec justitia principalis agentis aut pars aliqua laudis debetur instrumento ut causæ instrumentariæ. Nulla laus justitiæ DEI in pollutione tori *Davidici* debetur *Absolomo* neque vitium *instrumenti* debetur principali agenti non hic agenti contra debitum & legalem obligationem, quo constringitur instrumentum devians. Nam *Vorstius*, *Arminius*, *Bellarm.* & *Jesuitæ* non negant justissimum esse, quod *Davidicus* torus incestu fuerit pollutus. Negamus itaque hoc casu axioma, *effectum instrumenti principalibus & potius causæ principali tribuendum.* Quando nempe causa principalis & *instrumentum* non sunt in rigore subordinata, sed potius opposita per contrarias moralitates; & altera causa, nempe, principalis, agit opus in concreto secundum debitum & contra nullam obligationem in contrarium, altera vero, puta, organica agit, contra debitum, illud idem opus in concreto, & contra obligationem legalem. Et sic propius ad naturam causarum partialium & causarum oppositarum in morali consideratione, quam ad naturam causarum subordinatarum accedant. Atqui hæc tam clara sunt, ut nemini nisi in judiciis domini ultrò cœcutienti obstrusa videri debeant. Et liceat mihi asserere impios, dum peccantes DEI decreto inserviunt, esse *instrumenta Physica*, *non moralia* subordinata DEO, quia, licet in actu peccandi sint agentia moralia & quidem principalia, at quod peccando hoc vel illud agant nempe instrumentaliter opus judicii justi

4. Restrictio.

Impii instrumenta sunt inserviendo DEI decreto non moralia, non proprie dicta, sed Physica & impropria.

justi DOMINI exequantur, non sunt *instrumenta moralia*, sed *physica*. Ratio mea hæc est. Omne instrumentum formaliter morale in opere justo & bono habet aliquam activitatem organicam in isto opere bono, & sic aliquam laudem tanquam instrumentum. Atque *Absolomus* in justo illo judicio DEI exequendo, nullam laudem nec minimam laudis partem habet, sed summum vituperium in hoc opere bono DEI, ideoque ut sic est instrumentum tantum physicum, non morale. Non propriè dictum.

CAPUT XX.

An peccatum sit pœna peccati? & an DEVS velit peccatum quatenus est pœna peccati? Ad partes vocantur Bellarminus, Did. Ruiz. Leo. Lessius, Gabr. Pennottus, Lod. Mærius, Gab. Vasquez. Alp. Curiel. And. Duvallius, Lodo. Molina. Ph. Gamachæus, *nec non* Arminiani.

ARgumentum V. nostrum est. *Qui vult peccatum quatenus est peccati pœna, is vult, ut eveniat peccatum, se permittente.* Argu. V.

Atqui DEVS vult peccatum quatenus est peccati pœna.

Ergo Deus vult ut eveniat peccatum, se permittente.

Major est certa, quia pœna non infligitur, nisi judice decernente, volente, & sententiam pœnalem ex justâ suâ voluntate ferente & dicente, & determinante hoc non illud in pœnam.

Tota quæstio est de Minore: Negant enim *Iesuitæ* & *Arminiani* DEUM velle peccatum quâ pœnam, quia negant peccatum esse pœnam. Quæritur itaque an peccatum sit pœna peccati. Ego itaque ostendam quatenus peccatum sit pœna peccati. 2. Nostram sententiam, nempe, peccatum esse pœnam peccati probabo. 3. Occurram argumentis in contrarium allatis.

II. *Euangelicorum distinctio peccati in se & in relatione ad Dei legem qua peccatum est & peccati qua pœna est peccati, in relatione ad peccantem cui est malum pœnale, vindicatur.*

1. Peccatum esse pœnam peccati variis modis intelligitur. 1. *Ex*

Ex parte causæ, quæ est remotio gratiæ, sic peccatum videtur demeritoriè & moraliter tantum pœna, quia suo demerito tollit gratiam quæ impediret peccatum.

Quot modis peccatum sit pœna peccati.

2. *Ex parte actus*, quia lassitudinem & afflictionem suo exercitio frequente adfert. Juxta illud *Horatii*.

Invidiâ Siculi non invenêre Tyranni
Majus tormentum.

3. Sed quia de hisce non est præsens quæstio. Peccatum potest censeri pœnâ peccati, nempe, secundum ignominiam vel damnum quod consequitur peccatum. Et certè si DEUS vult peccatum quâ ignominiosum & damnosum creaturæ peccatrici, non potest non velle peccatum aliquo modo. Videantur de hâc re *Thomas, Gregorius de Valentiâ & Vasquez*.

Thomas 12. q. 87. art. 2. Gregori. de Valen. in 12. disp. 6. ar. 17. punct. 3. Vasquez in 12. tom. 1. disp. 140. c. 3. n. 12. Gerard. loc. communi. par. 1 c. 9. de prov pag. 140. Chemnitius loc. communi. par. 1. pag. 636.

2. *Joa. Gerardus* dicit DEUM punire peccatum peccato duobus modis. 1. Cum propter peccatum amittitur gratia, *quâ amissâ, nihil aliud potest homo, quam in scelera prolabi.* 2. *Cum DEUS peccatorem in manus Satanæ tradit, qui ipsum in varia scelera impellat.* Hæc rectè. Sed nonne hinc sequatur DEUM id facere, ex quo indeclinabiliter sequatur eum qui sic gratia destitutus Satanæ tradatur, non posse non peccare, quod est in nostris (ut ille ait) DEUM esse peccati peccatorem astruit. Absint blasphemiæ.

3. *Chemnitius* dicit peccatum esse peccati causam & pœnam 4. modis. 1. *Efficientem per accidens, cum peccatum excutiat fidem & gratiam.* 2. *Disponentem, per se inclinando inclinationem ad peccandum ut ebrietas inclinat ad fortationem.* 3. *Materialem, ut gula luxuriæ causa & pœna est.* 4. *Finaliter, cum quis homicidium committit, ut fortetur.*

Aquinas 12. q. 87. ar. 7.

4. *Aquinas* ait peccatum esse pœnam peccati trifariam. 1. *Ex parte causæ, removentis prohibens, nempe, gratiam Dei.* 2. *Ex parte substantiæ actus, afflictionem inducentis, ut ira, invidia.* 3. *Ex parte effectus.* Cæterum negat *peccatum esse per se pœnam.*

Scotus l. 2 d. 37. Cajeta. com. in 2 Reg. 12. v. 11.

5. Scotus. *Ipsa culpa* (inquit) *est à voluntate ut à causâ activâ deficiente, & sic est culpa, quia voluntaria est, & ipsa culpa est in voluntate ut in subjecto, non inhæsionis, sed denominationis, quæ voluntas per culpam privatur bono conveniente, quod bonum erit debitum, in quantum ipsa voluntas agere potest, cum debitâ rectitudine, & non agit, & sic est pœna.*

6. *Cajetanus*

6. *Cajetanus* in illa verba, *ecce ego suscito malum. Verificatum* (inquit) *est hoc cum Absolom fecit se regem. Et est sermo non de malo culpæ, sed de malo pœnæ: DEVS enim non est author peccati ut sic, sed quatenus pœna est peccantis vel alterius.* Idem etiam docet *Lombardus*, ita & *Bonaventura* & *Richardus*. Lombard. l. 2. d. 36. Bonavent. 2. dist. 36. art. 1. q. 1. Richard. ib. art. 1. q. 1.

7. *Petrus de Ledesma* Professor *Salmanticensis*. *Nullum est inconveniens quod DEVS causet peccatum, non quidem ut peccatum est, sed ut induit rationem quandam pœnæ taliter quod causet illam rationem pœnæ, & predeterminet illam, non causando ipsam rationem peccati.* Ledesma lib. de auxil. divi. gratiæ. Salmaticæ apud Antonium Ramirez. in 12. q. 29. dub 1. concl. 4. pag. 369.

8. Augustin. *An non* (inquit) *est peccatum & pœna peccati, DOMINVS enim misceuit eis spiritum soporis*, &c. Et ibidem invictissimis Scripturæ testimoniis demonstrat contra *Julianum Pelagianum* eandem malam causam de otiosâ & supinâ DEI providentia circa peccatum cum Jesuitis & Arminianis propugnantem, idem peccatum & esse formaliter peccatum & pœnam peccati. Et *Gregori. Non immerito pœna peccati dicitur, quod justâ desuper cæcitate irrogatâ ex præcedentis peccati ultione perpetratur.* Augustin. cont. Julian. l. 5. c. 3. Gregori. Moral. l. 25. c. 12.

9. Jesuitæ, ut *Molina, Lessius, Meratius, Ruiz. Tannerus, Suarez, Vasquez, Alp. Curiel.* Et qui cum his contra gloriam providentiæ divinæ conspirant, *Arminiani & Sociniani*, ut *Iac. Armini. Arnold. Corvinus, Remonstrant.* in script. synodicis *Episcopius, Socinus, & Ostorodius, Smalcius* statuunt DEUM nullo modo voluisse aut decrevisse ut peccata evenirent. 2. Permissionem otiosam esse pœnam peccati. 3. Peccatum formaliter nullo modo esse pœnam peccati, nec DEUM posse velle: imo (inquiunt *Arminiani & Sociniani*) nec præscire futura peccata, nec ea velle ut pœnas, aut velle posse ullam pœnalitatem iis adhærescentem. Jac. Arminius Antiperkinsianus p. 121, 122. Armi. respons. ad art. 31. Idē. in declar. suæ senten. pa. 25. 99. 100

Arnold. Corvin. contra Tilen. pag. 65. Contra Molin. c. 5. & c. 7. Remonstrant. confess. c. 6. thes. 3. Remonstrant. in script. synod. pag. 71. Simo. Episcopi. disp. de vol. DEI th. 4. disp. 5. thes. 10. disp. 6. coll. 5. Socinus prel. Theolog. c. 7. pag. 21. 24. c. 8. 27. c. 9. pag. 36. Ostorodius Instit. CHRIST. Relig. c. 35. Smalcius contra Simglecin. cap. 12 pag. 116.

10. Nostra denique sententia est peccatum in relatione ad DEI legem, cujus est formaliter violatio, esse malum culpæ, sanctæ DEI

DEI voluntati contrarium, nempe isti approbativæ DEI voluntati, qua malum morale detestatur, repugnans, at vero in relatione ad subjectum, seu causam efficientem peccati esse pœnale quid.

Hinc *prima assertio*, si sermo sit de nudâ illâ permissione, qua DEUS liberum arbitrium creaturæ non violentat, sed suo connaturali modo & pro indifferentiâ suâ naturali quâ nolle vel velle, agere vel non agere respicit, sinat agere, ea permissio non est pœna. Probatur 1. Quia pœna non præcedit peccatum, sed peccatum sequitur ut effectus suam causam demeritoriam: atqui permissio hæc fuit in *Adamo* ante omne peccatum. Nam si non fuerat sic permissus peccare, non potuit peccasse omninò. 2. Talis permissio seu non violentatio voluntatis liberæ locum habet in libero arbitrio bonorum *Angelorum*, quorum libera voluntas non fuit, nec est violentata quo minus suo connaturali modo velint, aut nolint, aut agant vel non agant. Et in bonis *Angelis* nulla pœna locum habet, & idem dici potest de libero arbitrio. D. I. CHRISTI. 3. Talis non violentatio liberæ voluntatis est beneficium commune quo *Creator* cum omnibus causis secundis concurrit ita ut eorum naturas & conservet, & concursum suum contemperet genio & indoli causarum tum necessariarum, tum contingentium. At nullum beneficium Creatoris est DEI judicis pœna. *Pererius* in *Exod. c.* 11. *disp.* 3. *Si Deus indurat* (inquit) *quia permittit indurari: cur non sic Deus furari dicit, quia hominem permittit furari?*

2. Assertio. Hinc permissio Arminianorum non potest esse pœna. 1. Ea permissio voluntatem suæ indifferentiæ cum sufficientis gratiæ præsidio relinquit, ut possit peccare vel non peccare, at permissio, de quâ scriptura, talis est, ut permissus non posset non peccare, quia puniti à DEO non possunt non puniri, ut patet ex hisce locis. *Josh.* 11. 19, 20. 1 *Reg.* 22. 22, 23. *Esa.* 6. 9, 10, 11. *Matth.* 13. 14, 15, 16. *Rom.* 1. 25, 26, 27, 28. *Rom.* 11. 8 9. Ergo permissio *Arminiana* non est talis pœna qualis in scripturis est *excæcari*, in *mentem reprobam tradi*, *spiritu soporis percuti*, *efficacia erroris dimitti*. 2. Quia quod est materia majoris laudis, non infligitur à DEO ut pœna gravissima eorum qui propter antecedentia scelera excæcantur, obdurantur & fœdis affectibus traduntur. Atqui permissio *Arminiana* est de se *materia laudis & majoris meriti*, qui

Armini. disp. pub. 10. th. 8.

abstinere

abstinere peccato, *ubi sunt peccandi irritamenta & occasiones est maxima laus*, teste *Arminio*. Atqui omnes qui peccare permissi sunt permissione *Arminianâ* & *Jesuiticâ*, possunt non peccare. Nam sufficiente gratiâ instructi sunt quâ etiam permissi ad evitandum peccatum & sic ad majorem laudem & meritum acquirendum pares sint, alioqui peccatum illis non est peccatum, si non sunt in promptu libertas indifferens ad peccandum vel abstinendum, & gratia sufficiens.

Permissio Arminiana & Jesuitica non est pœna peccati.

3. *Assertio.* Non tamen negarem permissionem includentem negationem gratiæ habitualis, etiam in genere gratiæ abundantioris esse pœnam. Quia omnis privatio boni, per quam homo ad peccandum redditur proclivior, facilior & propensior est malum nocivum quid creaturæ rationali. Atquì talis privatio gratiæ abundantioris est tale quid. 2. Collatio gratiæ abundantioris est beneficium gratiosè homini indultum. Ergo ablatio talis beneficii est malum pœnale ei à quo aufertur.

Permissio includens negationem gratiæ est pœna.

4. *Assertio.* In hoc falluntur adversarii, quod putent hanc esse differentiam essentialem inter malum culpæ & malum pœnæ. Quod malum culpæ sit privatio boni honesti & moralis, malum vero pœnæ boni jucundi & boni duntaxat naturalis. 1. Quia ex Scripturis probabo, DEO favente, peccatum formaliter esse malum pœnæ, ac proinde pœnam esse privationem boni moralis & honesti. 2. Ad rationem formalem mali pœnæ hæc concurrunt ut sit privatio boni sive naturalis, sive moralis. Essentialis ergo & specifica differentia inter culpam & pœnam est, quod culpa sit transgressio Divinæ Legis & privatio rectitudinis quam Lex DEI requirit, pœna vero sit privatio ejusdem rectitudinis legalis quatenus est creaturæ rationali noxium quid & pœnale, vel etiam boni naturalis. Unde culpa & pœna distinguuntur, quod culpa essentialiter referatur ad DEI Legem ut ei contrarium; pœna vero ad creaturam rationalem ut quid nocivum ei. 2. Ad rationem pœnæ requiritur ut sit malum nocivum inflictum à Judice cum respectu ad peccatum per modum demeriti. Et hoc secundum nihil reale superaddit malo, sed tantum respectum DEI quo vult id infligi in habitudine ad peccatum. Inde est quod omne peccatum sit suiipsius pœna, quia DEUS voluit ut peccatum quod est in se creaturæ rationali nocivum, sit ei disconveniens ad modum demeriti, hoc ipso quia pec-

Differentia inter malum culpæ & pœnæ.

cat. Ut pulchrè *Augustinus. Consentaneum est ut ne ad momentum iniquitas peccati existat absq; debitâ pœnâ.*

Remonst. in script. synod. art. 1. pa. 202. Arminiani *peccata & flagitia præfractorum negant in censum peccatorum venire.*

Assertio 5. Non possumus non admirari *Remonstrantium* assertum. Nempe, *DEVM prædefinire, prædeterminare & præordinare præfractos & insigniter contumaces ad peccatum ex judicio aliquo DEI pœnali, licet ista peccata non veniant in censum peccatorum, ita ut augeant reatum.* Unde sequitur 1. DEUM esse Authorem blasphemiæ & peccati in *Spiritum Sanctum* & omnium parricidiorum, adulteriorum, veneficiorum quæ committunt insigniter præfracti, qui jam commeriti sunt, ut talibus flagitiis patratis puniantur. Ratio est. DEUS prædeterminat præfractos ad hæc committenda. Ergo est omnium horum author. Antecedens ipsorum est, nec non consequentia, quâ sæpenumerò & semper sic argumentantur contra nos. 2. Sequitur insigniter præfractos nulli legi DEI, jam in eo statu esse obnoxios: quia licet transgressiones abhominandas transgressionibus superaccumulent: attamen, quia ista perpetrant absque omni reatu & obligatione ad pœnam, *Arminiani* ipsos omni peccato in talibus flagitiis exsolvunt & innocentes pronunciant. 3. Sequitur non omnem legis DEI transgressionem esse peccatum, contra quod statuit *Apostolus Joannes.* 4. Sequitur contumaciam quosdam à pœnâ & reatu & omni Lege DEI exsolvere. Vos, itaque qui jam multoties Euangelica mandata & comminationes susque deque habuistis, & jam obdurati & præfracti estis, pergite blasphemare, idola colere, mentiri, pejerare, mœchari, parricidia, veneficia, vivicomburia, oppidorum vastationes & homicidia in senes, infantes, mulieres gravidas aliis vestris sceleribus superaccumulare, *Arminiani* vos in posterum innocentes, nec *in censum peccatorum ista peccata ventura, nec reatum auctura* liberè pronunciant. 5. Homicidas & parricidas qui jam ad terminum hunc fatalem fatalis contumaciæ perveneruntnon esse reprehendendos, aut corripiendos, nec à *Magistratu* puniendos, quippe *non veniunt talia flagitia in censum peccatorum, ita ut reatum augeant.* Qui enim non peccant ne quidem à DEO, multo minus à *Magistratu* civili puniendi sunt. 6. Se-

Paulo aliter pontificii quidam, ut And. Vega in concil. Trid. lib. 13. c. 23. Tostat. in Exod. 4. q. 12. Rossensis adver. Lusbur. art. 36. Adrianus q. 3. de pœnitent. Ruar. Tapperus artic. Lovaniens. tract. ar. 7.

Pererius citat etiam Gregorium lib. 11. c. 18. homil. 32. in Euange. Isidorum de summ. bon. l. 2. c. 16. *Credunt nonnullos profligatissimos homines omnibus gratiæ auxiliis ita privari ut inconvertibiles relinquantur. Sed minime negant talium peccata in censum aut numerum peccatorum venire, aut tales reatu non involvi. Vide* Pererium *in* Exod. c. 11. disp. 7.

quitur

quitur jam præfractis non esse de talibus flagitiis resipiscendum, nullo morsu, nullis conscientiæ stimulis tangendos, omnes tales morsus conscientiæ in Filio qui patrem senem interemit, & pregnantem matrem transfodit minime esse audiendos, esse meras phantasias. Non egere tales flagitiosos veniâ & remissione peccatorum in CHRISTO, conscientia enim delirat & amens est quæ pingit, accusat aut torquet homines de iis flagitiis *quæ non veniunt in censum peccatorum ita ut reatum augeant.* Nec opus ut CHRISTUS talibus nævis peccatores sanguine suo abluat. 7. DEUM tales, in mixtâ multitudine, ad pœnitentiam & CHRISTUM Mediatorem invitantem malo dolo uti, duplicem & fallacem (absint blasphemiæ) personam induere, mentiri, jubere quippe, ut parricidiis & blasphemiis abstineant omnes auditores Euangelii quæ est DEI revelata voluntas ipsos obligans, & interim occulto decreto suo prædefiniente & prædeterminante, velle ut talia flagitia perpetrent præfracti. 8. DEUM nolle ut eveniant peccata leviora hominum morigerorum, sed velle ut eveniant peccata gravissima præfractorum, & diabolorum. 9. Quia vi veritatis victi *Remonstrantes* vident in quibusdam. 1. Peccatum esse præcedentium peccatorum pœnam. 2. Insigniter præfractos necessitate pœnali divini judicii peccare, ideo malunt dicere talia non esse peccata quæ præfracti in DEI legem & conscientiam naturalem & lucem Euangelii perpetrant, quam nobiscum & cum DEI verbo fateri peccati pœnam esse aliud peccatum. 2. Peccatum posse esse necessarium & inevitabile, & tamen esse peccatum pœnæ demeritorium. 3. Liberum & necessarium secundum quid cohærere posse. 4. Peccatum esse ad quod evitandum homines gratiam sufficientem & ad evitandum parem non habent.

Assertio 6. Peccatum est peccati pœna probatur. 1. Ex Scripturis. *Sic ait Jehovah ecce ego suscitaturus contra te malum è domo tuâ, & accipiens uxores tuas ante oculos tuos tradam proximo tuo, qui cubabit cum iis coram isto sole. Quia tu fecisti clam, etiam ego facturus sum coram toto Israele & coram sole.* 2 Sam. 12. 11, 12.

Peccatum esse peccati pœnam idq; formaliter probatur ex Scripturis & rationibus inde deductis.

Hic quatuor sunt verba quæ DEO judici tribuuntur. 1. Est קוּם surgere in Hiphil הֲקִים suscitare. 2. Est לָקַח capere, accipere. 3. Est נָתַן dare, reddere, applicare, collocare. 4. Est עָשָׂה effiecre, parare, curare. Hæc quatuor DEUS sibi punienti

punienti adulterium *Davidis* per incestum nefarium *Absolomi* tribuit. Unde sic Arguo. Qui punit adulterium *Davidis* per incestum tanquam quid pœnale *Davidi, is* vult incestum qua pœna *Davidis*, & sic incestus est pœna. Atqui DEUS punit adulterium *Davidis* per incestum. Sic ait *Cajetan.* Sic *Bellarminus* fatetur. DEUM *feciss illud malum, non qua culpa Absolonis, sed quâ pœna Davidis.* Palmaris Jesuitarum & Arminianorum hic responsio est. *Nihil hic pœnale fuisse nisi nudam permissionem, non autem ipsum incestum fuisse formaliter pœnam.* Sed dilutum est hoc. 1. Quia pœna *Davidis* fuit publicum dedecus & damnum *Davidi* inflictum *coram sole & toto Israele* consultore impio *Achitophele* tanquam DEI instrumento hoc scelus suadente. Fuitque pollutio tori *Davidici.* Atqui permissio DEI non fuit 1. *Davidis* damnum formaliter. 2. Non fuit ea permissio facta publicè coram sole, sed clam facta in impuro corde *Absolonis* cui DEUS habenas turpi libidini laxavit. 3. Hæc permissio in corde *Absolonis* non fuit facta suadente *Achitophele* tanquam instrumento, sed immediate à DEO, nec permissio, est formaliter castigativa *Davidis*, sed incestus permissus. 2. Ipsa comminationis verba id evincunt, nam DEUS hoc loco non comminatur permissionem *Davidi* ut pœnam, sed rem permissam nempe damnum & ignominiam polluti tori. Continent enim verba ex lege talionis justam proportionem justitiæ DEI compensativæ inter peccatum & pœnam. *Tu hominis innocui unicam uxorem violasti, ego tuas multas violandas tradam.* 2. Tu, *clam, & insscio Israele & marito, adulterium hoc patrasti. Ego palam, Cœlo & sole, coram Israele, testibus, te puniam.* 3. Tu *adulterio lesisti proximum, ego damno incestus te punitum volo.* Imo hic quivis videt DEUM par pari referre, & simile peccatum pœna consimili plectere. At jejuna & absona proportio est inter adulterium *Davidis* & permissionem quâ *Absolon* sibi relictus est ut posset incestum committere, vel non committere. Nulla hic justitia compensatrix nisi, sicut *David* torum *Uriæ* polluerat adulterio, ita ipsius torus vicissim actuali constupratione uxorum suarum pollutus fuisset. 3. Obtineat expositio adversariorum, comminatio tum sensum blasphemum & heterodoxum habebit. *Ego quidem & volo malum hoc polluti thori Davidi in polluti tori Uriæ pœnam & id malum ego, hâc comminatione, me inflicturum voveo, attamen simul hoc legis interdicto (non pollues to-*

Cajet. in loc. Bellar. de amiss. l. 2. c. 5.

2 Locus 2. Sam. 12. 11, 12.

Probat Deum per incestum Absolomi punire Davidem & peccatum illud formaliter esse peccati pœnam, non vero permissionem incestus esse pœnam.

rum.

rum patris tui) intendo & volo ut Absalon nefariâ istâ pollutione tori Davidis patris sui & principis abstineat. Hoc est volo ut ille incestus sit (nam quod vel comminetur vel promittit, vult) ut fœmal, prohibeo, adeoque volo ut non sit. Nonne sic Deus contradictoria & falsa loquitur? & comminatione suâ dicit se & id velle, quod eadem voluntate non vult, sed prohibet. 4. Pœna est quædam compensatio pro peccato, at nullo est compensatio pro injuria facta *Vriæ*, quod *Absalon* sit permissus constuprare, nisi accedat actualis constupratio. 5. Permissio hæc vel est *Davidi* pœna sensus, vel pœna damni. Non pœna sensus, quia *Davidi* nec sciente, nec sentiente sed multa miliaria distante facta hæc est hæc permissio, quâ Deus laxavit habenas viro impio. Nec est pœna damni, quia permissio hæc nec aufert à *Davide* bonum naturæ, nec bonum gratiæ, magis quam aliis sanctis viris qui de privatione gratiæ in filiis suis dolere debent. 6. In hoc actu judiciali constuprationis, *David* justissimè patitur infamiam & damnum constuprationis, nam justum est ut ejus uxores violentur, qui viri innocui uxorem, ipso trucidato, vitiarat, ergo à supremo judice *David* hoc patitur justissimè, quia omne opus justitiæ est à primo justo, & omne justum per participationem est à primo justo per se; & ab eo quod est essentialiter justum. Ergo vel *Absalon* erit hic primus justus judex, vel fortuna, vel fatum, vel stellæ. Non *Absalon*, quia ille contra omne jus & fas, & contra legem naturæ torum patris polluit. Non fortuna, fatum, aut stellæ, nisi exulet Deus & Dei providentia, quod absurdum. Ergo ipse Deus est primus justus judex, ὁσιος ὁσιων δικαιος. Dices Deum permittentem esse judicem principalem: sed hoc (ut sic occurram) est cavillari. Quia est justitia in actuali constupratione, non in permissione constuprationis. 2. Deum permittentem malum pœnæ, punire, juxta *Jesuitas* & *Arminianos* est Deum nollentem punire, nam illis permittere est idem quod nolle, vel non velle. Atqui nullus justus judex facit opus justitiæ nolens & non volens. 2. Nullum opus justitiæ est naturæ & voluntati justi judicis contrarium & malum, sed bonum quatenus est tale opus.

Idem probatur sic. Si Deus jussit, id est, occultâ providentiâ ordinavit ut *Shimeus Davidi* principio suo convitiaretur, quatenus illa convitia fuerunt castigationes *Davidis*, tum Deus vult peccatum

2 Sam. 16. 10. tum quâ pœna est. Atqui prius verum, *Sinite convitiari, nam Dominus jussit.* DEUS jussit, jussione *providentiæ*, non jussione *præcepti.* Jussione physicè directiva, non moraliter illuminativâ, vel jussione judiciali voluntatis Beneplaciti quâ justus Judex puniens & castigans, non jussione approbativâ *voluntatis Signi* quâ Legislator imperans & dirigens, vel jussione impropriè dictâ, non jussione propriè dictâ, cui *Shimeum* obedire æquum & justum foret. Competit enim DEO dominium, tum physicum, tum morale. Sic *Augustin.* *Dominus jussit Shimei maledicere Davidi, non jubendo (ubi obedientia laudaretur) sed quod ejus voluntatem proprio suo vitio malam, in hoc peccatum judicio suo justo & occulto inclinavit. Cajetan. Dixit siquidem DEVS, non verbo, sed facto, efficiendo per Shimei maledictionem illam, non quatenus erat peccatum, sed quatenus erat pœna ipsius Davidis.* Quid *Augustinus* & *Cardinalis Cajeta.* hic aliud docent quam nostri? Et *Pareus* noster, *DEVS igitur inclinavit malam voluntatem Shimei ad hoc peccatum in quantum quidem peccatum permissivè: in quantum vero judicium DEI seu pœna Davidis, positive.* Respondetur 1. *DEVS inclinavit* (inquit *Bellarmin.*) *corruptam voluntatem Shimei, non compellendo, sed aperiendo ei viam ad hoc malum, & claudendo ad alia, id est, permittendo ut hoc solum vellet & perageret ex multis ad quæ parata erat voluntas ipsius.*

Convitia Shimei, *non permissionem esse formaliter peccatum.*

Augustin.

Cajetan. commen. 2 Reg. 16. 10.

Pareus in Casti. Bellar. l. 2. c. 13. sect. 54.

1. *Responsio* Bellar. de amiss. l. 2. c. 13.

Respondeo 1. Quis hic scrutator est occultæ providentiæ, & inclinationum secretarum cordis *Shimeïani*? Hoccine verbo DEI revelatum est *Bellarmino*? Certè miser ille canis (si voluntati malitiosæ vires fuissent pares) Regem ejusque familiam ab imâ stirpe recisam voluit, & effectum dedisset. Malè ergo Jesuita divinat de voluntate *Shimeïanâ* clausa ad alia scelera ad hoc vero apertâ. 2. Vel clausa est via corruptæ voluntati nudâ DEI permissione, vel positivâ DEI actione. Si prius, non erat voluntas *Shimeïana* ad alia scelera clausa, quia permissio *Jesuitica* & *Arminiana* voluntatem indifferentem relinquit ad omnia flagitia volenda & patranda quæ potentiæ & viribus eorum subsunt. Deinde doceant *Jesuitæ* ex doctrinâ suâ, qua actione possit DEUS claudere voluntatem corruptam *Shimei* qui nihil non mali volebat uncto Domini, ad hoc & hoc scelus, & aperire ad unicum & solum actum convitiandi & pulverem jactandi, certè nisi violentam constrictionem voluntatis liberæ, vel ipsius antecedentem prædeterminationem agnoscant,

hoc

hoc est impossibile: nam omnis alia motio voluntatis est semper fallibilis, & frustrabilis, pœna autem à supremo Judice inflicta non est declinabilis. Si vero actionem DEI positivam fateantur, quâ DEUS corruptam voluntatem positivè inclinet ad hoc peccatum quâ pœnam, Eos plurimum salvere jubemus qui ad nos inviti redeunt. 3. Inclinatio permissiva ad hoc scelus, & declinatio vel flexio voluntatis ab omnibus aliis sceleribus, est repugnans in adjecto: quia inclinandi actus voluntatis DEI actum volendi dicit, permissio autem eorum dicit actum nolendi. 4 Negari non potest quoties regeniti peccant, DEUM per prædeterminationem gratiam impedire quo minus alia peccata vellent hic & nunc, & ex singulari suâ providentiâ permittere, ut *Petrus* Dominum abneget, non autem ut ei violentas manus injiciat cum hostibus CHRISTI. An ergo DEUS in hoc peccato *Shemejano* non aliud judicium exereet, quam in omnibus peccatis renatorum?

2. Resp. est *Arminii*. *Shimei* (inquit) *erat tum Osor Davidis & linguæ maledicentissimæ —— oblatio ista quâ Davidi fugienti Shimei est oblatus, & obduratio animi Shimeïani divinitus facta est, quin & directio linguæ maledicæ, sunt actus ad istam præceptionem pertinentes, nec ulla alia DEI actio dari potest.* 2. *Responsio* Arminii Antiperkii. crim. 3. pa. 698.

Respondeo. Quin *Davidis Osor* fuerit iste homo nequam, quis dubitat? Atqui odium principis, quem diligere & revereri tenebatur ex religione quinti decalegi mandati erat vetitum à DEO. Qui DEUS dixit, *maledic Davidi*? eâdem providentiæ jussione judiciali dixit. *Odio prosequere principem.* Et de hoc odio tanquam principio interno maledicentiæ ipsa jam est quæstio. 2. Quod fuerit osor *Davidis* facit eum ad *Davidi* maledicendum propensiorem, sed DEUS æquè imperium & jussionem providentiæ directivam & judicialem habet in peccata patrata à diligentibus *Davidem*, atqui in eâ quæ commissa sunt ab osoribus *Davidis*, nisi *Arminius* velit DEUM posse esse authorem scelerum patratorum ab osoribus *Davidis*, non autem ab amicis *Davidis*.

3. *Arminius* ibid. imprudens nostram sententiam fatetur, dum ait. *Davidem dignum fuisse istâ ignominiâ & omnino indignisse per eam* (maledicentiam) *castigari.* Ergo (inquam) DEUS per *Shimeïum* maledicentem justè castigavit *Davidem.* Et peccatum maledicentiæ fuit pœnâ quâ dignus fuit *David.* Quid igitur amplius Armin. ib.

disputemus

disputemus? 4. Si *obduratio animi Shimejani, & directio linguæ maledicæ sunt actus ad hanc jussionem pertinentes,* vel sunt nudæ permissiones, vel actiones voluntatis DEI positivæ. Si Prius, *Arminius* nobis verba dat; Nam permissio relinquit voluntatem *Shimei* ad maledicendum, vel non maledicendum, imo ad Regem vel comiter salutandum, vel ei opitulandum indifferentem ut adversarii autumant. Permissio ergo non est directio linguæ maledicæ; *Si vero obduratio animi Shimejani, & directio linguæ maledicæ non sunt* nudæ permissiones, sed actiones positivæ divinæ voluntatis, tum nos vicimus, cadit causâ *Arminius.* Tertius locus 1 *Reg.* 22. 20. *Quis pelliciat* (inquit DEUS) *Achabum ut ascendat & corruat apud Ramothas Gilhadis.* 23. — *Quare nunc ecce indidit Jehovah spiritum mendacii ori omnium Prophetarum tuorum; Propterea contra te Jehovah locutus est malum.* Hinc arguo.

Locus 1 Re. 22. 20. *evincit seductionem diaboli quâ* Achabus *in bellum pellectus est, esse pœnam peccati.*

Quod *Achabus* credidit mentientibus Pseudoprophetis, ipsum ad bellum apud *Ramothas Gilhadis* persuadentibus, fuit malum pœnæ quod JEHOVA locutus est & statuit contra *Achabum,* v. 23.

Atqui quod *Achabus* credidit mentientibus Pseudoprophetis, fuit malum culpæ & peccatum; Nam DEUS per *Micajam* vetuit ut ad bellum ascenderet, v. 27, 28, 29.

Quoddam igitur malum culpæ seu peccatum est etiam peccati pœna.

Vorstius amic. dupl. ad Piscat. c. 3. pag. 179.

Locus hic tam planus est, ut *Vorstio* invito excideret veritas. *Sermo autem* (inquit) *istic est de Judiciali, sive mavis pœnali, quodam* DEI *punientis actione, eaq; rarâ & extraordinariâ, quæ voluntatem* DEI *consequentem semper arguit, quâ impium Regem gravesque pœnas commeritum decipi permisit, imo aliquatenus curavit, sed ita tamen hoc curavit, ut non quidem ipsam Satanæ & Prophetarum peccatum quâ tale, sed solam impiorum pœnam licet cum peccato aliquatenus conjunctam per se procuraverit.* Sed certè nos hic habemus ex *Vorstio* quod volumus; Nempe, actione DEI pœnali *Achabum* justissimè decipi in pœnam antegressorum scelerum impii Regis; hæc autem deceptio tum activa à Pseudoprophetis, tum passiva qua impius Rex credidit mendacio, fuit etiam grave peccatum. 2. Si DEUS aliquatenus *curavit decipi Achabum.* Ergo non nudè permisit, sed permissivè voluit peccaminosam & pœnalem hanc deceptionem. 3. Insulsa est hic distinctio & plane intempestiva in

voluntatem

voluntatem DEI ordinariam & extraordinariam, & antecedentem & consequentem. Nam DEUS neque est author peccati secundum voluntatem ordinariam, vel extraordinariam, vel secundum voluntatem antecedentem, vel consequentem.

Idem hisce Scripturarum testimoniis convincitur. 2 *Chron.* 32. 21. *Ezechiam cum legatis Babylonię agentem dereliquit IEHOVAH: tentando eum ut experiretur quicquid ei fuit in animo.* At peccatum ex illâ derelictione resultans fuit pœna superbiæ. *Esai.* 29. 10. *Nam perfudit vos IEHOVAH spiritu soporis alti & obstipavit oculos vestros, cum Prophetis etiam primorum vestrorum prudentissimorum oculos obtexit.* Ita obstipatio oculorum in occœcatis pœna est divinitus inflicta, & negari non potest quin sit peccatum gravissimum. *Esai.* 19. 14. *IEHOVAH miscuit in medio Ægypti spiritum perturbatissimum.* Esai. 44. 18. *Non norunt, neq; animadvertunt: obduxit oculos eorum ne videant, & corda eorum ne intelligant.* Prov. 22. 14. *Ut fossa profunda est os extraneorum, qui est detestationi Jehovæ corruet illuc.* Rom. 1. 26. Διὰ τοῦτο παρέδωκεν αὐτοὺς ὁ Θεὸς. Quapropter, nempe, propter idololatriam de quâ *v.* præced. 25. *Tradidit eos DEVS fœdis suis affectibus. Nam fœminę illorum transmutarunt naturalem usum in eum qui est præter naturam.* 27. *Similiter etiam masculi, relicto naturali usu fœminæ, exarserunt, suâ libidine, alius in alium, masculi in masculis fœda perpetrantes, & compensationem (quam oportuit) erroris sui in sese recipientes.* Ita & in sequentibus tutè idem demonstratur. Unde sic arguo. Quæ transmutatio usus naturalis corporum in fœdam masculinam libidinem præter naturam est justa compensatio μισθαλλαγῆς transmutationis Idololatricæ gloriæ DEI in gloriam creaturæ, & veritatis DEI in mendacium, ea est peccatum & simul pœna compensatoria peccati. Atqui tale est transmutatio hæc libidinis in nefandam & præternaturalem libidinem *Sodomiticam. v.* 26. Proportione justitiæ Divinæ respondens transmutationi veritatis DEI in mendacium. *v.* 25. Ergo hæc transmutatio est & peccatum & pœna peccati. 2 *Thess.* 2. 11. Καὶ διὰ τοῦτο πέμψει. Et propterea, (*quia amorem veritatis non receperunt. Ut est* v. 10) *Immisit iis DEVS spiritum erroris,* εἰς τὸ πιστεῦσαι τῷ ψεύδει ut crederent mendacio. 13. ἵνα κριθῶσι *ut damnentur omnes qui veritati non crediderunt, sed injustitiâ delectati sunt.* Quod sic DEUS vult infligi hominibus, quia amorem veritatis non

Locus 2 Chr. 32. 21. *expenditur. Item locus* Esai. 29. 10. & Esa. 19. 14. Esa. 44. 18. Pro. 22. 14. Rom. 1. 14.

Expenditur locus 2 Th. 2. 11.

ut damnentur non credentes veritati, illud est & pœna & simul peccatum demeritorium damnationis. Atqui DEUS vult spiritum erroris & efficaciam erroris immitti iis qui veritatis amorem non receperunt. Ergo, &c.

Ratio Majoris est in textu. Et confirmatur. Quia omne malum inflictum propterea quod homines veritatis amorem non receperunt, est pœna peccati. Et omne malum quod actu incurrit justo merito damnationem est peccatum. Est enim contra justitiam DEI ut propter id quod peccatum non est, homines damnentur. Deinde sic arguo. DEUS vel tradidit *Gentes* propter Idololatriam reprobæ menti & fœdis suis affectib⁹ & non recipientes amorem veritatis efficaciæ erroris eâ intentione positivâ ut illi DEO obedirent, hi vero veritati crederent, ut & hi & illi salvarentur. Vel hâc intentione permissivâ ut *Gentes* facerent τὰ μὴ καθήκοντα quæ non conveniunt & præternaturali libidine corpora sua polluerent, & ut veritatis amorem non recipientes crederent mendacio ut damnarentur tum illi, tum hi. At prius manifestè absurdum, nempe, quod DEUS in excœcatione & judiciali hominum obdurationè intenderet eorum obedientiam & salutem. Deinde & textui manifestè repugnat. Ratio Majoris est quia DEI voluntas in hisce finibus, ποιεῖν τὰ μὴ καθήκοντα εἰς τὸ πεισθῆναι τῇ ἀληθείᾳ, ἵνα σωθῶσι, non habet se purè negativè, nempe, non intendendo vel hoc vel illud. Addo quod permissio ut *Gentes* sese polluerent nefandâ libidine, & nuda permissio ut minus amantes veritatis crederent vel non crederent mendacio, non est pœna compensatoria talium scelerum, sed illa ipsa actualis pollutio & actualis fides habita mendacio pœna est. Denique scortari est pœna illius quem JEHOVAH detestatur, & simul peccatum. Quod filii *Eli* non auscultarent voci Patris fuit grave peccatum & pœna scelerum antecedentium. Defectio decem tribuum fuit grave peccatum & simul pœna Idololatriæ *Salomonis*. Sanguinaria vastatio & oppressio populi DEI per *Assyrios* & *Chaldæos* fuit horrendum peccatum. Vide loca Scripturæ, *Esai.* 10. 24, 25, 26. *Esai.* 14. 21, 22, 23, 24. *Jer.* 50. 6, 7, 8, 9, 10. Et fuit simul pœna defectionis & Idololatriæ Populi DEI. *Esai.* 7. 17, 18. *Esai.* 39. 6, 7, 8. *Jeri.* 1. 12, 13, 14, 15, 16. Occisio Salvatoris flagitium immane & pœna spreti Euangelii. *Judæ* εὐλογημένα fuit grave homicidium & simul justa pœna proditionis Salvatoris.

Petri

Petri abnegatio fuit detestandum peccatum & simul pœna inanis prætumidæ suis viribus confidentiæ.

Neque contrarium docent adversarii. *Arminius*, *Vorstius*, *Corvinus* docent DEUM velle peccatum, qua pœna est, quia *voluit inobedientiam Pharaonis extare continuam, ut tanto justior esset punitio.* Did. Ruiz. de prædest. disp. 38. sec. 3. *In formalissima ratione malitiæ* (inquit) *imputabilis ad culpam fundatur formalitas alia summæ pœnæ quatenus illa malitia est summum malum & summa pœna, quippe, formaliter privat summo bono quod est DEVS & amicitia ejus, privatq; bono rationis quod est DEVS & amicitia ejus, & etiam sola virtus, ideoq; suum authorem constituit vilissimum & turpissimum à suâ naturali dispositione distortum, & hæc sunt quoddam modo involuntaria, quia peccans optaret, si frui posset bono temporali, quod peccando appetit, simul non admittere turpitudinem istam.* Sic Alp. Curiel. *esse peccatum convenit ipsi* (nempe, peccato) *in ordine ad legem cui opponitur, & esse maculam in ordine ad subjectum cui est inconveniens.* Unde nihil clarius quam peccatum ut opponitur Legi DEI esse peccatum, ut vero opponitur animæ rationali, tanquam accidens subjecto disconveniens & nocivum, esse pœnam. Sic acedia vini vel refertur ad suum contrarium, nempe, ad dulcedinem & elegantem saporem, & est contrarium dulcedini, vel refertur ad ipsum subjectum cui inest, puta, ad vinum & sic est accidens nocivum & destructivum vino. Quo pacto morbus refertur ad sanitatem ut privatio refertur ad formam, vel ad hominem morbidum ut accidens destructivum & nocivum homini. Idem ait *Augustin.* nihilque falsius quam quod ait *Theodor. Smising Augustinum* non reprehendisse *Julianum* quod *nudam permissionem in DEO tantum agnosceret. Quid est autem* (inquit) *quod dicis* (Juliane) *cum desiderio traditi sunt, relicti per divinam patientiam intelligendi sunt, non per potentiam in peccata compulsi, quasi non simul posuerit hæc duo Apostolus & patientiam & potentiam, ubi ait, Sic autem volens DEVS ostendere potentiam,* &c. *Pleriq; patrum* (inquit Did. Ruiz.) asserunt peccata quædam esse pœnas peccatorum. Præsertim *Augusti. Chrysostom. Hyeronim. Gregorius, Isidorus, Basilius, Cyrillus, Damascenus.* Et hoc expressè ait *Fulgentius. Angelus elatus adversus DEVM factus est sibiipsi pœna, ut supplicium semper esset malo voluntas mala, tanquam cæco cæcitas sua.* Lombard. *Peccatum in quantum est pœna peccati*

Arminius Antiperkir. pag. 66.
Vorstius amic. dup. pag. 36.
Corv. con. Molinæ. c. 4. q. 4. p. 51.
Ruiz. disp. 38. de prædest. sect. 3. n. 12.
Alph. Curiel. 12. q. 86. ar. 1. ad 2. dub. 2. 4. q.
Augustin. contr. Julian. l. 5. c. 3.
The. Smising. tract. 3. dis. 3. de vol. DEI q. 3.
Ruizius de præd. disp. 38. sec. 3. n. 14.
Fulgentius ad monim l. 1 c. 17.
Lombard. 2 sent. d. 30.

Bradward. de caus. Dei l. 1. c. 34. *cati prioris est à* DEO, *non autem in quantum est peccatum.* Et *Bradward. Omne justum est à primo justo, peccatum autem est justa pœna peccati.* Ita *Alexander, Albertus, Richardus, Ægydius.*

Alexander 2. p. q. 100. memb. 3. art. 2. ad. 1. Richard. lib. 2. d. 36. art. 2. Ægidius lib. 2. dist. 36. q. 1. ar. 2.

Jam audiamus rationes *Jesuitarum & Arminianorum* quibus contendunt peccatum non posse esse pœnam peccati. *Quando* DEUS (inquit *Lod. Molina*) *permittit ut unus propter sua delicta interficiatur ab alio injustè, nulla ratione velle potest ut occidens eum interficiat, at positâ nequitiâ injustè interficientis, velle potest, ut interfectus patiatur talem occisionem ob crimina sua, eâque de causâ actionem malam permittere.* Et idem ait *Ruiz. Colligere possumus rationem formalem pœnæ in malitiâ peccati causatam esse à Deo non quia malitiam causaverit, sed quia suppositâ malitiâ à voluntate libera & actione ipsa causatâ, vel causandâ,* DEUS *justissime vult ut ea malitia sit sibi ipsi turpissima, sordidissima, & gravissima pœna.*

Molina de concord. q. 14 art. 13. disp. 34.

Ruiz. de vol. Dei. disp. 43. sect. 6.

Objectiones Molinæ & Ruiz tollumur.

Respondeo 1. Si DEUS congaudet injustæ occisioni tanquam justæ pœnæ, postquam posita est ea occisio, tum potest DEUS velle ut ponatur ea occisio, in pœnam justam occisi, judex qui vult pœnam justam jam positam, cur quæso, non potest velle ut ponatur, antequam ponatur? Nam non minorem repugnantiam habet cum sanctâ voluntate pœna posita, quam pœna ponenda. Deinde si positâ jam occisione injustâ DEUS vult ut interfectus patiatur eam injustam occisionem, vult eam occisionem existentem, attamen noluit ut existeret, quasi vero occisio injusta existens desineret esse injusta quia exiit, & non esset etiam injusta extitura; hoc modo dicunt, DEUM velle ut peccatores puniantur, postquam jam puniti sint peccato, attamen DEUM nullo modo velle ut puniantur peccato antequam puniantur peccato: hoc pugnat cum sobria ratione, & cum omnibus DEI comminationibus quibus peccatum peccato punire comminatur. 3. Neque nos docemus DEUM *causare malitiam in peccato*, ut nobis imputat *Ruiz*, sed tantum DEUM permissivè velle ut existat peccatum quâ pœna est alterius peccati, vel quâ pœna suiipsius, licet otiosam non-actionem divinæ voluntatis hic negemus.

Ruiz. de vol. Dei. disp. 26. sect. 5.

2. Objicit *Ruiz*, DEUS *vult* (inquit) *ut conveniat peccato tota essentia*

essentia peccati & ejus passiones ex suppositione quod sit peccatum, ideo concedi potest hæc propositio, (Deus vult peccatum in quantum est pœna alterius) sed falsa est hæc (Deus vult peccatum ut possit esse pœna alterius) quia Deus non vult peccatum hoc fine, sed tantum vult permittere, intendens ut sit pœna peccati.

Deum velle omnes in peccato pœnalitates & dum existit & antequam existat peccatum.

Respond. Nos aliud non requirimus quam DEUM velle peccatum quâ pœnam peccati. Videat Jesuita quomodo nos faciamus DEUM Authorem peccati, qui hoc & nihil aliud docemus. Neque nos sic loquimur DEUM *velle peccatum esse, ut posset esse pœna.* Quasi peccatum sit medium ad pœnam tanquam ad finem, cum enim peccatum sit essentialiter pœna, non magis DEUS vult peccatum esse ut possit esse pœna, quam vult hominem esse, ut possit esse animal rationale.

2. Insulse dicit Jesuita DEUM *justissime velle ut peccatum à voluntate jam causatum sit sibi ipsi pœna.* Quia nihil essentiale convenit rei interventu liberi DEI decreti neque habet peccatum à libero DEI decreto ut sit malum nocivum & pœnale creaturæ rationali. Nisi quod respectum demeritorium habeat pœna ad culpam per liberam DEI voluntatem, quia hoc ipso quod hoc sit peccatum essentialiter nullo interveniente libero DEI decreto, est creaturæ rationali nocivum & pœnale, & etiam privativè tollit bonum honestum. 2. Vilem creaturam facit. 3. Maculam relinquit. 4. Privat amicitia DEI. 5. Reatum addit. Atqui omnes hæ quinque pœnalitates per se conveniunt peccato.

3. OBJICIT *Ruiz. Opus internum quod est intrinsecè malum, ut sunt blasphemiæ & mendacia Deus nullo modo velle potest, at opus exterius in quantum pœna est, Deus vult: interiorem volitionem Deus non vult, sed tantum permittit. Cæterum supponens aliquam voluntatem propendere in malum, illa tanquam instrumento utitur ad opus prædictum exterius in quantum est pœna justo judicio Dei infligenda —— ut Christum occidi, Paulum pati, quia hæc nullam habent cum rectâ ratione repugnantiam. Deus velle potest propter altissimos fines.*

Ruiz de vol. Dei disp. 33. sec. 2.

Deum peccata quæ intrinseca sunt peccata, non potest velle, sed peccata intrinsece peccata vult si credimus Ruiz.

Resp. Habemus ergo reum fatentem quod opus exterius peccaminosum sit pœna peccati & simul peccatum. 2. Si DEUS utitur voluntate peccantis hominis ad peccatum externum perpetrandum, male condemnantur *Calvinus & Beza* quia idem docent. 3. Opera interna intrinsecè mala æque sunt ordinabilia ad DEI Gloriam,

am, æque sunt pœnalia, æque constant ex actu entitativo & malitiâ atqui peccata extrinsecè mala, Deus ergo tam illa, quâ sunt pœnæ peccatorum, quam hæc velle potest, & æque repugnat Deum esse autorem peccati in externis atqui in internis & iis quæ sunt intrinsece peccata.

Ruiz de vol. Dei. to. 1. disp. 44. sect. 5.

4. Addit *Ruiz*, *Sæpe Deus* (inquit) *non solum permissivè, sed etiam positive ex intentione & efficacitate sui decreti voluntates impiorum inclinat ad hoc potius quam illud volendum, circa hanc potius personam, quam illam, ad hunc potius operandi modum quam illum —— potest Deus inclinare dæmonem & determinare ut Saulum potius, quam alium hominem, hoc genere tormenti, potius quam alio aut alio vexet. Quoniam totum illud potuit honestè fieri ex imperio Dei tanquam judicis panientis, quamvis certissimum sit hoc à dæmone non esse appetendum neque exequendum nisi in odium Dei.*

Deus hoc potius quam illud peccatum vult, inquit Ruiz *ergo vult peccatum simpliciter.*

Respond. 1. Qui potest efficaciter determinare voluntatem diaboli & Judæorum ad crucifigendum Salvatorem potius quam *Barrabbam* is simpliciter determinat homines ad peccandum, quia crucifigere *Barrabbam* insignem latronem non est peccatum, & crucifigere innocuum Dei filium est gravissimum peccatum. Et quia ex gradu comparativo optime infertur positivus, tum si Deus vult ut diabolus & impii homines hoc potius perpetrent peccatum quam illud, ergo Deus vult ut diabolus & impii homines perpetrent hoc peccatum. 2. Quia Jesuitis voluntas beneplaciti & signi est eadem quoad objecta ad extra volita. Dicit Deus. *Ego voluntate meâ signi neque volo neque unquam decrevi, Pilate, ut filium meum morti potius, quam latronem Barrabbam adjudicares, attamen voluntate beneplaciti positive & efficaciter decrevi imo determinavi ut filium meum morti potius adjudicares, quam latronem Barrabbam.* Audiant & aures ad hæc arrigant, *Manichæi*, *Florentini*, *Libertini*, nihil tale de sancta Dei majestate senserunt, vel scripserunt *Calvinus*, *Beza* aut nostri.

Meratius. Vasquez in 1. 2. disp. 140. c. 3. n. 8.

3. Objiciunt. Sic *plecti malum non est* (inquit *Jesuita Meratius*) *sed bonum ut ait Dyonisius, alioqui plecti esset punibile. Ergo peccatum cum sit malum, non potest esse pœna. Vasquez sic, omnis pœna respectu puniti habet rationem mali & inconvenientis, & respectu punientis est ultio, ut ait Aristoteles, pœna & ultio differunt, nam pœna fit ejus gratiâ qui patitur: Ultio fit ejus gratia qui agit, habet igitur omnis*

Dyonisius de divi. nominib. c. 4. p. 4. Arist. Rhetor. 1. c. 10.

pœna

pœna à DEO inflicta tanquam à supremo judice, & Domino offenso rationem ultionis —— *sed nullus justus Judex transgressionem suæ legis ulciscitur alia transgressione & injuria* —— *item peccatum DEO placere non potest ut bonum, Ergo non potest esse objectum justitiæ vindicativæ.*

Quatenus peccatum & injuria Deo irrogata potest esse & est & ultio & injuria.

Respondeo 1. Pati malum qua tale, simpliciter non est punibile, quando is qui patitur non est agens vel habitu vel actu, hoc quidem verum. Et probatur hinc pati malum vel malum pœnæ non esse formaliter malum culpæ, quod non est contra nos, sed ita pati malum pœnæ ut simul patiens sit alio respectu agens vel habitu, vel inclinatione pravâ, vel actu, non esse malum, est falsum. Nam diverso respectu est & bonum & malum. 2. Agnosco verum esse quod ait *Aristoteles, omnem pœnam esse inflictam à* DEO *justo Judice.* Vel actione positivâ ut fit in iis quæ simpliciter sunt pœnæ, vel actione permissivâ, ut fit in actionibus iis quæ & sunt peccata & pœnæ, diverso respectu, ut ante dictum, quæ sunt peccata in ordine ad terminum, nempe, quâ sunt contra DEI Legem, & pœnæ in ordine ad subjectum cui inhærent, tanquam accidentia nociva & disconvenientia creaturæ rationali cui insunt. Et sic petit *Jesuita* principium.

3. *Nullus justus Judex ulciscitur transgressionem & injuriam sibi factam aliâ transgressione vel injuriâ à se factâ & commissâ, hoc verum est* & assumptio falsa, DEUS enim non ulciscitur peccatum alio peccato à se patrato, hoc quidem verũ, quia *Deus* nullum peccatum perpetrat in se vel in alium. Sed hoc quod ait, nullum judicem ulcisci injuriam contra se factam, aliâ injuriâ quam alium permittit facere. Sic Major falsa, & est adhuc petitio principii. De terreno Judice agnosco verum esse, eum non posse ulcisci injuriam contra se factam permittendo aliam injuriam quam impedire tenetur. *Eli* non potuit punire peccata filiorum suorum permittendo ut alia patrarent peccata quæ *Eli* impedire tenebatur. Verum DEUS tali lege non adstringitur, quia DEUS potest filios *Eli* punire, permittendo ut alia peccata patrarent, quia DEUS statuit ut omne peccatum sit authori peccanti malum nocivum, disconveniens & pœnale. 4. Distinguo & illud *peccatum* DEO *placere non potest ut bonum, sed pœna placet* DEO *ut bonum justitiæ vindicativæ*, Quia duplex est bonum, & duplex complacentia: Peccatum non potest DEO placere *ut bonum* honestum, & morale, complacentiâ approbativâ voluntatis

tatis signi: hoc verissimum. Sed nihil sequitur contra nos, quia peccatum quâ peccatum & in ordine ad DEI Legem non est pœna, nec bonum, sed malum inhonestum & objectum Divini odii & displicentiæ, non amoris & complacentiæ. Sed illud. *Peccatum DEO placere non potest ut bonum.* Ut bonum conducibile, utile, & bonum justitiæ, nocivum & disconveniens peccanti & quidem complacentiâ permissivâ voluntatis Beneplaciti. Illud (inquam) est falsissimum. Quia hoc ipso quod peccatum sit malum deterrimum in genere malorum inhonestorum, est bonum utile & objectum justitiæ vindicativæ: quia est nocivum & pœnale peccanti. Et justum, bonum & æquum est ut peccatum sit peccanti pœnale.

Quatenus pœna est malum quid omni punito.

6. Objiciunt, *De ratione pœnæ est* (inquit *Meratius*) *ut sit malum ei qui punitur, sed peccatum non est malum ei qui punitur, sed jucundum & utile. Ergo peccatum non est pœna.*

Respondeo distinguendo Majorem. De ratione pœnæ est, ut sit malum punito, vel in se & actu primo, vel punito sic opinanti & actu secundo. Verum, & sic Major universaliter non est vera, sed est mera petitio principii. Quia malum inhonestum est peccanti hoc ipso gravius malum pœnæ quod pœnam esse haud sentiat, quin pro utili & jucundo id æstimet, sic Medicus ægro permittit ut vinum bibat in pœnam intemperantiæ suæ, attamen vinum bibere est ei per jucundum, & simul pœna gravis, etsi non sentiat esse pœnam. Sic DEUM non punire *Israelitarum* Virginum scortationes denunciatur à DEO in pœnam scortationum expressis verbis, *Hos.* 4. 14. At non puniri à DEO est imprimis jucundum, sicut puniri est injucundum & ingratum.

Curiel. 12. q. 87. art. 2. dub. vinc. q. 3.

7. Ejusdem farinæ est quod objicit *Al. Curiel*, qui ita distinguit inter pœnam & culpam. 1. *Pœna ex suâ naturâ & absolutè est contraria voluntati, licet posset quis in ordine ad finem velle pœnam, ut cum quis infligit sibi voluntariam pœnam ad satisfaciendum DEO pro peccatis suis. Aut quando ex peculiari DEI providentiâ aut propter ignorantiam actu non displiceat voluntati: at peccatum non est contrarium voluntati sed ex naturâ suâ voluntarium.* 2. *De ratione & essentia pœnæ est quod noceat agenti in seipso, hoc est, in iis quæ spectant ad integritatem suppositi, seu ut lædat essentiam agentis & ejus bonam dispositionem. Sed de ratione peccati est quod lædat hominem non in essentia & in*

& in bonâ dispositione suppositi, sed in operationibus suis moralibus quas peccatum pervertit, & rectitudine morali privat. 3. *Pœna consistit in passione alicujus disconvenientis; peccatum vero tantum est in defectibus moralibus actionum nostrarum. Ergo culpa & pœna formaliter distinguuntur & consequenter culpa secundum suam formalem rationem non potest esse pœna.* Ita *Jac. Arminius*, sed longe jejunius & minus nervosè quam *Jesuitæ*.

Arminius Antiperki. pag. 728.

Resp. Conclusio non est contra nos, qui docemus peccati & pœnæ diversos esse conceptus quidditativos, & aliam esse formalem rationem peccati, aliam vero pœnæ, quia peccatum est formaliter Legis Divinæ transgressio, sed pœna non est formaliter Legis Divinæ transgressio, sed creaturæ rationali propter Legis Divinæ transgressionem malum nocivum & pœnale, ideoque non sic culpa est formaliter pœna uti homo est animal rationale, sed constat nostra thesis, si peccatum sit simul peccatum & pœna, & si sit permissivè à Deo volitum quâ peccatum, quod negant Adversarii.

Quatenus peccati & pœnæ diversi sunt conceptus quidditativi & differant peccatum & pœna.

2. Rationes *Jesuitæ* eo tendunt quod pœna essentialiter sit involuntaria. Sed ego Jesuitas cum Jesuitis committo. Sic *Becanus*. *Licet pœna aliquando non sit contraria voluntati est tamen contraria naturæ.* Et ibidem. *Non necesse est ut pœna talis sit, cui voluntas actu repugnet, satis est esse talem, cui voluntas repugnaret, si illam rectè æstimaret & perpenderet.* Gregor. de Valentia. *Satis est* (inquit) *ut pœnâ suâpte naturâ adversetur inclinationi hominis, adeoq; sit involuntaria in actu primo.* Et *Vasquez*. *Actus peccati qua delectabilis & utilis movet voluntatem directè, & sic peccatum est voluntarium, at quatenus est malus malitiâ culpæ non allicit voluntatem, & sic est involuntarius, & potest esse pœna.* Vanum est ergo quod cum Jesuitis ait *Arminius*, *Peccatum est actio, pœna est passio, peccatum est voluntarium, pœna involuntaria, & invito semper inflicta.* Ergo peccatum non est pœna. Nam primo concupiscentia originalis, propensiones vitiosæ inclinationum animæ contra legem naturæ, peccatum habituale, sunt peccata, non tamen sunt actiones. 2. Quod *Gibeonitæ* portent aquam & cedant ligna sunt actiones, & tamen pœnæ etiam. Ut rectè observat D. *Petr. Molinæus*. 3. *Sampson* dormiens pœnas patitur abrasione capillorum & multis defunctis familia & soboles in pœnam quam iis Deus, dum in vivis essent, comminatus fuerat, exscinduntur ab imâ stirpe, attamen in *Sampsone*

Becanus part. 2. tra. 2. c. 8. q. 1.

Grego. de Valent. in 12. tom. 1. q. 84. art. 2. dis. 6. q. 17. punct. 3. Vasque. in 12. tom. 1. dis. 40. c. 1. n. 2.

Molinæus in enodat. quæsti. tra. 2. de prov. pag. 50.

dormiente, & in defunctis, locum nec habet voluntarium, nec involuntarium, & eorius alto somno oppressus defertur in carcerem in poenam quam tamen ille nec sentit, nec involuntarius patitur. Ideoque tantus poenæ contra sensum & rationem vanissimè statuitur de existentia poenæ. 3. Poena est quidem actu primo contraria voluntati, & sic peccatum quâ poena seu pœnalitates in peccato sunt contrariæ voluntati, sic macula peccati. 2. Aversio à summo bono. 3. Privatio amicitiæ DEI. 4. Vilitas resultans creaturæ ex peccato. 5. Reatus seu obligatio ad æternas pœnas sunt omnes pœnalitates & veræ passiones actu primo contrariæ voluntati & peccatori involuntariæ; nam peccator (ut supra dixit *Ruiz*) optaret simul frui bono temporali, quod peccando appetit, & exsolvi & liberari ab omnibus hisce pœnalitatibus in peccato. 4. Vana itidem est ea Jesuitæ distinctio & petitio principii, quâ vult peccatum lædere integritatem & bonam dispositionem suppositi, pœnam vero lædere actus secundos & operationes suppositi. Quia peccatum lædit etiam integritatem suppositi, quia frænum justitiæ originalis sustulit, docentibus adversariis, animæ rationalis integritatem & harmonicam cum DEO ultimo fine, hominisque solâ beatitudine unionem turbat, rationem è solio deturbat.

Lod. Mæratii, & Gab. Vasquezii rationes evertuntur.

8. Sic arguunt *Mæratius & Vasquez. Omnis pœna potest à justo judice honestè amari & efficaciter appeti, quia punire est actus virtutis & justitiæ vindicativæ, cujus objectum est bonum. Atqui peccatum non potest a justo judice honestè amari. E.*

Respondeo. Non concluditur negatum: quia tantum sequitur. Ergo peccatum qua transgressio Legis Divinæ non potest honestè amari. Quod non est à nobis negatum. Sed non concluditur (*peccatum ergo secundum esse nocivum & ut dissonveniens pœnale ipsi peccatori non potest honestè amari*) DEI enim voluntas non terminatur in peccatum qua peccatum, sed in peccatum quâ pœnam, seu in pœnalitatem nocivam peccatori omni peccato adhærescentem.

Mæratius Arminius Antiperkii. pag. 728.

9. Sic *Mæratius. De ratione pœnæ est ut fit reparatio honoris ablati ab eo in quem peccatur, sed de ratione peccati non est ut fit reparatio honoris DEI, sed ut fit ablatio Honoris DEI. Arminius* sic. *Per pœnam peccatum in ordinem redigitur, sed per peccatum, peccatum in ordinem non redigitur, sed permittitur inordinatè grassari. Ergo peccatum*

non

non est pœna. Respondeo 1. Non adhuc concludi negatum. Nam verum est peccati & pœnæ diversas esse rationes; ut hominis & risibiles diversæ sunt rationes formales: at minimè inde conficitur hominem non esse risibilem, ita neque hinc concluditur peccatum non esse pœnam. 2. Est de ratione punitionis, potius quam de *ratione pœnæ ut sit reparatio honoris ejus* in quem peccatur. 3. Falsa est Minor, quia licet per peccatum auferatur honos activæ obedientiæ DEO debitæ, attamen per peccatum qua est nocivum pœnale peccanti reparatur honos justitiæ vindicatricis, in hoc enim resplendet gloria Justitiæ Divinæ quod peccatum sit ipsi peccanti malum nocivum & pœnale, ideoque non grassatur peccatum sic quin in ordinem justitiæ redigatur peccatum eo quod peccanti sit gravis pœna. 4. Probaret hoc argumentum contra Scripturas & torrentem doctorum peccatum Originale non esse pœnam.

10. Scio non inerudite dici à *Scoto. Peccatum ut est a voluntate activè fluens esse peccatum, ut vero est in voluntate ut in subjecto esse involuntarium & pœnam peccati.* Nescio tamen an solidè *Vasquez. & Al. Curiel. Scotum* oppugnent sic. *Malitia* (inquiunt) *ut est subjectivè in animâ est malitia, & denominat peccatorem injustum formaliter, nam subjectum denominatur tale à forma inhærente. Si ergo DEVS est author peccati ut pœnæ, erit author malitiæ ut est passivè recepta in anima, & DEVS causa erit cur voluntas seu anima sit formaliter mala per peccati malitiam, & sic DEVS causa erit cur malitia activè fluat ab animâ, nam receptio malitiæ in animâ habet intrinsecam dependentiam ab activâ processione malitiæ ab animâ.* Scotus lib. 2. dist. 37. q. unic. ad q. 3. Vasquez. Curiel. 12. q 87. art. 2. dub. unic. §. 3.

Respondeo 1. Licet peccati malitia quatenus subjectivè inhæret animæ sit malitia, & peccatum, & malum morale quod animam moraliter malam denominet, non tamen DEUS causa est cur anima mala sit per peccati malitiam, neque causa est DEUS cur malitia activè fluat ab animâ, quia licet DEUS velit ut peccatum sit nocivum & pœnale peccanti, quia conveniens est justitiæ Divinæ, ut peccatum peccanti sit pœnale & nocivum, nec DEUS est vel causa inhæsionis malitiæ in animâ, nec causa activæ emanationis ab animâ. 2. DEUS potest positivè velle peccatum ut pœna, seu potius velle pœnalitatem in peccato, & tamen nullo modo velle peccatum, vel peccati commissionem, vel receptionem ejusque subjectivam inhæsionem in animâ. Causa formalis inhæsionis absolutis

in lacte est ipsa albedo, causa inhæsionis malitiæ in animâ est ipsa malitia, non autem DEUS qui eam odit.

And. Duvallius in 2. Thom. tract. de peccat. q. 5. art. 3. Duvallii, Becani, & Ph. Gamachei evasiones tolluntur.

11. *Ad peccati pœnam* (inquit *And. Duvallius*) *quatuor concurrunt.* 1. *Ut sit privatio boni.* 2. *Ut sit aliquo modo ab agente extrinseco. Afflictiones voluntariè susceptæ ad satisfaciendum DEO pro peccatis, non sunt propriè pœnæ.* 3. *Ut infligatur ob peccatum. Si infligitur ad probationem est medicina, non pœna.* 4. *Ut sit simpliciter involuntaria. Peccatum quatenus recipitur in voluntate & annexam habet deformitatem saltem per accidens & interpretativè est volantarium.* — *Per accidens tantum est pœna peccati: idq; bifariam.* 1. *Quia est causa debilitatis & corruptionis naturæ & pravorum habituum.* 2. *Quia est causa subtractionis gratiæ.*

Respondeo 1. Juxta primam conditionem, quia peccatum est privatio boni honesti, est pœna. 2. Non necesse est ut omnis pœna sit ab agente extrinseco, desperatio damnatorum peccatum est & pœna propriè dicta, & hic etiam DEUS est extrinsecum infligens. Et juxta secundam conditionem, omnes pœnæ voluntariè susceptæ desinunt esse satisfactiones pro peccatis, quia ne quidem pœnæ sunt, Esse involuntarium non est essentia pœnæ sed ejus actus secundus, convenit tantum pœnæ sensus, non pœnæ damni. Imo quo magis spiritualis est voluntas eo magis pœnale est quod ei inflictum est Et quo plus habet de ratione mali, id est voluntarii, eo plus habet de pœnâ. 3. Non tantum per accidens, sed etiam per se peccatum est pœna. 4. Peccatum *Pharaonis* recusantis, ad octavum miraculum, demittere Populum DEI est pœna inflicta propter antecedentem indurationem & pervicaciam in eo, estque à DEO inflictum eo modo quo pœna peccato adhærescens infligitur, id est, permissivè.

Philippus Gamacheus Doctor Sorbonic. in 12. Thó. q. 87. c. 2.

12. *Phil. Gammacheus. Pœna est posterior peccato. Ergo peccatum non est pœna.*

Respondeo. Morbida est consequentia. Risibile est naturâ posterius homine. Nunquid sequitur. Ergo homo non est risibilis?

Becanus Theolog. part. 2. tra. 2. c. 8. q. 4.

13. *Becanus* sic. *Peccator potest compelli ad pœnam, sed peccator non potest compelli ad culpam. Ergo.*

Respondeo. Semper petitur principium, non potest peccator compelli ad omnem pœnam, sed ad eam tantum quæ sit purè & simpliciter pœna, non ad eam quæ & culpæ & pœnæ rationem habet

habet. 2. Quomodo homo sit patiens involuntarium respectu pœnalitatis in peccato, supra dictum.

14. Sic manuscriptum *Jesuitæ* quod vidi *Abredoniæ* à D. *Roberto Barronio.* *Habet pater duos filios, qui licet utrumq; diligat, magis tamen diligit juniorem, ideoq; facile permittit primogenitum navigare, vel militare, non quidem eo animo directè ut hæreditas devolvatur ad secundum, sed quia propter affectum quem habet erga juniorem, non judicat adeo grave malum, si fortè primogenitus moriatur. Ergo voluntate obliquâ & indirectâ propter affectum erga gloriam misericordiæ & justitiæ in CHRISTO vult peccatum qua pœnam commeretur.* Sed & impium est fingere in DEO intentiones & affectus pendulos & fluctuantes. Ideoque respondeo. Per hanc sententiam fingitur DEUS habere affectum & voluntatem indirectam ad gloriam justitiæ punientis & misericordiæ in CHRISTO Mediatore incarnando, adeoque ad peccatum, sicut *Pater permittit primogenitum navigare aut militare,* non impensè curans, imo semivoluntate volens ut moriatur, ut hæreditas ad juniorem devolvatur, *quia majus bonum* (inquit ibidem *Jesuita*) *facit ut mors primogeniti appareat minus malum, quia est reparabile cum majore lucro, nempe cum hæreditate devolutâ ad juniorem quem pater intensius diligit, & hæredem esse impensius expetit.* Unde sequitur existentiam peccati quod est intrinseca materia justitiæ punientis apparere DEO majus bonum, quam non-existentiam peccati. At non dicent hoc *Jesuitæ* reliqui, quia majus bonum quod DEUS esse vult potius quam minus bonum, est DEO hic & nunc simpliciter eligibile. At peccatum etiam quâ pœna non est DEO magis eligibile quam obedientia, secundum adversariorum doctrinam. Manuscri. Jesuit. tra. 3. de prædestinat.

Addit etiam manuscriptor. *Laudabile est* (inquit) *Permittere minora mala, ad vitanda graviora, ut licet consulere furtum ad vitandum homicidium, ut ait Sanchez. Sic custodes nemorum possunt abscondere se & de industria dare opportunitatem latronibus ingrediendi ad furandum, ut hac occasione deprehensi respiciant, & abstineant in posterum à latrocinio, & sic potest Deus habere affectum erga peccatum non simpliciter, sed odio majoris peccati, & hoc arguit non affectum sed odium majoris peccati. Hinc infertur quosdam piè petere posse à Deo passionem Martyrii, quæ tamen non habetur nisi peccatis Tyrannorum, nos autem non possumus à Deo petere, nisi quæ ipse potest velle, & eo modo quo ipse potest velle.* Sanches de matrimonio. l. 7. disp. n. art. 15.

Respond.

Deus velle potest peccatum, propter bonum longe eminentissimum, fatentibus Jesuitis.

Respond. 1. Est quorundam Casuistarum impium dogma quod aliquo casu liceat consulere peccatum, nam peccatum est consulere peccatum, at nobis nunquam licet peccare propter finem aut eventum longè optimum, quantumvis foret omnium hominum & dæmonum æterna salus. Nam nunquam propter bonum licet facere malum. *Rom.* 3. 8. 2. Nego *custodes nemorum posse licitè* permittere furtum quod impedire tenentur, propter incertum finem nempe resipiscentiam latronum, nam resipiscentia est singulare DEI donum à solo CHRISTO datum. *Act.* 5. 31. potest quidem DEUS permittere peccatum propter bonum longe præstantius, quam ipsum peccatum est malum, quia DEUS hic est supra legem, sed *Eli* non tenetur permissione morali filios suos permittere ut minima peccata perpetrent propter bonum eminentissimum. Et certè si DEUS potest velle minus peccatum propter evitationem majoris peccati. Ergo potest *Deus* velle maximũ peccatũ propter bonum quod est longè eminentius quam evitatio majoris peccati, si nempe finis cur permittat peccatum sit Gloria DEI & Redemptio humani generis. 3. Non licet absolute petere Martyrium, sed conditionatè tantum, & adhibitis piis cautionibus.

Ledesma de divi. gratiæ auxiliis pag. 396. Isodorus de summo bono. l. 2. c. 29. Pererius in Exod. c. 11 disp. 4. n. 28 Cajetan in 2 Sam. 16. 10.

Quid dicent pontificii *Petro de Ledesma* professori *Salmanticensi*? *Nullum* (inquit) *est inconveniens quod DEUS causet peccatum, non quidem ut peccatum est, sed ut induit quandam rationem pœnæ, & prædeterminat illam, non causando ipsam rationem peccati.* Id quod dixit *Isodorus. Pœna peccati, peccatum admittitur, quando pro merito cujusque peccati, DEO deserente in aliud peccatum itur, de quo amplius qui admiserit fordidetur. Stat itaque lectio* (inquit *Pererius*) *quod rebellio Absolonis, ut erat actio ejus, sine dubio peccatum fuit, nec fuit à DEO; sed ut erat passio & pœna Davidis, intenta & volita fuit à DEO, qui voluit justè Davidem pati talia propter adulterium, sed locum non habet distinctio in obduratione.* Et *Cajetanus agnoscit & fatetur David maledictionem illam, quatenus pœnalem sibi procedere à DEO propter peccata sua. —— Dixit DEUS maledic Davidi: non verbo, sed facto efficiendo maledictionem Shimei, non quatenus erat peccatum, sed quatenus erat pœna Davidis, ut per os Nathanis, Suscitabo malum de domo tuâ.*

CAPUT

CAPUT XXI.

DEUM non nudâ permissione homines indurare. De modo obdurationis; ad partes vocantur Jesuitæ *&* Arminiani.

Extum argumentum pro actuosâ DEI providentiâ circa peccatum tale est. Argu. VI.

Qui actione positivâ ita homines excæcat, & eorum corda obdurat, ut tamen excæcatio & obduratio passiva sit ex parte hominis obdurati peccatum gravissimum, is non nudè permittit, sed vult ut eveniat peccatum, sese permittente.

De induratione peccatoris.

Atqui DEUS actione positivâ, modâ prædictâ, homines excæcat, & eorum corda indurat.

Ergo DEUS non nudè permittit, sed vult ut eveniat peccatum, se permittente.

Modus obdurandi, ex patribus præsertim Græcis examinatus.

Ratio majoris, quia si intervenit actio DEI positiva in obdurationem peccatoris, oportet interveniat velitio DEI positiva & non nuda permissio negativa, quoties homo culpabiliter sese indurat. Nolo hoc argumentum esse idem plane cum argumento superiore, quia licet quædam obduratio sit peccati pœna, non sic tamen obduratio in genere à qua desumitur hoc argumentum, nam prima obduratio discriminans conversum seu Electum & non conversum & Reprobum, licet sit materialiter malum, non est tamen formaliter malum pœnæ inflictum comparativè in pœnam in hunc potius, qui non emollitur, & convertitur; quam in illum quem DEUS convertit: sed est actus liberrimi DEI beneplaciti, quem Salvator refert in meram ἐυδοκίαν DEI. *Math.* 11. *v.* 26, 27. & *Paulus* in DEI beneplacitum. *Rom.* 9. 15, 18. & *Iacobus* in DEI liberam voluntatem. *Iacob.* 1. 18.

Ratio majoris, nec non assumptionis dependet, ex modo quo DEUS excœcat aut indurat homines. Nos hic patribus præsertim *Chrysostomo* & *Græcis* patribus in hæresi pelagianâ haud excercitatis minimè fidendum in hâc causâ putamus.

(a) *Origenes,*

(a) Origenes lib. 3. περὶ ἀρχῶν. (b) Theodoret. q. 12 in Exodii. (c) Hyeronim epist. ad Hebedi. resp. ad qu. 10.

(a) *Origenes*, (b) *Theodoretus* quibus addo *Hyeronimum*, (c) volunt DEUM obdurare homines, *pœnæ dilatione & longanimitate.* Sed licet hic sit unus modus quo DEUS obdurat, est planè insufficiens. Ratio est. DEUS longe alio modo reprobos obdurat, quam Electos & Regenitos: Nam singulare aliquid quod ad executionem decreti reprobationis pertinet, insinuatur in excecatione Reproborum, quam in excecatione credentium, ut patet ex, *Ioa.* 12. 39. *ideo non poterant credere*, quoniam *Esaias dixerat* 40. *excecavit oculos eorum, & obduravit corda eorum, &c.* At vero DEUS, infrâ longanimitate utitur etiam erga credentes, hoc ipso quod eos non sic obduret, qui tamen obdurationem æquè commeriti sunt, atqui Reprobi. 2. Dilatio pœnæ ex se, nisi quatenus tali fine DEUS differt pœnam, nempe, ut indurentur homines, non est actus occulti judicii, sed potius actus misericordiæ, atqui obduratio est actus occulti judicii exequentis liberum decretum reprobationis, & interdum actus justitiæ vindicativæ propter ante patrata scelera. At non dicent Adversarii DEUM intendere indurationem.

(d) Tertullian. cont. Marcion. lib. 2. (e) Origin. loc. cit. (f) Chrysostom. hom. 5. ad Roman. (g) Rivetus in Catholico. Orthodoxo. tom. 2. q. 7. tract. 4 nu. 5. (h) Guliel. Bailius in Catechismo Contraversiar. tra. 4. q. 7. (i) Dav. Pareus cō. ad Rom. c. 1. dub. 19. (k) Bellar. min. de amiss. grat l. 2. c. 14.

2. (d) *Tertullianus*, (e) *Origines*, (f) *Chrysostomus*; volunt DEUM obdurare deserendo, & hominem suæ voluntati relinquendo. Sic *Chrysostomus* uti dux ingravescente bello, qui se subducit, exercitum hostibus tradit, non quidem impellendo in stragem, sed suo auxilio eum privando. Sed rectè Doctissimus, (g) *D. Rivetus. Tertullianus, Origenes, & Chrysostomus* (inquit) *aliquid dicunt, sed non quicquid dicendum fuit.* Si enim DEUS indurat negativè, non omnino indurat. Quid enim est indurare nihil agendo? lapis hominem nihil agendo indurat, imo dico Jesuitam (h) *Gul. Bailium* rectè inferre ex hâc Patrum sententia, conclusionem absurdissimam, quam tamen ipse tenet, hinc *perspicuè judicari obdurationem non à Deo, sed à nobis procedere.* Qui enim indurat non agendo, ab eo obduratio non omninò procedit. Sic verba dat Scriptura & ludificatur nobis, quæ toties dicit *DEVM peccatores indurare.* 2. Talis dux qui se *subducit bello* (inquit Clarissi. Vir *Da. Pareus*) *esset proditor sui exercitus, non Judex.* Audaces hic nimis sunt homines, DEUM iis legibus astringendo, quibus homo astringi debet, homo enim hominem indurans non emolliendo, culpabilis certè causa esset obdurationis. DEUS ergo hic est supra legem. Quin imo (k) *Bellarmin.* ait *esse gravissimum punitionem cum homo in pœnam preteriti,*

præteriti peccati, in medio hostium nudus atq; inermis, divino judicio relinquitur. (l) *Augustinus* (fateor) non his dissimilia habet. *Obdurare hic* (inquit) *est DEVM nolle misereri, nec ab illo irrogatur aliquid, quo homo fit deterior, sed tantum quo non fit melior.* Item. *Deserendo, non adjuvando.* Item. *Non impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam.* Sed facile est pro *Augustino* respondere. negativam indurationem Augustinianam negare quidē influxionem malitiæ in obdurato, non vero omnem actum positivum DEI. Quod rectè alibi explicat *Augustinus. Certissimè credendum, quod Pharaonem non DEI violentia, sed propria iniquitas & indomabilis superbia contra DEI præcepta toties fecit indurari.* Scio *Augustinum* (ser mo. de tempo. 88. dicere *Deum indurare per indulgentiam* sed se exponit ibid. *Pharaonem non DEI violentia, sed propria impietas obduravit. Pererius* in Exod. c. 11. ait molliri Electos hâc indulgentiâ DEI.

(l) Augustin. ad Simplician. l. 2. q. 2. & August. tract. 53. ad Joannem & idem epist. 105. ad Sixtum. Augustin. sermon. de tempo 88.

Nimis adhærent nudæ permissioni (m) *Gregorius*, (n) *Damascenus*, (o) *Isidorus*, (p) *Theophylactus. Præsertim Græci* (inquit (q) *Pareus*) *quibus cum Pelagianis minus fuit negotii.* (r) *Origenes* aliter exponi potest qui utitur similitudine Solis. Qui (inquit) duplicis esse videtur virtutis, & illuminat, & indurat prout in subjecta diversa incidit. Unde rectè colligi potest. DEUM agentem esse in indurando. Et (s) *Cyrillus* ait DEUM *convertere impiam voluntatem, ad hoc ut sit occasio boni*, quod illustrat exemplo fratrum *Josephi. ἐπὶ ἀγαθοῦ λαμβάνει*, Notum est quomodo respondeat (t) *Tertullianus Hermogeni* qui ita objicit. *Aut enim potuit emendare* (materiam) *sed noluit, aut voluit, verum non potuit; infirmus Deus, si non potuit, & si noluit, malus ipse, quia malo favit*, nempe respondet. *Sic non author, sed assentator mali invenitur DEVS.* DEUS ergo ex *Tertulliano* non plus est quam nudus assentator, aut inspector, quasi dum malum fieret, DEUS non haberet ullam voluntatem circa mali existentiam, nisi postquam jam exiitit. Quod antea refutatum est.

(m) Gregorius. moral. l. 12. c. 12. c. 13. (n) Damascen. de fide orthodox. li. 4. c. 20. (o) Isidor. de sū bon. l. 2. c. 19. (p) Theophylact in opere imperfect. in Math. (q) Paréus con. Bellar. de amiss. grat. l. 2. c. 14. prælec. 55. (r) Origē. homil. 2. in Cantic. (s) Cyril. Catech. 8. (t) Tertul. cont. Hermogen.

Mira est adversariorum audacia qui volunt DEI permissionem in induratione esse meram non actionem, & hoc à patribus doceri. Quod tamen à Patribus non docetur. Qui enim agnoscunt substractionem pœnæ, idque cum certâ DEI intentione puniendi antecedentia peccata per illam substractionem, illi non agnoscunt indurationem permissivam esse non-actionem, quia licet negare gratiam, quâ negatâ non potest is cui negatur non peccare, sit non-actio,

intentio tamen & voluntas puniendi non est nuda negatio aut actio negativa. Atqui voluntatem puniendi hic agnoscunt Patres (u) *Augustinus*, (x) *Chrysostomus*, (y) *Hieronymus*, (z) *Fulgentius*, (a) *Anselmus*, (b) *Damascenus*, (c) *Isidorus*, (d) *Hugo Victorinus*, (e) *Theodoretus*, (f) *Theophylactus*, (g) *Origen*, (h) *Basilius*, (i) *Ambrosius*, (k) *Gregorius*. Provocat ad Adversarios. (l) *Cardin. Toletus*. *Quare DEVS excæcat? Respondeo, ut nos* (inquit) *timeamus, scientes propter peccata nostra Deum negare nobis suum auxilium quo impediremur peccata.* Magnus vir (m) *Cajetanus. Excæcavit* (inquit) *itaque DEVS, auctor omnis mali pœnæ, excæcatio siquidem pœna est, & est privatio potentiæ videndi, hoc est auxilii gratuiti in intellectu quo possit mentis oculis videre* —— *induratio quoque cordis pœna est*, &c. Ista desertio gravissima est punitio (inquit *Bellarm.*) Ita (n) *Vasquez*, (o) *Gregorius de Valentia*. Ita (p) *Driedo*, ita (q) *Suarez*, ita Jesuita (r) *Theo. Smising*. Præterea (s) *Canus* & (t) *Michael* de *Medina* permissioni addunt quatuor actus positivos in induratione peccatoris. 1. *Quod DEVS auferat lumen & suavitatem gratiæ.* 2. *Quod DEVS utatur Satanâ tanquam instrumento ad sua judicia exequenda.* 3. *Quod occasiones ministret, quibus corrigi possent, vel stupenda quibus convincerentur, vel prædicationem Evangelii & beneficia indulgeat, quibus converterentur, quibus illi pro suâ malitiâ abutantur.* Sed disquiri permittimus an non recte (u) *Vasquez*, è *Cano* secundum doctrinam pontificiorum, de oscitante providentiâ DEI objiciat. *Hic modus secundus* (inquit) *ut sit verus, intelligendus est per solam permissionem, nec enim alio modo DEVS Satanam instruit, quam sinendo illum.* Fateor Patres, ut *Chrysostom in Joan. homil. 67. Augustinum epist. 105. ad Sixtum Greg. Mor. l. 13. trac. 11.* contendere DEUM indurare subtrahendo

(u) Augu. Enchiridi. 100. tra. in Joan. 53.
(x) Chrysost. homi. 3. in epist. ad Roma. homil. 69. in Joan.
(y) Hiero. in Rom. 1. in illa tradidit illos DEUS &c.
(z) Fulgentius lib. 1. ad Trasimundum c. 4
(a) Ansel. in Rom. 9.
(b) Damascen de fid. orth. lib. 4. c. 20.
(c) Isidor. lib. 2. sent. c. 19.
(d) Hugo Victorinus li. 1. de sacram part. 5. c. 19

(e) Theodoretus q. 12. in Exod. (f) Theophylact in Rom. 9. (g) Origen. 3. περὶ ἀρχῶν. c. 1. (h) Basilius homil. quod DEUS non sit author malorum. (i) Ambrosius libro de Noe & arc. c. 4. (k) Gregor. Moralia. l. 25. c. 12. 13. de non emolliendo & indurando hic corde. Aquin. sent. 1. dist. 40. q. 4 Lyran. in 4 in Exod. Tostat. ibid. q. 12. Cajetan. in Exod. 9. (l) Toletus comment. in Joan. c. 12. tom. 1. annotat. 22. (m) Card. Cajetan. in Joan. c. 12. v. 40. (n) Vasquez in 1. Thom. tom. 1. disp. 95. c. 10. (o) Gregorius de Valent. 12. disp. 6. q. punct. 2. (p) Driedo de captiv. & redempt. tract. 5. c. 4. (q) Suarez. de auxil. l. 2. c. 3. n. 5, 6, 9, 10. (r) Theodor. Smising. ordinis s. f. Minor Lovanii Professor tom 1. de DEO un. tract. 3. disp. 3. q. 3. n. 94, 95. (s) Canus loco comm. l. 2. c. 4. (t) Michael de Medina incap. 2. Deuter. Vasquez. loc. cit. (u) Augustinus de gra. & lib. arbitrio. c. 21.

gratiam

gratiam emollientem, sed alios modos superaddunt. Sed addit *Pererius* in Exod. c. 11. disp. 6. *Sed praeter substractionem gratiæ divinæ* aliquid plus concurrere ad indurationem. Admirationem omnem superat quod *Jesuitæ* & *Arminiani Augustinum* hic in suas partes trahant. Nam *Juliani Pelagiani* evanida effugia hodiè arripiunt ex ore *Pelagii* & *Juliani*, *Bellarminus*, *Baius*, *Theo. Smising*, *Vasquez*, *Jac. Arminius*, *Bilth. Meisner Pseudolutheranus*, & *Sociniani*. Prima *Juliani* distinctio fuit, *DEVS indurat peccatores, non efficiendo, non positivè inclinando, sed permittendo.* Secunda distinctio *Juliani* fuit, *Quod DEVS indurat per patientiam*: *Meisnerus*, *vlricus*, *vel objectivè*, *Corvinus* Arminii sectator *occasionaliter*, per beneficia, flagella, miracula, sed *tollerando per patientiam*, *non autem obdurando per omnipotentiam.* Tertia distinctio *Juliani.* DEUS indurat, non volendo ut sit peccatum, sed ordinando peccatum postquam jam est. Quarta distinctio *Juliani* fuit. Quod voluerit DEUM præscire homines obdurandos, non autem prædestinasse ut obdurarentur. 5. Evasio *Juliani.* DEUM nullo modo intendere obdurationem peccatoris, sed ejus resipiscentiam. 6. Evasio, indurationem esse justam & laudandam, si induratio pœna sit. 7. Evasio. Indurationem non esse simul peccatum & pœnam peccati. 8. Evasio *Pelagianorum*, malum esse peccatum, & simul malum esse quod peccatum sit, & sic de obdurationе disserendum. 9. Evasio. DEUM negativè permittere malas voluntates in hoc objectum malum ruere potius quam in illud, non autem malas voluntates inclinare, *quocunque voluerit.* 10 Evasio. Ipsos peccatores propriè sese indurare, non autem DEUM. 11. Evasio, DEUM esse iniquitatis participem, si in indurarione hominum sit ullo modo causa propriè dicta. 12. Destrui hominis liberum arbitrium, si DEUS, per justum judicium homines induret. 13. Indurationem hujus, non illius ex inscrutabili DEI beneplacito non fluere, sed ex hominis libero arbitrio. 14. Liberum esse etiam à DEO judicialiter induratos non indurari, si ita visum sit libero arbitrio.

Adversarii effugia Pelagii arripiunt.

Has quatuordecim evasiones *Juliani* & *Pelagianorum* nisi ex *Augustini* scriptis, & esse easdem evasiones Jesuitarum & Arminianorum probavero, hac causa eádem.

Prima evasio est expressè Pelagiana. *Numquid* (inquit) *Philistini & Arabes in terram Judæam dissipandam sine suâ vo-*

luntate venerunt, aut sic venerunt suâ voluntate, ut mendaciter scriptum sit, quod Dominus ad hoc faciendum spiritum eorum suscitavit? imo utrumque verum (contra quod sentiunt Pelagiani*) quia & suâ voluntate venerunt, & tamen spiritum eorum Dominus suscitavit: — agit enim Omnipotens in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, ut per eos agat, quod per eos agere ipse voluerit, qui omninò injustè velle non novit.*

(x) Lib. 5. contra Julia. c. 3. (x) Augustinus. ibid (y) Vasquez 1. par. disp. 45. c. 10. n. 60. (z) Prosper. pro Augustin. lib. 1.

— Ib. (x) *Satis* (inquit) *quantum existimo, manifestatur operari* DEUM *in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocunque voluerit, sive ad bona, pro suâ misericordiâ, sive ad mala, pro meritis eorum, judicio itaque suo, aliquando aperto, aliquando occulto, semper autem justo.* Sic. *Audis propter hoc* (Juliane) *& queris inaniter quomodo intelligendus sit tradere* DEUS, *multum laboras ut ostendas eum tradere deserendo (hoc est non agendo,* & in hoc multum laborant Jesuitæ & Arminiani.) Secunda est etiam Juliani. *Quid est autem* (Juliane) *Quod dicis, eum desideriis suis traditi dicuntur, relicti per divinam patientiam intelligendi sunt, non per potentiam in peccata compulsi. Sic argutatur Julianus.* Et sic *Jesuita & Arminiani* negant DEUM per actum Omnipotentiæ homines indurare. Respondet *Augustinus. Quasi non simul posuerit hæc duo idem Apostolus & patientiam & potentiam, ubi ait, Sic autem volens Deus ostendere iram & demonstrare potentiam suam, pertulit in multâ patientiâ vasa iræ*, hoc est, quod (y) *Vasquez* reliquorum nomine dicit. *DEUS indurat non tantum permissivè, sed etiam quia interius & exterius, quasdam offert occasiones, quibus certò scit hominem ad malum provocandum — non eo animo ut ille cadat quem* DEUS *indurare dicitur, imo vero ea solum intentione ut ad pœnitentiam eum adducat.* Hoc est stylo uti *Juliani.* DEUS obdurat per patientiam intendens obdurati obedientiam, non compellit per potentiam intendens pœnam. Sed juxta licet lector an DEUS formaliter ut Judex puniens nec pœnam nec punitionem intendat, sic DEUS formaliter justè agens, & misericorditer peccata condonans, nec justitiæ opus nec misericordem condonationem vellet aut intenderet, cujus contrarium, contra *Pelagianos* ostendit (z) *Prosper* respon. pro *Augustin.*

Pelagiani & Jesuitæ & Arminiani *docent* DEUM *indurare ut indurationem nollet, ut peccatori indifferens sit obdurari vel non obdurari & neminem reprehendi debere nisi in negotio in futuri temporis statu obdurato vel emollito.*

Tertia evasio *Pelagianorum* est quod agnoscere cogantur DEUM bonum è peccatis elicere, ut est sententia *Jesuitarum & Arminianorum.* Sed negant *Pelagiani* DEUM velle ut sit induratio sic

(a) *Augustin.*

(a) *Augustin. Et non audivit Amasias, quoniam à DEO erat ut inimicus ejus traderetur, quoniam quæsierunt deos Edom. Ecce DEUS Idololatriæ peccatum volens vindicare, hoc operatus est in ejus corde, cui utique justè irascebatur, ut admonitionem salubrem non audiret, sed eò contemptâ iret in bellum, ubi cum suo exercitu caderet.* Ibi expresse contra *Pelagianos* asserentes DEUM ordinare ad suam gloriam indurationem jam factam, docet DEUM velle ut existeret induratus animus *Amasiæ* in pœnam Idololatriæ. Et negabant *Pelagini, DEUM inclinare voluntatem in peccatum*: contra (b) *Augustin. non enim jubendo* (Shimei maledicere) *dixit, ubi obedientia laudaretur, sed quod ejus voluntatem proprio vitio suo malam in hoc peccatum justo suo judicio & occulto inclinavit* Et ibidem. *Cor Shimei malum in hoc peccatum miserit vel dimiserit.* Et (c) ibid. ait ita esse in DEI *potestate voluntates hominum, ut eas quo voluerit, quando voluerit faciat inclinari, vel ad beneficia præstanda, vel ad pœnas quibusdam ingerendas, sicut ipse judicat, occultissimo quidem judicio, sed sine ulla dubitatione justissimo.* Ipse *Bellarmin.* l. 2. de amiss. grat. *DEUM excæcare tanquam justum Judicem, & ideo non intendere conversionem & pœnitentiam, sed pœnam eorum qui excæcantur*, &c.

(a) Augustin. de grat. & lib. arb. cap. 21

(b) Augustin. de gra. & lib. arb. c. 20. Ibid.

(c) Ibid. initio cap. 20.

Quarta evasio *Pelagianorum* prout etiam *Jesuitarum*. DEUM ex præscientia, non autem ex præordinatione indurare. (d) *Augustin. Sed aiunt, ut scribitis* (*Pelagiani*) *neminem posse correptionis stimulis excitari, si dicatur in conventu Ecclesiæ audientibus multis, ita se habet de prædestinatione definita sententia voluntatis DEI, ut alii — venerint ad fidem — cæteri vero qui in peccatorum delectatione morantur, ideo nondum surrexisse, quia nec dum vox adjutorium gratiæ miserantis erexit.* Unde sistet sententia voluntatis DEI qua multi obdurationi suæ naturali relinquuntur, nemo obduratus debet reprehendi. Hoc argumentum fusius tractat. (e) *Augustinus* ibid. Et (f) *Prosper.* qui contra *Pelagianos* pro *Augustino* docet. 1. Inscrutabilia esse DEI judicia quod multi indurentur & pereant, cum alii liberentur. 2. Ex illustri testimonio *Petri, Act.* 2. & *Act.* 4. contendit, quod dum *Herodes, Pilatus, Judæi, & Gentes misere excæcati* Dominum Gloriæ crucifigerent, *in ipsis facientibus contra Dei voluntatem, non impleatur nisi voluntas Dei.*

(d) Augustin. de dono perseverant ad prosper. & hilar. l. 2. c. 15.

(e) Augustin. fuse de don. pers. c. 20 ca. 21.

(f) Prosper respons. l. pro Augustin. l. 3. c. 4 dub 6. & c. 7 dub. 7.

Quinta evasio est DEUM non intendere indurationem, dum indurat, sed obedientiam. Ita (g) *Augustinus. At inquis* (Juliane

(g) Augustin. cont. Julian. l. 5. c.

liane) *Apostolus. Bonitas DEI ad pœnitentiam te adducit, verum esse constat*: sed quem (inquit *Augustin.* respondens) prædestinavit, adducit: unde *Julianus* qui capite superiore contendebat *Deum per solum patientiam & tollerantiam indurare*, infert DEUM intendere & exspectare pœnitentiam & obedientiam indurati, ita ubique.

(*b*) Arminius Anti. Perkins. pag. 662. & leg.

(*b*) *Arminius* qui citat hunc eundem textum, ut probet DEUM, dum reprobos externo Euangelii præconio indurat, intendere eorum conversionem. *Rom. 2. An ignoras te DEI benignitate ad resipiscentiam deduci?* ita Jesuita.

(*l*) Vasquez ubi supra.

(*l*) *Vasquez* qui contra omnem rationem vult DEUM pœnaliter indurare & tamen non intendere pœnalem obdurationem, sed obedientiam. Sed quisnam, quæso, Judex formaliter ut Judex punit propter peccatum in actu peccandi qui non intendat pœnam sed præmium & obedientiæ bonum, etiam dum punit?

Jesuitæ & Arminiani *concordes cum* Pelagianis *sunt indurationem non intendi à Deo, sed obedientiam, non esse justum quia, non esse peccatum juxta ac peccati pœnam.*

Sexta evasio est indurationem non esse justam, si induratio sit pœna; sicut & undecima, nempe DEUM participem esse iniquitatis, si sit propriè causa obdurationis, habetur apud (*m*) *Augustinum. Sed nunquid errando, nunquid injustè quicquam vel temerè judicando* (dum peccatum punit peccato) *sive faciendo? absit: sed non frustra illi dictum est: judicia tua sicut abyssus multa.* Et (*n*) ib. *Sed homo intelligens & acutus justam dicis* (Juliane) *libidinem & laudis præconio prædicandam, si eum qui DEO non obedivit, non illi obediendo punivit. Si prudenter hic superes* (Juliane) *profectò esse iniquitatem videres, quâ pars inferior hominis repugnat superiori, atque meliori*: Attamen justè iniquum suæ carnis iniquitate punitum. Inde infert *Julianus* ibidem. *Libidinem ultricem peccati laudandam esse* quod absurdum. Hinc *Augustinus* contendit justum esse ut *Gentes* sese polluerint libidine Sodomitica & Masculinâ in pœnam Idololatriæ, ut est *Rom. 1. Tradit ergo DEUS in passiones ignominiæ*, ut fiant quæ non conveniunt, *sed ipse convenienter tradit, & fiunt eadem peccata, & peccatorum supplicia præteritorum & supplicionum merita futurorum* —— *facit hæc mirus modus qui novit justa judicia sua, non solum in corporibus hominum, sed & in ipsis cordibus operari. Julianus* contra infert, ergo libido illa Sodomitica est laudanda quia est justa peccati pœna quod longe absurdum est: DEUS ergo injustè facit, si punit peccatum peccato, & si indurat pœnaliter homines. At hoc est quod aiunt, *Vasquez*, *Meratius*, *Alphons. Curiel.*

(*m*) Augustinus cont. Julian. l. 5. c. 3.

(*n*) Auuu. ib. c. 4.

Curiel. Bellarmin. Jac. Arminius. Pœnalem indurationem esse non ens, & DEUM non indurare in pœnam peccati. *Quia pœna* (inquiunt) *bona est, & objectum justitiæ vindicativæ, & potest honestè amari à justo judice*, sed induratio cordis est peccatum & malum & non est objectum justitiæ vindicativæ nec potest honestè amari.

Septima est indurationem non esse simul peccatum & pœnam peccati, & hoc docent Jesuitæ & Arminiani ut supra audivimus. Et est (o) *Iuliani* mens apud *Augustinum*. *An non est* (inquit *Augustinus Iuliano*) *& peccatum & pœna peccati, ubi legitur, Dominus enim misçuit illis spiritum erroris, & seduxerunt Ægyptum in omnibus operibus suis, sicut seducitur ebrius? an non est peccatum & pœna peccati, quare errare nos fecisti à viâ tuâ, obtudisti corda nostra ut non timeremus te? non est peccatum & pœna peccati, ubi rursus Deo dicitur, ecce tu iratus es, & nos peccavimus?* &c.

(o) Augustin. contr. Julian. l. 5. c. 3.

Octava evasio est, nec bonum esse peccatum, nec bonum esse ut peccatum sit, ita (p) *Arminius*. *Dictum Augustini* (inquit) *rigidè examinatum consistere non potest — non enim bonum est ut sint mala* (*culpæ*) *omne enim bonum facit Deus. Ergo Deus facit ut sint mala.* Sic Enchiri. (q) *Augusti. Propterea namque magna opera Domini, exquisita in voluntates ejus omnes, ut miro & ineffabili modo non fiat præter ejus voluntatem, quod etiam contra ejus fit voluntatem, quia non fieret, si non sineret, neque utique nolens sinit, sed volens; nec sineret bonus fieri mala, nisi omnipotens, etiam de malo facere posset bene.* Et (r) *Augustin. Quæso, te lector, ad nervum attende: nos certe si eos, in quos nobis potestas est, ante oculos nostros scelera perpetrare permittamus, rei cum ipsis erimus, quam vero innumerabilis ille permittit fieri, ante oculos suos, quæ utique si noluisset, nullâ ratione permitteret.* Unde liquet *Iulianum* negasse absolutum DEI beneplacitum permittendi peccatum, & credidisse DEO invito & nolente evenisse peccata. Quod & docent *Iesuitæ* & *Arminiani*.

(p) Arminius Antiperkins. pag. 702.
(q) Augustinus Enchirid. pag. 100.
(r) Augustin. contr. Julian. l. 5. c. 3.

Evasio nona satis probata est evasione primâ & secundâ. Decima & duodecima (nam de undecimâ dictum est) evasio est DEUM non proprie indurare, nec DEUM per judicium indurare, nisi destrueretur *liberum* arbitrium, quæ evasio etiam 14. seu ultimam complectitur, est apud (s) *Augustinum*. *Quando ergo auditis dicentem*

(s) Augustin. de gra. & lib. arbitrio. c. 3

Indurationem si à DEI beneplacito & non à nostro libero Arbitrio dependeat, fatale esse damnat Jesuitas, Arminiani & Pelagiani.

dicentem Dominum, Ego Dominus seduxi Prophetam illum: & quod ait Paulus, Cujus vult miseretur, & quem vult obdurat, in eo quem seduci vel obdurari permittit, massa ejus merita credite, — nec ideo auferatis à Pharaone liberum arbitrium, quia multis locis dicit DEUS. Ego induravi Pharaonem, vel induravi, vel indurabo cor Pharaonis — & ingravavit Pharaoh cor suum, — ac per hoc & DEUS induravit per justum judicium, & Pharaoh per liberum arbitrium. Atqui nemo vel mediocriter versatus in patribus ignorat *Pelagianos* negasse libertatem voluntatis & necessitatem promanantem ex DEI decreto, & omnipotente DEI inclinatione voluntatis simul consistere posse. Sic apud (r) *Prosperum Augustino* adscribunt. *Quod ex prædestinatione DEI, velut fatali necessitate, homines ad peccata compulsi, cogantur in mortem.* Item. (u) *Quod per potentiam DEUS homines ad peccata compellat.* Sic *Did. Ruiz.* Jesuita. *Decretum prædeterminans ad actus materiales peccati erit fato Stoicorum deterius, si non per omnia simile.* Et *Remonstrantes* (y) *Arminiani. Nam si fatalis necessitas* (ex decreto DEI & prædeterminatione liberi arbitrii ad suos actus) *in rebus, actionibus & eventibus omnibus dominatur, Si fata regunt orbem ac certâ stant omnia lege actum est de religione totâ.* Ita Novator turbulentus (a) *Jacob. Arminius* artis contradicendi præ omnibus mortalibus peritior, & hoc in uno doctus qui ait, (b) *Melanthonem* sic. *Scribit ad me Lelius de Stoico fato usque adeo litem Genevæ moveri, ut quidam in carcerem conjectus sit, propterea quod à Zenone differret.* Sed de fato Christiano quod reipsa, licet non verbis. (c) *Augustinus* ex scripturis defendit, quem sequitur (d) *Tho. Bradwardinus.*

(r) Prosper Aquitanic. ad capitu. obj. Gallorum obj. 2. c. 2. (u) Prosper ib. c. 11. object. 11. (x) Did. Ruiz. tom. de provident. disp. 38. sect. 2. (y) Remonstr. Arminiani Apologia sua in præfatione (a) Jac. Arminius in declarat. pag. 115. edit. Bertia. (b) Melanthon. epistola. ad Casparum peucerum. (c) Augustin. de civita Dei l. 5. c. 9. (d) Bradwardinus de caus. Dei l. 1, c. 28.

Decima tertia evasio est indurationem nullam ne quidem comparativam hujus potius quam illius, *Esaui*, potius quam *Jacobi* ex absoluto *Dei* beneplacito fluere, sed ex libero arbitrio hominis, Nos culpabile indurationem ab homine peccatore, sed judicialem occultam, inscrutabilem & primam illam quæ decreti reprobationis sit executiva

ex

ex solo DEI liberrimo beneplacito manare docemus: Cujus contrarium docent *Pelagiani* Apud (*e*) *Augustinum. Sed quare illos, potius quam illos* (liberet DEUS) *iterum atque iterum dicimus, nec nos piget, O homo, tu quis es qui respondeas Deo? inscrutabilia sunt judicia ejus, &c.* Et (*f*) ibidem. *Cæteri autem non nisi in Massâ perditionis justo divino judicio relinquuntur, ubi Tyrii relicti sunt & Sidonii qui etiam credere potuerant, si mira illa CHRISTI signa vidissent. Sed quoniam ut crederent non erat iis datum, etiam unde crederent, est negatum — & tamen si altiore judicio DEI à perditionis massâ non sunt gratiæ prædestinatione separati, nec ipsa iis adhibentur vel dicta divina vel facta, per quæ possent credere, si audirent utique talia vel viderent.* Et alibi. (*g*). *Quid est omnis qui audivit à Patre & didicit, venit ad me: nisi nullus est qui audiat & discat à Patre, & non veniat ad me? Si enim omnis qui audivit à Patre & didicit, venit, profectò omnis qui non venit, non audivit à Patre nec didicit, nam si audisset & didicisset, veniret.* (*h*) Ib. *Cur autem non omnes doceat, aperuit Apostolus quantum aperiendum: quia volens ostendere iram,* &c. In isto opere convellit *Augustinus* merita præcedentia conversionem quas *Pelagiani* causas faciebant, cur DEUS hujus misereretur, istum induraret.

(*e*) Augustin. de dono perseverantiæ lib. 2. c. 12.
(*f*) Ib. c. 14. l. 2.
(*g*) de prædestin. sanct. l. 1. c. 8.
(*h*) Ib.

Hanc *Augustini* sententiam (*i*) Jesuita celebris *Pererius* approbat, Qui vult DEUM indurare. 1. Negando gratiam efficacem. 2. Per prosperos rerum successus. 3. Non castigando eos. 4. Privando eos precibus Sanctorum, prædicatione sanâ verbi. 5. Missione Pseudoprophetarum. 6. Dando ampliorem potestatem Diabolo.

(*i*) *Pererius* in Exo. c. 11. disp. 8. num. 60.

(*h*) *Toletus* ait jejunè admodum *Deum* indurare. 1. *Non impediendo indurationem.* 2. *Judicialiter objiciendo occasiones, quibus illi sese obdurant, licet DEUS eorum indurationem minimè intendat.* Ita etiam (*l*) Jesuita *Becanus.* Ita (*m*) *Molina.* (*n*) *Fonseca,* (*o*) *Bellarminus,* (*p*) *Vasquez* & alii Jesuitæ docent DEUM indurare, quia *non dat gratiam congruam, quæ est alia occultior desertionis species, quamvis non neget auxilium quo absolutè posset quis petere gratiam; DEUM* tamen non intendere indurationem. Sic volunt *Sophistæ* DEUM punire,

(*k*) Tolet. in Joa. cō. c. 12. an. 22
(*l*) Becanus par. 2. trac. 2. c. 6. q. 6.
(*m*) Molin. de conc. q. 14. ar. 13. disp. 10.
(*n*) Fonsec. Metap. l. 6. c. 2. q. 5. §. 14.
(*o*) Bell. de amiss. grat. l. 2. c. 14.
(*p*) Vasquez in 1. part. tom. 1. disp. 95. c. 10. Vasque. ib.

non intendentem opus justitiæ punitivæ. Et *Vasquez* ibidem ait *Augustinum* velle DEUM tradere in reprobam mentem, *non solum deserendo, sed etiam voluntatem inclinando*, Quia DEUS multa facit quibus novit Reprobos suâ malitia pejores fore.

(q) Aquin. 1 2. q. 79. art. 2, Vasqu. ib. *Modi indurandi quos assignant Jesuitæ, Arminiani, Pseudolutherani, sunt contra veritatem & Sanctorum preces.*

(*q*) *Aquinas* ait indurationem duo importare. 1. *Primum est motus animi humani inhærentis malo, & aversi à Divino lumine, & quantum ad hoc,* DEUS *non est causa excæcationis.* 2. *Aliud est substractio gratiæ, ex quâ sequitur, quod mens non illuminetur, cor non emolliatur.* *Vasquez* ait nos docere obdurationem ut est peccatum, esse *à* DEO *ut à propriâ causâ per se, sicut* DEUS *causa gratiæ & bonorum operum est.* Sed mentitur impius Jesuita. Quia illi volunt DEUM non esse causam obdurationis, ut est pœna, Contra Scripturas. 2. Contra Justitiam DEI. 3. Contra naturam providentiæ. 4. Contra *Augustinum* qui argumentis, quibus tota *Jesuitarum* Natio nunquam satisfaciet, id validè demonstrat. Sed quia volunt *Jesuitæ* DEUM tradere homines reprobæ menti per patientiam & beneficiorum collationem, ita mater filium nimiâ indulgentiâ indurat; Audiamus quid objiciat (*r*) *Smising Lovaniensis.* *Sequitur* (inquit) *quod dum à* DEO *petimus, ne nos tradat desideriis malis juxta illud Ne nos inducas in tentationem, ut ne declines cor meum in verba malitiæ — nos petere, ne sit patiens erga nos bonitas ejus, seu ne nos exspectet ad pœnitentiam, quod absurdum.* Et certè hoc argumentum militat contra omnes modos indurationis à *Jesuitis & Arminianis* assignatos, si solam substractionem gratiæ efficacis excipiamus. Sic (*s*) *Balthasar Meisnerus*, ait DEUM indurare. 1. *Negativè*, non emolliendo. 2. *Privativè*, mollitiem gratiæ auferendo, & sic *ne indures nos, Domine*, juxta illius doctrinam & Jesuitico-Arminianam hic sonat, *Oro, Domine, ne gratiam emollientem à me auferas, quâ tamen gratiâ me juvante, fieri potest, ut vel emolliar, vel indurer, prout placuerit libero meo arbitrio.* At omnis ratio contra intentum & pium desiderium orantis est illicita, neque ex fide. Sed talis est hæc oratio. 3. Ait *Meisnerus*, DEUM παραχωρητικῶς seu *permissivè* indurare; Uti heri indulgentia servum indurat. Unde hoc modo *Ne nos, Domine, indures* habet hunc sensum. *Ne, Domine, sis erga nos misericors, patiens, benignus, ne me beneficiis & misericordiâ*

(r) Theo. Smising. tom. 1. de Deo trac. 3. disp. 3. q. 3. n. 97.

(s) Meisnerus.

cordiâ prosequarè. Quin oro ne sis erga me justus, impatiens, oro me afflictus, ne forte induser. At neque est hæc oratio licita. 4. Ait *Meisnerus* DEUM *vivandi vel objectivè obdurare. Quando offert verbum, prodigia ostendit, & sic ad pœnitentiam vocat.* At sic sensus hujus (*Ne nos, Domine, induras*) erit planè impius, id est, *Domine, fac privos Evangelii præconio, miraculis, nec nos ad pœnitentiam per Legem & Evangelii prædicationem voces & invites.* Rectè doctissimus & clarissimus Vir *D. Andr. Rivet. comment in Exod. c. 7. v. 3, 4. Si pater sciens & volens sinat ut filius abutatur ipsius indulgentiâ, non fugiet accusationem malitiæ, ut ea faceret ex quibus noverat sequuturum perditionem (filii.) Si dicant parentem quidem id non cogitasse, sed meliora de filio speravisse; tum excusant quidem eum à malitiâ, ab imprudentiâ & ignorantiâ non item. Ergo hic modus Deo applicari non potest, &c.*

5. Ait *Meisnerus* DEUM indurare μετωνυμικῶς & *declarativè*. Et sensus est nullus & intento orantis ex fiduciâ in DEO repugnans, nempe, (*O DEVS, oro ne declares aut ostendas me esse induratum.*) Quin pius non tam deprecatur declarationem indurationis, quam ipsam indurationem. 7. Ait DEUM indurare διαλαμβικῶς vel *directivè*, quia ad gloriam suam declarandam dirigit obdurationem; at hoc impiè & absurdissimè dictum. Nam hic sensus hujus (*Ne nos inducas in tentationem, ut nos indures*) est, *Oramus, Domine, ne velis declarare gloriam justitiæ vindicativæ in punitione finalis meæ obdurationis, ex hypothesi quod sim finaliter obduratus, & oro ne usquam velis gratiosè in CHRISTO condonare mihi quod tentationibus consensum præbuerim, & memet obduraverim.* Unde sequitur *Jesuitas* & *Arminianos* planè ignorare quid sit induratio DEI.

Ex hisce facile videmus quid sentiendum sit de doctrinâ *Arminianâ* in hoc articulo. Sic (t) enim *Remonstrantes* ad *Synodum Dordracenam, Obduratio DEI, ut plurimum, nihil aliud* (inquiunt) *significat quam actum DEI circa hominem, quo homo abutitur ad sese indurandum, aut à DEO, objici occasionem, quæ bona est, & quâ rectè uti homo poterat, sed quâ perversè ad illam impingendo abutitur.* (u) *Corvinus* sectarius *Arminii* ait DEUM duobus modis homines indurare. 1. *Abusu mediorum, quæ DEVS adhibet ad eorum corda emolliendo.* 2. *Relinquendo eos sibiipsis, nec eos retrahendo à peccato.* Sed hoc posterius est ignotum per ignotius explicare; quia remanet quæstio adhuc. Quomodo fiat retractio à peccato, an nudâ permissione

(t) Remonstrantes Arminiani in scrip. synod. art. 1. 147.

(u) Corvinus contra Molinæ. c. 3. sect. 12.

missione? At hoc est τὸ κρινόμενον, & in quæstione. An actuosâ & judiciali DEI actione, cui obniti non est penes obduratum? (x) *Jac. Arminius* definit permissionem, *privationem gratiæ habitualis*. Sed semper præsto est omnibus obduratis ordinariè auxilium sufficiens gratiæ, quo possunt (uti docent *Adversarii*) ii, quos DEUS obdurat, pro suâ indifferente libertate, vel indurari, vel non indurari.

(x) Arminius disp. pub. 10. thes. 13.

Sit itaque pro sententiâ Orthodoxâ. 1. Assertio. Sicut excæcatio ad intellectum, ita obduratio ad cor & affectus refertur, Metaphorâ ductâ à corporibus duris quæ actui & impulsui non cedunt, uti mollia, qualia sunt lana, caro, lutum humidum, unde *Pharaonem* esse induratum est *Pharaonis* mentem, cor & affectus esse tales qui nec ratiocinii, suasioni, minis, flagellis moveri aut cedere velint. Verbum קָשָׁה Kashah, quod durum est ut tractari nequeat in hiphil. בְּיַקְשֵׁהּ *Cum durum præbuisset sese Pharaoh*, Exod. 13. 15. *induravit jugum nostrum*, 1 Reg. 12. 4. Applicatur cervici, *Exod.* 32. 9. Vultui, *Ezech.* 2. 4. Animo, 1 *Sam.* 1. 15. כָּבֵד aggravari, grave esse, *Genes.* 48. 10. *Oculi Israelis graves erant præ senio. Gravis ore, & gravis linguâ sum*, Exod. 4. 10. Quod est densum & non pervium grave dicitur. Ideo dicitur כָּבֵד jecur, quod (y) *Galenus* omnium viscerum densissimum vocat, & כָּבֵד amplificari, honorari significat, quasi onustum esse gloria; unde notatur cor grave, esse cor ad actiones intelligendi, volendi, nolendi impotens & impar. Tertium verbum est חָזַק prævaluit, roboravit, fortis fuit, *Jer.* 20. 7. Fortior fuisti me. In pihel obduravit, obfirmavit, *Exod.* 14. 13. *Obfirmo cor Pharaonis*. Cor obduratum sic est cor ad DEO ejusque Verbo resistendum validum. Quartum verbum est שָׁמַן saginari, pinguem esse. *Deut.* 32. 15. *Saginatus est* לֵב הַשְׁמֵן Esa 6. 10. *Fac ut pingueſcat cor populi hujus. Math.* 13. 15. *Et incrassatum est cor populi hujus.* Inde in Græcis *occlusi oculi*, Math. 13. 15. ἐκάμμυσαν τοὺς ὀφθαλμούς. Et Math 13. 16. *Cæcus ἄκουσον*. Act 7. 51. *aures incircumcisæ*. Quasi operculo & pondere opposito aures occluderentur. *Scapulæ obversæ*. Zach 7. v. 11 Et σὺν ἰδίοις κεκαυτηριασμένων *Conscientia cauterio exusta*. Et Rom. 11. 8. πνεῦμα κατανύξεως. Notatur dolor quo afficitur is qui à Chirurgis lancinatur. Ut hâc Metaphorâ notetur dolor ἀναίσθησιας in conscientiâ quæ omnem vim

(y) Galen. de usu partium l. 6. c. 17.

sentiendi

sentiendi & rectè decernendi amisit. Quibus est cor obesum iis est ingenium stolidum & hebetudine laborans & ἀπαλγησία. Hæc omnia notant obduratos ita esse viribus, robore & prævalentiâ duritiei obfirmatos, ut non possint DEO jubenti auscultare.

Assertio 2. Induratio vel consideratur activè, ut est à DEO, vel passivè ut in hominibus recipitur. Induratio ut in nobis recipitur, sumitur, & *activè*, ut est à nobis, & *passivè*, ut est in nobis; *passivè*, ut est in nobis, est (inquit (z) *Richardus*) *passio insequens culpam*; ut ait (a) *Paulus Ferrius*, *Inhabilitas ad gratiæ receptionem per modum resipiscentiæ. Cum enim gratia* (ut ait (b) *Abulensis*) *sit animæ mollificativa*, hâc deficiente redditur dura. Unde duritiei animæ duplex, alia moralis, quâ nollet cedere morali DEI suasioni, alia realis, seu quasi physica, estque potentiarum & inclinationum animæ ab objecto malo difficulter mobilis, & ad objectum bonum difficulter inclinabilis. Rursus hæc induratio in nobis vel à nobis activè fluens est duplex, vel *naturalis*, vel *acquisita*. *Naturalis* est pars indispositionis ingenitæ cordi pravo quâ ægrè flectitur ad bonum. *Ezech.* 36. 26. *Acquisita* est quæ exercitio malorum actuum acquiritur. Hæc utraque vel est *negativa* vel *privativa*. *Negativa* est non emollitum cor quatenus est à DEO non curante & ad curandum non obligato. *Privativa* est cor culpabiliter non emollitum. Cajetanus comment. in Josuam c. 11. v. 20. *Concurrunt siquidem ad effectum istum duo: alterum negativum*, viz. *Negatio divinæ gratiæ inclinantis cor ad ea quæ DEI sunt, alterum positivum*, viz. *Pronitas firmitasque animi ad obviandum Israelitis tanquam hostibus, & illud à Deo negativè est, hoc positivè. Omnis enim actio cum omnipositivâ conditione ejus in quocunque peccatore etiam in dæmonibus est à Deo effectivè.*

(z) Richa. distinct. 1. 40. q. 2.
(a) Pau. Ferrius in specimine Theolog. Sholast. c. 29.
(b) Abulensis in Exo. tô 1. n. 46.

Quo passo DEUS non indurat, & quomodo indurat.

Assertio 3. Ex sententiâ nostrâ certum est DEUM Nec excœcare vel indurare, malitiam & duritiem infundendo: Nec 2. propensionem pravam actuando, quasi emollito corde faceret durum: Nec 3 suasu aut mandato. Nec 4. vi coactivâ: Nec 5. approbatione aut desiderio voluntatis signi: Nec 6. intentione effectivâ, sed permissivâ: Nec 7. impulsione physicâ in duritiem, quâ culpa est, terminatâ: Nec 8. ciendo aut movendo hominem obduratum quasi instrumentum propriè dictum, formale & subordinatum DEO, uti devier, & erret: Nec 9. actione negativâ, otiosâ, fortuitâ aut præter intentionem & decretum DEI exercitâ: Nec 10. negatione

ne congruæ motionis, ut fabulantur *Jesuitæ*: Nec 11, actione illâ providentiæ occultæ, tali quæ sit homini aut Diabolo communicabilis: Nec 12. tali DEI actione occultæ providentiæ quæ sit superabilis à libero arbitrio, aut cujus eventus absolutè dependet à libero arbitrio, ut existat vel non existat: Sed 13. actione occultæ providentiæ sanctâ, judiciali, positivâ, libertatis arbitrii tamen minimè destructivâ. forti, creaturæ obduratæ insuperabili, & indeclinabili, & actuosæ DEI providentiæ propriâ. Videat lector Doctissimum *Rivetum* in *Exod.* 7. 3, 4.

DEI'S non sola mediorum indulsione indurat.

Assertio 4. Non indurat DEUS solâ indulgentiâ, patientiâ, & prædicatione Euangelii & talibus occasionibus utilibus subministratis, quibus homo ad sese indurandum abutitur. 1. Quia sic qui oraret ex fide ne induceretur in tentationem, sed ab induratione liberaretur, oraret ut DEUS patientiam & misericordiam prædicati Euangelii & omnium bonarum occasionum subtraheret, quod nefas esset oratu. 2. Quia DEUS aliquo actu in reprobum *Pharaonem* terminato ipsum indurat, qui actus in *Israelitas* & suos sanctos non terminatur, atquì actus lenitatis, patientiæ, prædicati Euangelii, & bonarum occasionum quibus impii abuuntur, ex æquo DEUS exercèt in *Pharaonem* et sanctos suos. Ergo 3. Aliâ actione DEUS homines indurat quam quâ homo alium hominem indurat: Atquì prædicatione Euangelii, pii consilii, & bonæ occasionis subministratione homo hominem indurat. Ergo, *&c.* Ratio Majoris. Quia induratio DEI activa est actus eminentissimus, judicialis, creaturæ incommunicabilis, & sulius DEI proprius est, nulla enim creatura solium DEI providentiæ conscendere potest.

DEUS non negativè tantum indurat.

Assertio 5. Non obdurat DEUS homines desertione negativâ, uti somniavit (*c*) *Julianus*, *deserendo*, *non inclinando*, nec etiam, ut cum *Juliano* sentiunt, *Arminiani*, *Jesuitæ*, *Pseudolutherani*, negatione auxilii gratiæ tali quæ tamen semper præsto relinquit homini auxilium gratiæ sufficientis quâ possunt homines indurari, vel non indurari, prout indifferenti libero arbitrio visum est. Quia fingunt hominem non peccare sese indurando, si ex carentiâ gratiæ ei non à DEO subministratæ peccet, quia peccatum physicè inevitabile non est peccatum, uti illi autumant. Unde sequitur 1. Indurationem, quam DEUS (*d*) in Scripturis comminatur ut pœnam gravissimam, posse à creaturâ declinari, quia liberum est obdurato obdurari

(*c*) Aug. contr. Julian. l. 5. c. 4.

(*d*) Esa. 6. 9, 10. Mat. 13. 14, 15. Ps. 69. 23. Exo. 14. 17.

rari vel non obdurari, sicut liberum est creaturæ peccare, vel non peccare, At (e) Scripturæ docent peccatores, quibus Deus pœnam comminatus est, nullâ vi, nullâ arte posse irati numinis ultrices manus effugere. 2. Frustra in Deum timorê, spê, fiduciâ, gratitudine & submissione nos recumbere par est, ut obdurationem hanc, pœnam longè dirissimam, avertat, sed si Deus ita induret, ut liberum sit hominem cui Deus comminatur indurationem, indurari actu secundo vel non indurari, eo quod semper peccare, vel ex præsentiâ gratiæ sufficientis quæ nunquam, sub ullâ subtractione deest, non peccare liberum sit, tum frustra Deus timetur, frustra precibus solicitatur, frustra in eum creditur, ut avertat indurationem pœnalem, quia Deus non est causa efficax, & infallibilizans indurationis, nam semper penes est liberum arbitrium tanquam causam dominam, efficacem & solam infallibilizantem (da veniam vocabulo) ut homo obduretur, vel non; semper autem fide, spe & timore recumbendum potius in causam pœnæ efficacem & dominam quâ avertatur pœna, quam in causam inefficacem & minus sufficientem. 3. Nullus hic est peculiaris providentiæ actus terminatus in homines obduratos, quia ex hac pœnali Dei actione quâ homines Deus indurat in pœnam præteritorum peccatorum, non magis sequitur pœnalis indurato, quam hominis emollitio. Quia Deus in indurat ione vel negat gratiam eo animo, ut is cui comminatur indurationem, pœnaliter obduretur, vel misericorditer emolliatur. Non dicent prius quia Deus pœnalem indurationem intendere non potest. Nam talis induratio est peccatum, at Deus peccatum non intendit, ut illi docent. At Posterius pugnat cum communi sensu, quod Deus eo animo obduret, id est, eo animo subtrahat gratiam, ut is cui subtrahitur misericorditer emolliatur. Sic Deus punit & pœnam non intendit, sed bonum ejus, quem ut iratus Judex, sed intendit emollitionem, comminatur pœnam quam infligere non intendit. At comminationes Dei mendaces & dolosæ sunt hoc pacto; quod alterum.

(e) 1 Sam. 3. 14. Amos 9. 2, 3, 4. Deute. 32. 39.

Assertio 6. Actus excæcandi & indurandi sunt activi, *non notant quietem & cessationem Dei circa peccatum*, ut ait falsissimè (f) *Corvinus*, sed actionem Dei judicialem, sive autem is actus sit judicialis Dei impulsus, sive actus infligendi pœnalitatem in culpabiliter obduratum, sive nuda Dei volitio quâ vult ut obduratio sit obdurato

(f) Arnol. Corv. con. Molin. c. 3. sect. 13.

(g) Pareus comment. in Rom. c. 1. dub. 19.
(h) Cajet. in Deut. 2. v. 30.
(i) Cajet. in Josh. c. 11. v. 20.
Esa. 41. 12. *Ego Dominus DEVS* מַחֲזִיק *roborans manum tuam. Deus autem Omnipotenter roborat.*
Jer. 20. 7. *Seduxisti me Domine, & seductus sum,* חָזַקְתַּנִי *et fortior fuisti me & prævaluisti, credidit Jeremias Deum non aliter se viribus superare quam omnipotentia sola*
Esai. 42. 6. *Ego Dominus vocavi te in justitia et apprehendam te. Roborabo manum tuam Inde* חָזָק *Robustus,*

durato malum pœnæ materialiter, ut sit in primâ obduratione quæ manat à puro DEI beneplacito, vel quâ vult ut obduratio sit malum pœnæ formaliter, quæ manat à justitiâ vindicativâ, perinde est. Probatur Assertio 1. Quia recte (g) *D. Parens. Non solida est regula, verba activa apud Hebræos plerumq; permissionem significare, imò verba secundæ & tertiæ conjugationis, quibus Scriptura in talibus exemplis utitur, suâ naturâ actionem fortius intendunt.* Imo reciprocatio actionis illis actionibus significatur, *Exo.* מְחֹזֵק אֶת־לֵב *Obfirmo cor Pharaonis,* 2 Paral. 34. 10. *Tradebant opificibus ad obfirmandam domum.* Radix חָזַק prævaluit, fortis fuit, vires agentis intensas significat, 2 Sam. 4. 9. *Confirmate vos, & estote viri.* Et quando ascribitur DEO, est verbum Omnipotentiæ, Psal. 148. 13. *Roboravit vectes portarum tuarum.* Ita *Loca* in margi. & cum talibus verbis reciprocationem & intensionem actionis significantibus utatur Scriptura, Mirum est Sophistas ad otiosam permissionem confugere, Deut. 2. 30. *Noluit Sihon ut transiremus per agrum suum, quia obduravit* ✝ *EHOVAH DEUS tuus spiritum ejus, & obfirmavit animum ejus, ut traderet illum in manum tuam, sicut est hoc tempore.* Legant & considerent nihil dici à *Calvino* aut nostris hic quod non dictum sit à *Magno Cardinale* (h) *Cajetano* in hunc textum. *Obfirmaverat cor ejus. Utramque* (inquit) *hominis partem (spiritum & cor, hoc est, superiorem & inferiorem) malè dispositam à DEO intellige, negativè penes dona gratuita: positive autem quoad judicium, inclinationem & prosequutionem boni sensibilis: ita quod DEUS spiritum Regis durum (hoc est, non cedentem petitionibus) reddidit, & non dando ei gratiam acquiescendi, & cooperandi eidem ad affectum securitatis & proprii boni, & similiter roboravit cor ad affectum boni victoriæ, & hujusmodi.* Quod in *Calvino* non licet, id in *Cajetano* licet. Et Josuæ c. 11. v. 20. *A* ✝ *EHOVA enim, quod obfirmarent cor suum, ut in bello Israeli occurrerent, ut internecioni devoveret illas; nec fieret illis gratia, quemadmodum præceperat* ✝ *EHOVA Moshi.* Manifesta (inquit etiam i) *Cajetanus*) *Patet ratio belli justi ex parte Israelis contra eos: & propterea redditur deinde ratio ex parte DEI Roborantis cor eorum ad bellum contra Israel.* — *Concurrunt quidem ad effectum istum duo: alterum*

validus, Esa. 40. 10. *Ecce Dominus Deus tuus* בְּחָזָק *in fortitudine veniet.* ne-

negativum, videlicet negatio divinæ gratiæ inclinantis cor ad ea, quæ Dei sunt: alterum positivum, videlicet, pronitas, firmitasque animi ad obviandum Israelitis tanquam hostibus: & illud quidem à DEO fuit negativè: hoc autem fuit à DEO positivè: omnis enim actio cum omni positivâ conditione ejus, in quocunque peccatore, etiam in dæmonibus, est à DEO effectivè. Hæc *Cajetanus*, sed diluant Jesuitæ. *Exod.* 10. 1. *Nam ego aggravavi cor ejus & cor servorum ejus, ut edam signa mea hæc in medio Ægypti.* Exod. 4. 21. An non *Becanus* Jesuita minus solidus Deum *Cajetanianum* æquè ac *Calvinisticum Deum* (ut blasphemè loquitur) authorem peccati statuat, ipse videat. Exo. 4. 21. *Ego verò indurabo cor ejus.* Quæ induratio (inquit (*k*) *Joan. Ferus* Moguntius) *est à DEO ut pœna, non autem ut culpa.* Et *Exod.* 14. 4. *Et obfirmo cor Pharaonis ut persequatur eos quo glorificer in Pharaone & omnibus copiis ejus, ut experiantur Ægyptii me Jehovam esse,* Joh. 12. 39. *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Esaias,* 40. *Excæcavit oculos eorum, & obduravit corda eorum, ne videant oculis & corde intelligant, & se convertant & sanem eos.* Rom. 9. 18. *Miseretur quorum vult: & quos vult, indurat.* 2 Thes. 2. 11. *Ideo mittet iis DEVS efficaciam erroris, ut credant mendacio.* Rom. 1. 26. *Propterea tradidit eos DEVS fœdis affectibus.* 28. *Tradidit eos DEVS in reprobam mentem.* Rom 11. 8. *Tradidit iis DEVS spiritum soporis.* Hinc notandæ connexiones Spiritus Sancti. 1. In quibus *Deus* gloriam declarari vult justitiæ & potentiæ in plagis immittendis, eorum corda obdurare intendit. At *Deus* in *Pharaone* & *Ægyptiis* gloriam justitiæ & sapientiæ & potentiæ declarari vult. Ergo. Argumentatio est fallax & sophistica à causâ per accidens, stante induratione Arminianâ, nam Deus non obdurat cor *Pharaonis* ut gloria justitiæ patefiat in plagis immittendis, in exsiccando rubro marî, sed obdurat Deus *Pharaonem* eo fine ut *Pharaoh* obediat, & ut Deus nulla prodigia, nullamve justitiæ gloriam ostendat. 2. Consequentia hæc est Spiritus Dei. *DEVS obfirmavit animum Sihonis. Ergo Sihon negavit amicum transitum DEI Populo.* Si obduratio Dei activa non necessariò infert culpabilem duritiem à Deo intentam, ut sic ex negato transitu populo fieret justum bellum & justissima strages & deletio *Sihonis*, Hæc consequentia sophistica est ex causâ per accidens, & planè sophistica; Quia posito antecedente, consequens non sequitur. Sed satius est facere

(*k*) Ferus commē. in Exo. 4. 21.

Jesuitas & Arminianos Sophistas quam *Mosben.* Imo non est major connexio juxta Sophistas inter DEI obdurationem activam & negationem amici transitus Populo DEI, quam est inter indurationem activam & non negationem, quin potius amicam concessionem transitus: DEUS enim intendit ut *Sihon* amicum transitum concedat Populo DEI in istâ obduratione: non enim, si illis adhærendum, potest intendere peccatum. 2. Nullæ gratiæ DEO agendæ sunt, eo quod *Chananei* cor obdurarent, ut sic terra ipsorum justo DEI judicio cederet *Israelitis* in possessionem hereditariam, quin potius arcui & robori bellico litandum foret, quia recusatio transitus, cum sit grave peccatum, adeoque justissimè commerita strages *Sihonis*, est à DEO per accidens, & (si ita visum fuisset *Chananæis*) penes liberum eorum arbitrium, quorum tam fuit non obdurari, quam obdurari. At hoc cum scopo *Mosis* pugnat qui populum hortatur ad gratitudinem erga DEUM qui induravit *Sihonis* animum ut justissimè sic occisi Tyranni terra cederet in possessionem *Israelitis* juxta pactum *Dei* gratiosum cum *Abrahamo* initum. 3. Quis timor DEO, quæ deberetur ei orandi fiducia, quæ spes avertendi culpabilem indurationem, si pœnalis induratio fieret à DEO per accidens? Si enim DEO non agente, & permittente, id est, planè nolente & invito fieret induratio pœnalis, tum DEUS diceret jure optimo, *Non est quod me timeatis, aut me oretis, ut obdurationem pœnalem à vobis averterem, nam quod sit in rerum naturâ talis induratio vobis pœnalis, tam est alienum à meâ voluntate, quam ut meipsum abnegarem.* Neque est quod dicant indurationem merè permissivam esse pœnam & à DEO ut à causâ per se. At culpabilem indurationem quæ est in peccatore, nullo modo esse à DEO nisi permissivè, hoc (inquam) dicere non possunt. Quippe induratio DEI activa, quando non sequitur in homine obdurato culpabilis induratio non est pœna, sed *materia virtutis & laudis.* 2. Quia nusquam in Scripturis DEUS comminatur indurationem illam activam & nude permissivam, sed semper indurationem culpabilem. Rationes asserti has affero. 1. Ex sacrâ Scripturâ, *Exod.* 14 4. *Et ego obfirmo cor Pharaonis, ut persequatur eos,* ecce comminatur indurationem illam quæ caulatur persequutionem injustissimam Populi DEI. 2. Comminatur illic indurationem pœnalem quæ medium sit formaliter ostensivum gloriæ justitiæ & potentiæ in submergendis

Indurationis permissivæ & otiosæ in Deo, quam comminati sunt, adversarii subjectum nullius comminationis est, neque est in Scripturâ.

mergendis *Pharaone* & *Ægyptiis*, ut patet in iisdem verbis. *Quo glorificer in Pharaone, & omnibus copiis ejus* (mari rubro submersis in justam pœnam persecutionis) *& experiantur Ægyptii me Jehovam esse.* Atqui induratio DEI permissiva sejuncta ab indurationc culpabili, non est medium omninò destinatum ad declarandam gloriam justitiæ & potentiæ in puniendo *Pharaone*, Nam induratio culpabilis tantum punitur. Et induratio DEI permissiva est medium, juxta adversarios, ex se destinatum ad obedientiam hominis, ut sic lateat gloria justitiæ vindicativæ, & non ut patefiat talis gloria. Sic *Joan.* 12. 39. *Obduravit corda ne videant,* —— *& se convertant & sanem eos,* ecce comminatur obdurationem culpabilem quæ non conversionem culpabilem producit. 3. Obduratio quam Scriptura comminatur est pœna longè gravissima eorum qui in æternum pereunt, & non convertuntur, non servantur, *Mat.* 13. 15. *Esai.* 6. 9, 10. qui ad lapidem CHRISTUM impingunt & confringuntur in pulverem, *Mat.* 19. 44. *Esai.* 8. 14. 1 *Pet.* 2. 7, 8. *Luc.* 2. 34. Atqui induratio DEI activa sejuncta ab indurationc culpabili non est pœna longè diriissima. Sed redeo ad assertionem confirmandam. 3. Non est quod obdurati patientiâ religiosâ DEI voluntati se submittant, quia culpabiliter obdurantur DEO planè nolente, & nudè permittente. 4. Si actus judicialis indurandi sit à DEO per accidens, erit ab aliâ causâ per se; nam omnis causa per accidens reducitur ad aliquam causam per se, & omne justum per accidens ad aliquod justum per se, uti nos sana *Logica* docet. At vero justum est ut *Pharaoh* culpabiliter obduretur propter antecedentia scelera & DEI contemptum, quippe qui dixit, *Quis est JEHOVAH ut ego voci ejus obedirem, & dimitterem Israelem?* Exod. 5. 2. Ergo hic justus effectus est à primo justo per se, nec hic actus exerceri potest ab ipso *Pharaone* in seipsum: *Pharaoh* enim contra omne jus & fas fecit, sese obdurando. Ergo hoc opus justitiæ à nullâ aliâ causâ per se oriri potest, quam à solo DEO. 5. Actus indurandi, si sit actus puniendi, necessariò aliquid pœnalitatis ponit in obdurato, atqui induratio DEI activa, quæ sit nuda suspensio actionis nihil mali ponit in obdurato, sed relinquit hominem instructum sufficiente gratia quâ potest culpabiliter indurari, vel pro suo arbitrio non indurari. Unde relinquitur justam pœnalitatem quæ fuit in illâ culpabili *Pharaonis* induratione quæ sola intrinseca est materia divinæ & irati numinis ultionis à solâ fortunâ aut casu ortum ducere.

Arminius Antiperkins. edit. Bertii pag. 729.

Tandem obloquitur infœlix Spiritus *Jacobi Arminii*. *Distinguimus* (inquit) *tria hic, excæcationem activam à DEO, excæcationem activam in homine, & apotelesma seu opus & effectum, qui existit in homine excæcato quæ excæcatio passiva dicitur, concurrunt hæ actiones, at non coincidunt, neq; est una numero actio constans ex efficientiâ istarum causarum concurrentium, quæ simul junctæ unam causam totalem efficiunt istius actus quæ excæcatio passiva dicitur: quamvis de excæcatione confusè & complexim sumpta, aiunt eruditi, quod excæcatio sit peccatum, pœna peccati & causa peccati: at nego DEUM esse causam illius excæcationis, quæ est & peccatum & malum culpæ.*

Eadem excæcatio est quæ est & à DEO & peccatore contra quod statuit Arminius.

Respondeo. Id unicè curat *Arminius*, ut DEUM liberet ab omni causalitate in infligendâ obduratione quæ est & culpabilis & pœnalis, ut sic DEUS in hâc pœnâ infligenda sit nudus & otiosus permissor nihil agens, sed hominem suæ absolutæ indifferentiæ relinquens, ita ut puniatur vel non puniatur hâc pœnali obdurarione peccator, prout cardo lubrici arbitrii sese vertit, nihil autem indignius supremo Judici affingi potest quam ut pœnam ut evasionem à pœnâ rei liberæ & versatili voluntati committat. 2. Nos lubenter & obviis ulnis amplectimur quod ait *Arminius*, excœcationem *activam quæ est a DEO & activam quæ est in homine* differre. Nam principio, materiâ, formâ, modo & fine differunt, ut actio culpabilis, injusta, iniqua, & actio justa, pia, æqua & sancta; si sermo sit de formali & morali differentiâ: Si vero sit sermo de *coincidentiâ* physicâ & reali, falsum est *excæcationem passivam hominis, quæ pœnalis est, non constare ex efficientiâ istarum causarum simul concurrentium.* Nam eadem realiter excœcatio hominis quæ ex hisce duabus actionibus, nempe, ex activâ DEI justè punientis excœcatione activâ, & activâ hominis injustè à DEI Lege deviantis excœcatione est conflata, ita tamen ut cœcitas quâ peccatum sit ab homine solo, minimè à DEO, & eadem cœcitas quatenus est pœnale quid justè inflictum propter malæ anteactæ vitæ flagitia à solo DEO, non ab homine. Quoniam culpabilitas (ut sic loquar) est ab eo solo qui legi subest, nempe ab homine, & pœnalitas in excœcatione (est enim malum pœnæ longè gravissimum & peccatori nocentissimum) à solo DEO. Est enim quid justum. Ergo à primo justo & supremo Judice profectum: non enim injustus peccator hic involat in Thronum Supremi Judicis exercendo hunc actum

actum Justitiæ in seipsum. 2. DEUS excœcationem hanc eandem quæ simul culpabilis & pœnalis est ut pœnam gravissimam comminatur. *Esai.* 6. 9. *Psal.* 69. 23. *Rom.* 11. 8. Ergo infligit quod comminatur. 3. Quoties Scriptura dicit DEUM indurare *Pharaonem* ut non dimitteret Populum DEI, toties significat *Pharaonem* indurare sese, & DEUM eandem actionem realiter exercere quam exercet *Pharaoh*, sed DEUM judicialiter, *Pharaoh* culpabiliter. DEUM justè, *Pharaonem* iniquissimè. Res plana est in ablatione boum *Jobi*; eadem enim ablatio boum facta est à DEO & *Chaldæis*, iidem numero boves non alii ablati sunt à DEO, & à *Chaldæis*; at non est eadem ablatio moraliter, nec est ab iisdem causis moralibus; Nam ablatio ex parte DEI, cui jus est in *Iobi* bona & fortunas, & *cujus est terra & plenitudo ipsius*, est sancta & æqua, & sanctissimo principio, formâ, materiâ, & fine DEUS in ablatione hæc omnia facit; at *Chaldæi* meri fures & latrones iniquissimè virum sanctum deprædando eosdem boves auferunt, manibus rapacibus & animo sanguinario. Sic *Thr.* 1. 15, *Conculcat omnes robustos meos in medio mei.* At facta est hæc conculcatio non DEI pedibus, sed *Chaldæorum*, idque in pœnam Idololatriæ. Et *Thr.* 2. 1. *Quo modo DEVS densâ nube iræ suæ obtexit filiam Zionis?* At nubes illa erat *Chaldæorum* sævientium igne & ferro exercitus & malum idem erat à *Chaldæis* inflictum, & à DEO principaliter puniente, nec est absurdum, imò necessarium est idem apotelesma seu effectum constare ex efficientiâ causæ principalis, & efficientiâ aliarum causarum simul junctis, quando realiter idem sunt, sed moraliter efficiente, materiâ, formâ & fine adeoque causis differunt.

Addit *Arminius. Si unus & idem actus est simul peccatum. pœna peccati & causa peccati, tum fieri non potest ut DEVS sit causa illius secundum duos posteriores respectus & non secundum primum, propter duplicem causam. 1. Quia distinctio respectus effiere nequit ut DEVS causa sit unius & non alterius realiter cum illo conjuncti, respectus iste usum habet in mente intelligente & res conjunctissimos discernere valente. At in actuali efficientiâ, cujus terminus est ens morale, locum habere non possunt: —— quia ex tribus istis respectibus, ordine & naturâ & causalitate prior est quo peccatum ut malum culpæ consideratur, posteriores quibus ut pœna & causa peccati consequentia. At DEVS est causa prima omnium effectuum quos cum, aut per creaturas producit: his verò*

Unum & eundem actum esse & peccatum, pœnam & causam peccati contra Jac. Arminium *ostenditur.*

verò erit causa posterior, & producet actum aliquem ratione posteriorum respectuum, quem creatura producit ratione prioris, quod est absurdum & invertit ordinem causalitatis qui est inter primam & secundam causam.

Respondeo 1. Licet *una & eadem excæcatio sit & peccatum & causa peccati,* Attamen benè potest DEUS esse causa pœnalitatis in peccato, seu in excœcatione, & non esse causa peccati. Quia diversitas respectus efficere *potest ut DEVS sit causa unius & non causa tamen alterius cum eo realiter conjuncti.* Jubet herus ut servus pistrinum volvat, in pœnam alicujus delicti, & vetat alterum servum ne volvat omninò sed aliis incumbat negotiis, vetitus tamen servus instrumentum, rogatu servi qui jubetur, volvit, eadem hæc pistrini circumrotatio priori servo pœna, posteriori peccatum est & repugnans jussui heri, & prior servus in eâdem volutatione subit pœnam, posterior facit peccatum. Sic claudicatio equi cum equi *motione realiter est conjuncta,* & sessor motionis equi causa est, & claudicationis equi tibiæ luxatio; sed nullo modo sessor claudicationis causa est. Dusphoniæ in Cytharizatione causa est ruptus nervus Cytharæ, non manus periti Cytharœdi. Resplendente sole & pellucente per vitrum viride, viror à medio est, vitro scilicet, splendor à sole & tamen realiter conjuncta sunt motio & claudicatio, dusphonia & Cytharizatio, viror & resplendentia. Neque dici potest claudicationem prius à sessore, posterius à luxatâ tibiâ quia non est ullo modo, vel prius vel posterius, à sessore. 2. Nec satis logicè dicitur pœna in peccato *ens rationis* ab *Arminio,* est enim ens nimis reale quod aliud esse habet quam objectivum tantum in intellectu. 3. Neque valet ista *Arminii* ratio. Nam *quamvis DEVS sit prima causa omnium effectuum quos cum aut per creaturas producit,* hoc nihil est contra nos, qui docemus ac palam profitemur coram mundo DEUM nec primam nec secundam nec ullo sensu esse peccati causam, neque DEUM ullo modo peccatum causari, vel per seipsum vel per creaturas. Nam quamvis DEUS pœnalitatem peccato inesse voluit, attamen peccatum nullo ordine imaginario inter causam primam & secundam fecit. Debuit *Arminius* in propositio tam gravi uti syllogismo, quia enim DEUS non omninò producit pœnam & peccatum frustra de ordine producendi somniat. Præsumit ex nostrâ sententiâ DEUM culpabiliter *Pharaonem* ut primam causam indurare, & *Pharaonem* culpabiliter ut causam secundam

cundam sese indurare. Hic est imaginarius *Arminii* ordo, non noster. *Pharaob* culpabiliter se obdurat, Deo ceteris nullâ culpabili ratione principaliter agente; At Deus quidem judicialiter & ut solus Judex *Pharaonem* pœnaliter indurat. Non est aliquis hic ordo. Rem sic illustro, aqua lutea non est prius à fonte, posterius à ripâ, quia quâ lutea non est à fonte omninò, ideoque non prius à fonte, & quâ aqua non est prius à ripâ, deinde posterius à fonte, nam quâ aqua nullo modo est à ripâ. Sic claudicatio non est prius à sessore deinde à luxatâ tibiâ, quia nullo modo est à sessore, sed à solo equo. Sic excœcatio non est prius quâ culpa à Deo, & quâ pœna posterius ab homine, quia excœcatio quâ culpa est à solo homine, nullo modo à Deo, quâ pœna vero à solo supremo Judice, à quo est omnis pœna formaliter, licet materialiter à creaturâ.

Tandem *Bened. Pererius* cum aliis pontificiis tribuit Deo operosam & negotiosam admodum subtractionem auxiliorum, cujusmodi sunt. 1. Permissio ut cupiditates impii sequantur, negatâ gratiâ. 2. Affluentia bonorum temporalium. 3. Ablatio beneficii tribulationum, non punitio peccatorum. 4. Amotio precum servorum Dei. 5. Et spiritualium pastorum. 6. Et ipsius prædicati verbi. 7. Fallacia & noxia consilia. 8. Seductorum, & falsorum miraculorum immissio. 9. Laxatio habenarum Diabolo cum ampliore potestate insidiandi & nocendi. 10. Amotio præsidiorum & adjumentorum efficacium. Interim cum *Pererius* neget nudam & laxam permissionem non minus quam *Calvinus*. Quæro tantum quo fine Deus tam vigilanter & operosè neget tot media emollitiva cordis, quâve id faciat intentione? an ut emolliantur? scilicet Deus ancillam atramento lavat, ut formosam & perpulchram reddat? an ut indurentur? Salvete & valete ergo *Pelagiani, Jesuitæ, Arminiani* in hâc causâ nostri estis: at vestri nos haud sumus.

* Pererius in Exod. c. 11. dis. 10. *Videat Lector Clarissimus* Wallæum in loc. cõmuni de provid. tõ. 2. c. 3. pag. 100, &c. Bezæ opus aureum de Christi Reli. quæstion. lib. Zanchium de naturâ *Dei* l. 5. c. 1. Molinæũ in anatom Arminianismi. Magnum & Clarissimum Calvinum instit li. 1. c. 17. c. 18. Voetium in Methodo. respondentem calũniis de *Deo* Authore peccati

Clarissimos Pareum adversus Bellarminum de amissione gratiæ. Perkinsium libell. de prædestin. Gomari theses de provid. Zach. Ursinum loc. de provid. Joan. Piscatorem in thesib. Clarissimos Junium, Marloratum, Sturmium, Polanum, Becanum, Tilenum, Trelcatium, Martyrem, Segedinum,

CAPUT

CAPUT XXII.

An liberum DEI Beneplacitum sit prima regula omnis bonitatis moralis in creaturis.

Quo sensu peccatum Deo opponatur.

Per æpretium est hic etiam considerare, quænam oppositio inter DEUM & peccatum intercedat. Peccatum certè ἀνομία est, & privativè aliquid tollit. Non autem tollit essentiales potentias animæ, nec actus entitativos potentiarum. Ego enim puto talem privationem nec esse transcendentalem & entitativam, nec vero moralem. Sed peccatum privativè tollit rectitudinem illam obedientialem inclinationibus animæ & actibus inesse debitam. Duplex vero est repugnantia, una interna, qualis est inter duo accidentia, calidum & frigidum. Externa altera, quæ est non convenientia, ut inter ea quæ sunt primo diversa, inter substantiam & quantitatem. Priore modo, nulla est repugnantia inter DEUM, qui est essentia supereſſentialis, & creaturas, aut inter DEUM & peccatum. Omnis enim repugnantia fundatur in aliqua convenientia quam oppositio tollit. DEUS autem & creaturæ tantum analogicè conveniunt in ente. Sed peccatum non privativè tollit ens, quod de DEO prædicatur. Sic enim posito peccato vera esset hæc. (*DEVS est non ens*) quod est blasphemum. Nec peccatum DEO opponitur, vel privativè, vel contrariè, vel relativè. Nam peccatum privativè non tollit DEUM, quia destructio summi boni est simpliciter impossibilis: at peccatum esse non est impossibile. Qui volunt peccatum contrariè opponi DEO, aut ejus naturæ aut sanctitati, non mediocriter, meo tenui judicio, peccant in sacrosanctam DEI ἀυλοχίαν, & fœlicitatem, cui sit in æternum omnis laus & gloria. Id credo ab *Eliphaze* abundè refutari, & à *Davide*. Quid? an oppositio relativa hic somnianda? at posito aut sublato relato ponitur & tollitur correlatum. Sed an posito aut sublato peccato ponitur aut aufertur DEUS, ah absint blasphemiæ. Nec mens acquiescit, si dicamus peccatum contradictoriè opponi DEO, aut DEI naturæ. Quia DEUS est non peccatum. At quid tum? DEUS est etiam non obedientia,

Job. 22. 2, 3, 4.
Psal. 16. v. 2.

obedientiâ, non Cœlum, non mare, non Angelus. At dicunt adversarii peccatum opponi DEI naturæ. Quæro an manducatio arboris scientiæ aut ullus actus liber creaturæ habeat naturalem convenientiam cum DEI naturâ? Si habet, DEUS aliquid suæ naturæ repugnans faceret, si imperaret manducationem scientiæ arboris, si *Davidem Salomonem* filium suum mactare jussisset. Hoc nec Scriptura nec ratio admitteret. Hinc sequitur peccatum, nec DEUM, nec aliquid Divinæ Naturæ peccatum ullâ oppositione tollere. Ergo peccatum privativè tollit aliquod à liberâ DEI voluntate approbatum ut bonum, nempe tollit rectitudinem quam libera DEI voluntas flagitat in nostris inclinationibus, animæ potentiis, & actibus. Neque peccatum admittititur propriè in DEI voluntatem. Nam *Ejus voluntati quis restitit?* Nam qui peccat, non facit contra id quod DEUS vult & decrevit fieri & existere; Sed contrarium illi rei quam DEUS ut æquam & honestam approbat. Dices, Si peccatum non formaliter opponitur sanctitati DEI & Divinæ Naturæ, tum sequitur DEUM posse peccare. Respondeo. Istą blasphema consequentia non valet. Nam hoc posito quod hoc sit peccatum, hypotheticè repugnat id à DEo vel fieri vel imperari, propter Divinæ Voluntatis sanctam immutabilitatem, sicut posito hoc quod DEUS creare mundum decreverit, non-creatio mundi repugnat Divinæ Constantiæ respectu. Sicut enim liberè & nullâ naturæ necessitate DEUS vult rectitudinem in nostris actibus, ita non repugnat eum nolle eandem ex se, quamvis statuto semel decreto, repugnet. Sed de hoc alibi. Rom. 9. 19.

7. Malè negat *Vorstius* DEUM *exercere posse aut exercere Dominium suum, nisi in ea in quæ beneficium contulit, ac proinde* (inquit) *non potest DEUS pro suo dominio homines ad interitum creare, aut antequam creentur, destinare,* sed hoc antecedens est falsum, nam DEUS absolutum dominium potest exercere in plures mundos possibiles, in plures Angelos, quos pro suo dominio potest creare vel non creare, & tamen nullum beneficium DEUS contulit in plures mundos possibiles, & falsum est quod idem dicit, *jus DEI & dominium niti aliquo beneficio quod in creaturas ipse contulit, aut aliquo maleficio creaturæ & eatenus tantum DEUM misereri quorum vult, & quos vult, indurare, alioqui jus DEI fore tyrannicum. Sed si jus DEI nitatur beneficio collato divinitus in creaturam, tum nullo jure* Vorstius amic. dupl. pag. 343.

sed merè tyrannico, DEUS mundum creavit ad suam gloriam, nam DEUS mundo creato, utpote, jam purè nihilo, nullum beneficium contulit, imo Angelos apostatas quos DEUS in æternum exitium lapsuros fore præscivit, DEUS ex absolutâ libertate suâ creare non potuit, quin in iis creandis DEUM tyrannum egisse oportuerit. DEI vero jus miserendi & indurandi, sed sic est limitatum ad meritum & demeritum creaturæ, quod est jus Pelagianum.

Prov. 16. 4. Apoc. 4. 11. Augustin. de Religione Christian. lib. 1. c. 32. Anselm. in prosol. c. 11. Hugo de sacramen. l. 1. par. 4. c. 1. Hugo de S. Vict. in sū. senten. tō. 3. tract. 1. c. 14. liter. u

8. In toto hoc negotio ignorant Adversarii DEI beneplacitum esse primam regulam & causam omnis bonitatis purè creatæ. *Nam omnia propter seipsum DEVS condidit, & quidem liberâ voluntate.* Item. *Tu enim omnia creasti, & propter voluntatem tuam sunt, & creata sunt.* Nec nos soli sumus in hâc causâ. Ita *Augustinus. Quia DEVS bonus est, Sumus.* Et *Anselmus. Illud est justum quod vis.* Et *Hugo. Prima omnium rerum causa est voluntas Creatoris, quam nulla præcedens causa movet, nec subsequens aliqua confirmat, quoniam ex seipsâ justa est.* Et *Hugo de S. Victo. Nihil ipse (DEVS) ex debito, sed solâ bonitate facit, homines ex debito faciunt, quia meliores inde fiunt, vel deteriores, si non faciunt.* Id ita rectè explicat *Joannes de Lugo* Jesuita. *DEVS nullâ lege tenetur eligere objectum perfectius, nam volendo objectum oppositum licet de se minus perfectum, eo ipso habet actum æquè perfectum & honestum moraliter, ac si vellet objectum honestius.* Et idem. *Non potest infinita rectitudo divinæ voluntatis consistere in omnimodâ conformitate cum intellectu, quia Dei intellectus voluntati ipsius semper meliora proponere potest in infinitum sine termino.* Hinc necessariò sequitur volitiones DEI nullam honestatem aut moralem justitiam mutuari aut mendicare ab objectis creatis volitis, sed aliquod objectum esse honestum, quoniam DEI voluntas id voluit, & sic homines ad gloriam justitiæ manifestandam, & ad media illius manifestativa creari, ideo esse bonum & honestum quia Deus id voluit, neque hic Deum infinitè bonum & justum ad humanæ & creatæ bonitatis breves ulnas, & modulum commensurandum esse. Ideoque *Voluntas DEI* (inquiunt *Ferrariensis* & *Driedo*) *prima causa est quare ignis est calidus.* Et *Thomas* rejicit opinionem quorundam dicentium, *quod ex hoc quod Deus intelligit seipsum fluxit ab ipso talis rerum dispositio, quasi non suo arbitrio limitet singula & disponat universa.* Ita etiam *Capreolus.* Ita *Bruno. Cumel.* Ita

Ioan. de Lugo myste. incar. disp. 2. sec. 4. fi. 65. Idem dis. 2 sec. 2. fig. 30. Ferrarien. cont. gent. lib. 3. c. 97. Driedo de concord. c. 4. litera a. Thomas con. Gent. c. 26. Capreol. 1. sent. dist. 38. q. 1. Cumel. variar. disp. tom. 3. pa. 191.

&

& Collegium Salmanticense. Et rectè magnus ille vir *Bradwardinus*. *Quædam* (inquit) *sunt rationabilia* (& sic moraliter honesta) *priora DEI voluntate, ut DEVM esse Æternum*, &c. *Et horum ratio benè potest movere DEI voluntatem*; *Alia posteriora & dependentia ab eâ causativè & nullum horum determinat DEI voluntatem*: *Alia denique sunt rationabilia mixta ex utrisque, ut creaturam subtilis Creatori, DEVM esse DOMINVM hujus rei. Hæc sunt rationabilia conditionaliter, ut si creatura existat, necesse est subjiciatur Creatori.* Ideoque hominem DEO obedire æquum est, sed conditionaliter, ante omnem actum Divinæ Voluntatis, si nempe existat homo; at hoc non impedit, quo minus DEUS possit intendere gloriam suæ justitiæ per hominem nondum conditum, sed à DEO liberè condendum. Sed de hoc plura ex *Bradwardino* postea.

Collegium Salmanticense trac. 4. de volū. DEI dis. 5. dub. 2 sect. 3.

Thomas Bradward. de cau. Dei lib 1. c. 21. Exercit. 2. c. 13. fig. 12.

9. Sed notari velim amorem seu volitionem DEI, aliam esse benevolentiæ, & aliam amicitiæ. Volitio DEI benevolentiæ ea est, quam ego volo causam esse entitatis & omnis bonitatis creatæ, quia enim *DEVS Homini, Angelo*, Mundo vult dare τὸ esse, ex suo benevolo affectu: ideo Homo est, Angelus est. Sed si loquamur de amore amicitiæ, DEUS tum multa vult & amat, quia sunt bona in se, ut amat sanctitatem quia est sanctitas, quippe amor amicitiæ præsupponit amorem benevolentiæ.

Volitio benevolentiæ & amicitiæ in DEO.

Audio nonnullis displicere, quod asseruerim *amare DEVM physicè ἀδιαφορον* esse & non moraliter bonum. Sed non debuit Orthodoxis displicuisse actum entitativum, & physicum nullâ moralitate vestitum, qui est in morali actu amandi DEUM, *ἀδιαφορον* esse: & dico verum esse, DEUM non posse imperare actum Idololatriæ & Adulterii, aut sui odii, nam tales actus *Sanctus Israelis* (cujus quam mihi chara sit omnibus adoranda ter sacrosancta sanctitas, testem habeo in Cœlis) odio habet, & detestatur, quia sunt formaliter peccata, & quia ipse est sanctus: sed actus entitativos adulterii, Idololatriæ, & DEI odii malitiæ substratos, esse DEI naturæ contrarios nego, & per *actum amandi DEVM physicè* spectatum, non noto actum ut specificatur ab objecto, nempe, DEO, sed actum entitativum amandi physicè sumptum, qui substernitur actui amandi DEUM intellexi. Et addo rationes. 1. Quia omnis actus humanus qui est in lineâ merè physicâ, est indifferens ex se ut vestiatur vel bonitate vel malitiâ morali, nam juxta omnes Scholasti-

Exercit. 2. c. 3. fig. 12.

Omnes actus entitativi in linea physica & de se sunt indifferentes nec intrinsecè boni vel mali.

cos; bonitas vel malitia moralis sunt differentiæ merè accidentales actuum humanorum. 2. Ipsi adversarii concedunt in actibus positivo DEI mandato imperatis aut vetitis, actus entitativos à DEO liberè imperari aut vetari, nam nemo negat potuisse DEUM imperasse esum arboris scientiæ boni & mali: at hæc ratio tenet in actibus intrinsecè malis, quia nullus est actus entitativus intrinsecè malus, hoc est, essentialiter malus; omnis enim malitia est privatio rectitudinis inesse debitæ, at omnis privatio rectitudinis in actu physico est accidens & extraneum naturæ actus physici, sicut & omnis rectitudo est accidens actus physici. Nam forma & privatio sunt accidentia subjecti cui insunt, ut visus & privatio visus seu cœcitas sunt accidentia, ejusque naturæ & facultati visivæ extranea.

Vasquez in 12. tom. disp. 71. q. 1. c. 3. ar. 6. sig. 6, 7.

10. Sic *Vasquez* objicit. *Nostra malitia moralis est disconvenientia à naturâ rationali, tanquam à regulâ suâ, sicut calor aquæ ab aquâ. Ergo ex se, & non ex voluntate DEI, odium DEI & perjurium sunt disconvenientia naturæ rationali, alioqui etiam sequeretur odium DEI & perjurium potuisse esse bona, si DEUS nempe, ab æterno ea non vetuisset.* Ergo actus odii DEI & perjurii sunt in se, & citra actum omnem divinæ voluntatis DEI mali.

Respondeo 1. Non sequitur, quia odium DEI est in se, & sine omni actu divinæ voluntatis malum, quod certè ego verum esse concedo. Ergo actus entitativus in illo odio DEI est in se malus: quia certè est indifferens in se, licet ut vestitus detestatione DEI sit in se malus. 2. Dicunt alii *disconvenientiam malitiæ, non saltem omnem, esse contrariam naturæ rationali,* tanquam suæ regulæ regulanti & primæ & adæquatæ; nam ratio non est actuum nostrorum regula regulans & adæquata, sed est regula regulata à DEI liberâ voluntate; imò naturæ rationali *Abrahami* disconveniens & contraria erat mactatio filii *Isaaci*, jure tamen DEUS *Abrahamum* filium suum mactare jussit, & ea mactatio contraria naturæ rationali *Abrahami*, hoc ipso bona & honesta fuit, quod DEUS eam imperaverit, & rursus mala quod eam etiam idem DEUS prohibuerit. Quod argumento est actum mactandi filium non ex convenientiâ, aut disconvenientiâ cum naturâ rationali *Abrahami*, sed ex liberâ DEI voluntate eum jubente aut vetante esse bonum vel malum moraliter, & idem dicendum de actu entitativo in odio DEI & perjurio.

Ratio naturalis non est prima, non regula regulans, sed secunda et regula regulata actionum moralium.

jurio, quos actus manentes in lineâ purè physicâ potest DEUS vel imperare vel vetare, quia nullus actus est essentialiter malus: hæc esset enim gravis, in DEUM omnis entitatis positivæ Authorem, injuria.

11. Inde infero, quod est malum creaturæ rationali non est DEO malum: *Abrahamo* enim actus mactandi filium suum est malum quid, nam *Abrahamus* est legi obnoxius, & violare legem est violatori malum: at DEO qui est supra legem non est malum. Sic rectè *Beza*. *Si decretum DEI spectes, ipsum malum habet rationem boni, etiamsi in se malum est.* Id ait etiam *Augustin. Bonum esse ut malum sit, quamvis malum non sit bonum.* *Alvarez* dicit. *DEVM velle omnem rationem boni in malis quia omne bonum per participationem est à summo bono.* Quin imò Jesuita *Ruiz* habet nostram, totidem verbis, sententiam licet protherapeiâ lenitore mollitam. *Peccati* (inquit) *proprium est, ut ejus intrinseca malitia non sit malitia, nisi comparatione peccantis, & peccantis tantum malum sit, non alterius, unde licet personæ peccantis peccatum sit majus malum, quam ullius creati boni sive naturalis, sive supernaturalis carentia, at comparatione DEI, Angeli aut Sancti alicujus hominis, peccatum etiam mortale est leve vel nullum, & majus est malum peccato carentia ostensionis gloriæ DEI, ideo DEVS non debet impedire, sed potius occasionare peccatum, quia non est malum DEI, sed bonum.* Hinc patet DEUM ex absolutâ libertate ostendendi suam gloriam, ab æterno decrevisse conducibilitatem quæ est in peccato ad manifestandam DEI gloriam. Nec magis nos homunciones posse ingenioli nostri ruditate abyssum divinæ sapientiæ capere, quam si quis vasculo bipedali, omnia flumina, fontes, lacus, stagna, & oceanum denique vastissimum includere tentaret. Ah luxurians & inanis ratio da gloriam JEHOVÆ, & sile. Et *Ruiz* his verbis *Calvini* nostramque in hâc re sententiam astruit.

Beza quæst. & respon. Christian. q. 143. Augustin. Enchi. 96. Alvarez epitom. de auxili. lib. 2. c. 6.

12. Pervenit etiam ad manus meas manuscriptum quoddam Discipuli cujusdam *Jo. Cameronis* convitiis & criminationibus scatens, quasi ego *Cameroni* insignem injuriam intulerim in depravandâ ipsius sententiâ in illâ quæstione, *An beneplacitum DEI sit prima regula omnis bonitatis & justitiæ creatæ*, Sed nullius in *Cameronem* culpæ mihi conscius sum. Contendit ille in manuscripto isto, *Cameronem loqui non de absolutâ DEI potestate, sed tantum de potestate ordinatâ* ex hypothesi decreti; & hanc esse *Cameronis* mentem. DEUM

Sententia Cameron. An Dei voluntas sit prima regula bonitatis moralis a me non depravatur.

jam non velle res quia sunt bonæ, & consonantiam habent cum essentiali DEI puritate & justitiâ, sed res esse bonas & imaginem DEI referre, quando ita DEUS ex libero suo beneplacito decreverit. Et id obtinere de rebus antecedenter ad DEI decretum, sed postquam DEUS ex beneplacito suo voluerit hoc vel illud esse bonum & sanctum, & suam imaginem referre, eum jam id amare non quia voluit, sed quia jam est in se bonum & sanctum. Sed profectò hoc est malè agere causam *Cameronis*, ipse *Camero*, si superstes foret, tot convitia in ignarum suum patronum sibi tale quid affingêtem effunderet, quot ille in me effudit: Nam *Camero* vult *ea quæ Deum referunt ut ens, esse bona*, quia DEUS eorum bonitatem decrevit, sed vult ea *quæ referunt DEVM ut est Sanctus & Justus, seu quæ referunt DEI imaginem, esse in se & suâ naturâ, citra omnem divinæ voluntatis actum, bona & sancta.* Quod patet ex verbis à me citatis. Nam censuram fert *Camero* in hanc sententiam. *Nihil à DEO amari, quia bonum sit, sed ideo bonum esse unumquodq́, quia à Deo amatur.* Respondet *Camero*. *Ergo nec seipsum amabit, quia bonus est, sed ideo bonus existimandus est, quia seipsum amat, quod si hoc illis absurdum est, idem valere in imagine DEI necesse est. Si enim Deus naturali atque immutabili propensione in amorem sui inclinat, consimili prorsus affectu imaginem sui complectitur.* Sic itaque arguo. *Absurdum est DEVM ideo bonum esse, quia seipsum amat.* Et certè ut rectè ait *Camero* est absurdissimum, *Deum non esse bonum, nisi libero suo decreto decrevisset se esse bonum*, atqui quod DEUS liberè decernit, id potuit ab æterno non decrevisse, DEUS itaque sic potuit esse non bonus, & sic DEUS non erit essentialiter, sed liberè bonus. Assumo, atqui *Camero* dicit. *Idem valere in DEI imagine necesse esse, & si DEVS naturali atque immutabili propensione in amorem sui inclinat, consimili prorsus effectu imagineo sui complectitur.* Ergo sicut DEUS essentialiter bonus est, & pugnat DEUM decernere se esse non bonum & se non amare & DEUS est bonus antecedenter ad *Dei* decretum, *sic idem valebit in DEI imagine*, illa etiam res quæ est imago DEI erit essentialiter & antecedenter ad omne liberum DEI decretum, bona & sancta, & *Abrahamum* non mactare *Isaacum*, sed eum in vivis conservare, erit antecedenter ad omne DEI decretum ita essentialiter bonum, uti *DEVS est bonus, & consimili prorsus affectu quo DEVS in amorem sui inclinat, puta naturali atque immutabili propensione DEVS inclinabit in hoc, quod Abrahamus* filium

Camero tom. 3. in miscella. pag. 575. & tom. 2. in Matth. prælect. c. 16. pa. 140, 141.

suum

suum non mactaret, sed eum in vivis conservaret, nam actus conservandi vitam filii in parente, est imaginis Dei pars, quamvis non sit essentialiter pars illius imaginis, sed desinat esse sanctitas naturalis, si Deus patrem jubeat mactare filium. Ergo ex *Cameronis* sententiâ tam repugnaret Deum jubere ut *Abrahamus* mactet filium quam ut ipse Deus sese odio haberet, & illud mandatum, *Abrahame, immola mihi filium tuum Isaacum* erat impium & divinæ naturæ repugnans, & Dei *naturali & immutabili propensioni contrarium.* At conclusio absurda, hoc videat *Camero*, videat *manuscriptor*. Si dixerit *manuscriptor*, hoc posito & decreto semel quod hæc res sit imago Dei, bona & sancta, tum propter divinæ naturæ immutabilitatem & decreti Dei constantiam tam est impossibile Deum non amare imaginem suam, quia est imago ipsius sancta, quam Deum sese abnegare, aut odisse, & hoc sensu loqui *Cameronem.* At Resp. Decretâ semel creatione mundi, & proditione Judæ, & ambulatione Petri in mari, & decretis semel iis rebus, quas *Camero* vocat ἀδιαφορα, puta Ceremoniis Mosaicis, hoc sensu evanescit & *Cameronis & manuscriptoris* distinctio, de rebus antecedenter & de rebus consequenter ad Dei liberum decretum. Item & illa de rebus in se & sua natura bonis, malis, & adiaphoris; nam sic necesse est dicat *Camero*, fixo semel decreto Dei, *Uti DEVS naturali atque immutabili propensione in amorem sui inclinat, consimili prorsus affectu hoc est, naturali atque immutabili propensione inclinat DEVS in mundi creationem*, in Petri, super mare, ambulationem, in omnes ceremonias *Mosaicas*, in rugitum leonum, balatus ovium, pfittacorum efflictos sermones nam Deum illa nolle, fixo semel decreto, de eorum futura existentiâ, repugnat immutabilitati divinæ. Quorsum Ergo hæ distinctiones vanissimæ?

13. Probavi *DEVM non naturali propensione imaginem suam amare*, quia patrem filium fovere & vitæ ipsius consulere, est pars imaginis Dei: atque Deus jure jussit, ut *Abrahamus* filium suum mactaret, *Israelitæ Ægyptiis mutuum non redderent*, si Deus ergo nolle potest, id quod est imaginis suæ pars, *nulla propensione naturali, quali DEVS in sui amorem inclinat, imaginem suam complectitur*, ut ait *Camero*. Respondet manuscriptor. Ad primum. *Nisi*, inquit) *Retorsertis probaveris DEVM voluisse & amasse ut Abrahamus, depositio omni naturali amore, crudelis in sanguine nati commacularet*

commacularet manus, infœlici conatu hoc usus est exemplo, certe Deus noluit, neque potuit velle, ut Abrahamus DEI *imaginis non exiguum partem obliteraret, & filio crudelis esset, tantum voluit ut eo facto declararet se Deum ante omnia amare*, Resp. infœlici conatu *manuscriptor* argumentum meum male proponit. Nec dixi *Deum voluisse ut Abrahamus deposito omni naturali amore crudeles in sanguine nati commacularet manus*, quia si *Abrahamus* Dei jussu manus intulisset, Deusque mandatum non retractasset ex manus crudeles esse desiissent, imo manus fuissent justæ & obedientes, sed hoc meum argumentum fœlici conatu confirmat, quia Dei jussio sic facit manus crudeles, non crudeles, sed innocuas & justas. quæ manus si filium interemissent, nulla DEI jussione, manus imagini Dei adversissimæ forent, & similes Gentium & Idololatrarum manibus qui filios suos dæmoniis, non quidem ex odio naturali, sed ex insano Religionis zelo, immolarunt, ideoque Dei jussio effecit ut mactatio *Isaaci*, quæ citra illam jussionem, fuisset horrendum naticidium, nulla esset crudelitas, sed pars imaginis Dei: ideo dico, ipsum patris externum actum conservandi vitam filii, & eum non mactandi, esse in se partem divinæ imaginis, & actum sanctissimum legis naturæ omnibus cordi authoritate plane divinâ insculptæ, & eundem actum non mactandi filium, DEO vitæ & necis authore id jubente, esse horrendam rebellionem, ideoque actum mactandi filium, Deo jubente, esse partem divinæ imaginis; unde liquidò constat meo argumento, eundum actum transire ex actu homicidii, ad actum religiosissimæ obedientiæ, prout Deus eum jusserit, vel non jusseret, & falsissimum esse Deum id quod ipsius est imago, *naturali atque immutabili propensione amare & simili prorsus affectu, quo* DEVS *in sui amorem inclinat*, quam blasphemiam astruit *Camero*, nam DEUS de se amante, ad se non-amantem, nulla jussione, suppositione nulla, nisi quæ sempeternam involvit contradictionem, transire potest: non potest non amare seipsum nisi desinat esse Deus, at potest non velle & etiam jubere id quod citra illam jussionem fuisset pars suæ imaginis.

Deuter. 12. 31. Deut. 32. 17. Jerim. 7. 31. *Abrahâm mactare filium suum Deo ita jubente, desiit esse pars imaginis Dei*

24. Ad alterum respondet Manuscriptor. Ait *quæstionem esse, an postquam* DEVS *decreverit ut mutui redditio sit imaginis sui pars, possit contrarium decernere, nempe, ut non redditio sit* DEI *imaginis pars, idq; amare, hoc* DEVS *non potest*. Addit *Ægyptios auri & argenti*

argenti fuisse injustos possessores, neque ea ipsorum, sed DEI fuisse, & Israelitas impropriè accepisse mutuò ab iis, ideoq; ad reddendum ea non fuisse obligatos. DEVS ergo non vult aut amat non redditionem mutui. Respondeo quæstionem Chymericam fingis: egone dixi DEUM volentem & decernentem ut mutui redditio sit imaginis suæ pars, postea velle ut non sit imaginis suæ pars? Hoc ne per somnium mihi in mentem venit. Quin ut antea, ita adhuc dico. Redditionem mutui factam *Ægyptiis* ab *Israelitis* esse imaginis divinæ partem, & in se æquam & justam, uti *est suum cuique tribuere*; nisi ipse Legislator non-redditionem jussisset: nam si nos à profligatissimis Diaboli mancipiis & rerum suarum possessoribus iniquissimis aurum *mutui nomine* accipimus, & statuto die reddimus, legem naturæ in hoc sanctè colimus, si reddere detrectamus, in legem naturæ gravissimè, & in imaginis divinæ reliquias peccamus: at eadem ratio *Israelitas* obligabat, nisi JEHOVAH non-redditionem imperasset. Jussio ergo DEI facit illam non-redditionem, quæ citra eam jussionem fuisset peccatum imagini DEI repugnans, esse imaginis DEI partem & obedientiam. *DEVS ergo non eâ propensione naturali, quâ in sui amorem inclinat,* vult id quod est suæ imaginis pars, sed jure velle potest, ut hæc mutui redditio non sit imaginis suæ pars. Nec obstat quod *Ægyptiorum non fuerit illud aurii, sed DEI: quia Ægyptiorum* verè fuisset, jure civili, quod violare non licet, nisi DEUS non-redditionem jussisset. At nullo jure nisi clamosissimæ contradictionis, *potest DEVS sese non amare.* At postquam DEUS jubet non reddere aurum, jam non-redditio vi illius jussionis desinit esse peccatum, aut contrarium imagini DEI, desinit *esse mutui non-redditio,* aut alieni non-restitutio, & incipit esse sui proprii boni religiosa conservatio & imaginis DEI pars, & hoc conatu fœliciissimo meum argumentum *Manuscriptor* insciùs stabilit, & *Cameronem* impugnat, minimè vindicat. Exercit. 2. c. 3. sect. 11.

15. Impugnavi distinctionem *Cameronis, de bonis quæ præcipiuntur, malis quæ vetantur, & adiaphoris quæ neq; præcipiuntur neq; vetantur,* non simpliciter sed in hâc quæstione. Quia omnia entia, omnesque actus sunt in se moraliter ἀδιαφορα. Regerit *Manuscriptor. Mactè res in se nudè consideratæ sunt bonæ, quia ens & bonum convertuntur.* Sed quia sunt bona entitativè, sunt moraliter ἀδιαφορα, nec bona nec mala in se, sed ex DEI jussione aut prohibitione fiunt formaliter bona moralia, vel mala.

Addit *Manuscriptor.* *Colere DEVM in se & in principio interno & formâ propriâ bonum est, quia DEVS decrevit ut natura & colere DEVM sit in se bona, Idololatria est in se mala, non in extrinsecâ ratione præcepti, sed in principio ejus interno, A DEI libero decreto est ut natura Idololatriæ in se mala sit. Ceremoniæ Mosis sunt ἀδιάφορα, quia non habent rationem boni aut mali moralis in suâ naturâ ex DEI decreto, sed tantum sunt bonæ vel malæ extrinsecus ratione præcepti: prima non potest DEVS prohibere, secunda non potest imperare puta odium sui; quæ sunt tertii generis, potest DEVS imperare vel vetare.*

Respondeo. Non nego quin Deus liberè volendo existentiam creaturæ rationalis liberè simul velit τὸ amare Deum & τὸ subjici creaturam Creatori (loquor de morali seu obedientiali, non de naturali dependentiæ subjectione) sed hæc est convolitio (si detur venia sic loquendi) ut sit simul subjectum & naturalis subjecti proprietas ut postea dicturus.

Respondeo 1. Nemo, qui Philosophiam aut Theologiam vel à limine salutarit, diceret *DEVM colere, esse in suâ formâ essentiali bonum, quia DEVS decrevit ut natura ea colere DEVM sit in se bona*; quasi verò Deus liberè decerneret ut quod est essentialiter bonum sit bonum, nempè, liberè decrevit Deus, *ut DEVS sit bonus*, homo sit animal rationale, at quod Deus liberè decernit esse, potest decernere non esse. Potest ergo Deus decernere ut essentia & essentiatum inter se non cohæreant, ut homo non sit animal, ut Deus non sit bonus, ut sic homo non sit homo, Deus non sit Deus Macte Patrone *Cameronis.* 2. Distinctio *Cameronis* in hoc negotio debet esse rerum *διὰ συμπλοκὴν*, seu incomplexarum, uti includat res à Deo volitas & imperatas & vetitas. Actus colendi est in se quid *ἀδιάφορον*, non minus quam sunt Ceremoniæ Mosaicæ, sed actus colendi Deum, aut colendi idola sunt res quodam sensu *κατὰ συμπλοκὴν* seu complexæ: nam sunt actus morales objectum includentes, & *Camero* hisce rebus accensere debet hæc *matrem reddere, Patrem non mactare filium, filium non interimere patrem*, Nam hi actus sunt actus divinæ imaginis in homine, & non actus adiophori, uti sunt Cerémoniæ, alioqui dabit *Camero* quartum distinctionis suæ membrum. Atqui si Deus jubeat patrem mactare filium, & filium interimere patrem, & fratrem fratrem, ut

sit

sit *Genes.* 22. 2. *Deut.* 13. 6. At patrem non mactare filium insignis est in Deum rebellio, si Deus patrem jubeat filium mactare, uti *Abrahamum* jussit *Isaacum* immolare, non-mactatio est inobedientia & talis actus fit rebellio ex solâ Dei jussione. Actus ergo Divinæ imaginis, quidam saltem, sunt etiam adiaphori & indifferentes. Atqui, qui dicit τὸ colere Deum esse actum, quem Deus non potest prohibere, nihil aliud dicit quam eum actum quem Deus non potest prohibere, à Deo non posse prohiberi. At hoc posito, quod Deus *Judeis* usque ad *Salvatoris* incarnationem carne suillâ interdicere decreverit, non magis potest *Judeis* carne suillâ non interdicere, quam non potest Deus prohibere τὸ colere Deum. At in τῷ *colere D E U M* est actus moraliter & in se indifferens, qui à solâ liberâ Dei voluntate habet moralitatem bonam vel malam, non minus quam esus carnis suillæ est indifferens. Inepissima ergo est hæc distinctio. Et actus entitativi in τῷ amare Deum, in τῷ colere Idola non habent essentialiter & à formâ suâ specificâ, bonitatem vel malitiam moralem, sed extrinsecus à solâ Dei jussione, vel prohibitione. Nam nullus actus humanus simplex est essentialiter bonus vel malus; sed ex se indifferens. Et omnes Ceremoniæ à Deo vetitæ, & imperatæ, & Dei jussionem aut prohibitionem includentes, sunt non minus necessariò bonæ, ita ut non possint vetari, & necessario malæ, ita ut non possint imperari, quam τὸ colere Deum, quod necessariò includit Dei jussionem, non potest vetari, & τὸ colere idola quod necessariò includit Dei prohibitionem non potest imperari. Breviter dico, suppone nondum poni decretum liberum Dei, & omnes actus simplices, colere, amare, adorare, manducare, ambulare, loqui, sunt ex æquo adiaphori, & nulli boni vel mali moraliter; & suppone poni decretum liberum & mandatum vel prohibitionem quibus actus specificantur, omnes iidem actus ex æquo sunt necessariò boni vel mali, nulli vero indifferentes. Vanissima itaque est in hoc negotio talis distinctio. Quia antecedenter ad Dei decretum & mandatum omnes actus physici sunt indifferentes. Vana ergo est ante Dei decretum & mandatum illa distinctio, quâ quidam actus dicuntur boni, quidam mali, quidam adiaphori: quia omnes sunt adiaphori ante decretum. Ergo vana est distinctio *Cameronis*.

16. Illud etiam *Cameronis* impugnavi. *Neque D E U S potest*

innocentem damnare, neque sontem absolvere; nec amorem sui prohibere aut odium sui commendare — pugnat hoc cum illius naturâ. Manuscriptor dicit. *Cum DEUS ab aterno statuerit & in tempore promulgaverit, se cum hominibus agere secundum justitiam suam & non secundum absolutam suam potestatem, DEUS non potest innocentem damnare, neque sontem absolvere, potuit uti suo jure sed non vult.*

Sed non capit sententiam *Cameronis*. 1. Quia hoc sensu pugnat nempe ex hypothesi, *cum naturâ DEI*, cârne iuillâ *Judæis* non interdicere. Quod enim DEUS fieri decrevit, id non potest facere, nisi sit inconstans. 2. Animum nullius viri eruditi turbare potuit, utrum DEUS sine satisfactione possit non punire peccatores, ex hypothesi quod pœnalem satisfactionem decreverat peccatoribus. *Camero* tali distinctione (quam tamen nusquam in hâc quæstione usurpat) facile animum amici levatum dedisset. 3. *Camero* Sophistas (ut vocat) in hâc quæstoine impugnat, præsertim *Gersonem* qui docent ideo *unumquodq; esse bonum, quia* DEUS *id velit, adeo ut si vellet*, (inquit *Gerson*) *id vel non esse, vel aliter esse id quod jam bonum esset, & sic si DEUS vult peccatorem damnare, id bonum foret, quia DEUS id velit: si citra satisfactionem absolvat peccatorem, id etiam bonum esset quia DEUS vult ita esse.* Impugnat & *Calvinum, Bezam* & nostros. At illi non negabant, quod DEUS semel decrevit ut bonum, id *nolle minimè posse DEUM*: & nulli *Scholastici* litem moverunt, an DEUS possit non punire peccatorem, postquam ab æterno eum punire decreverit. Nec *Camero* tam rudis erat, nec *Scholastici* ulli tale dubium commenti sunt, est enim quæstio puerilis, sed *Scholastici* dixerunt DEUM potentiâ absolutâ posse peccatorem absolvere citra satisfactionem, & id bonum esse, siquidem DEUS voluisset fieri, ut orthodoxè contendunt *Gerson* & *Scholastici*, quos quia in hâc re, refutat *Camero*, cum ratione pugnat. Est enim *Parei*, *Junii*, *Bezæ*, & *Calvini*, & D. *Tuissi* sententia vera & sana, res ideo esse bonas & justas, quia DEUS eas esse voluit, non contra, nec enim objectum creatum mensura est divinæ voluntatis, aut regula.

Calvin. instit. lib. 1. c. 17. sect. 1.

17. Frustra *Manuscriptor Cameronem* dicit per *naturalem propensionem quâ vult DEUM imaginem suam complecti, non intelligere naturæ impetum, nempe, expertem cognitionis*, sed DEUM tantum necessariò imaginem suam complecti, sed ego *Cameroni* non attribui

quod

quod DEO affingat impetum naturæ à cognitione separatum, tantum teneo absurdum *Cameronem* tenere; dum vult DEUM tali *necessitate completi suam imaginem quali in sui amorem inclinat.* At talis necessitas est omnis libertatis expers; non enim DEUS liberè in sui amorem inclinat, quia sic DEUS in sui amorem non inclinare posset, quod est blasphemum, etiam si sermo sit de potentiâ DEI absolutâ. At necessitas quæ est in DEO ex hypothesi decreti DEI, optimè consistit cum libertate naturali, ut DEUS liberè creat mundum, licet ex hypothesi decreti, non possit non creare mundum, neque quisquam, cui sanum est sinciput, diceret DEUM eâ necessitate quâ in sui amorem inclinat creare etiam mundum: at hoc *Cameroni* imputat egregius hic Patronus. Quæ citat *Manuscriptor* ex *Camerone* testimonia causam meam non lædunt. Alias contumelias *Cameroni* illatas, ut dicit scriptor, suo loco, favente DEO diluam. Manuscriptor dicit eum à *Semi-Pelagianis* alienum esse, sed ea societas quæ *Camerana* dicitur in *Galliâ* quæ *Ecclesiam* fœdis opinionibus *Arminianismi* turbavit, nec non illius scripta cum *Semi-Pelagianismi & Arminianismi* liquidò convincunt. Testantur scripta *Mosis* Amyraldi solidè refutata à Clarissimo viro D. *Spanhemio*,

Durandus 1. disp. 38. q. 4. Occâ. in 2. q. 19 ad 3. dub. Petrus de Aliaco in dist. 14. Gerson. Alphaber. 61. lit. E. F. Almain. moralium. 3. c. 15. Andr. de Castr. nov. in 1. disp. 48. q. 1. art. 1. Cordub. l. 3. q. 10. Scotus 3. disp. 37. quæst. pri. Gabriel. 3. dist. 37. ar. 2. Major. in 2 dist. 37. Soto de justit. & jure q. 3. art. 8. lib. 1. Richar. in 3. dist. 37. ar. 1. q. 5.

Omnis vero actus entitativus est moraliter de se indifferens nec bonus nec malus, hoc autem loquor de actibus entitativis, qui sunt meri actus simplices, ut excluderem actus includentes ab objecto moralitatem aliquam vel bonam vel malam cujusmodi sunt actus amandi DEUM, odio habendi DEUM, quia tales non sunt actus simplices sed includunt tum actum, tum actus conformitatem cum lege, & actus ἀνομίας ideoque nullo modo possunt indifferentes esse. Videri possunt qui de hac materia scripserunt in margine notati Authores. Quod vero actus omnis sit de se moraliter indifferens,

Viguerius c. 15. q. 1. v. 7. Albert. magnus in summa part. 2. trac. 20. q. 80. art. 2. Bradwardina de causa Dei opere aureo, lib. 1. c. 21. c. 22. Imprimis Thom. Aquinas. 1. 2. q. 94. art. 5. q. 100. art. 4. Cajetan. ibid. & in 5. Ethic. lect. 12. Salon de justi. & jure. 22. q. 57. asser. ultim. Grego. de valent. to. 2. de lege. dis. 7. q. 4. punc. 6. Suarez. de leg. tom. lib. 2 c. 15. Ada. Tannerus de legibus tom. 2. disp. 5. q. 2. dub. 4. inter nostros clariss. d. Vocitus de justitia & jure append. Theolo. par. 1. in Selec. disp. pag. 365. &c. Gul. de Tuissus in vindic gratiæ contr. Ar. l. 1. digress. 10. l. 3. digress. 1. l. 2. dig. 2. l. 1. dig. 8. Joan. Camero. in opusc. miscella. mens. decem. 1610. p 530. præle. in c. 16. in math. Calvin. Justit. l. 3. c. 15. Polanus Syntag. l. 2. c. 26. Polyander in disputat. Anti. Socina. contra. disp. 14.

Probatur. 1. Quoniam DEUS nullos simplices actus necessitate naturæ imperat, nullos vetat, sed liberè. Omnium enim actuum moralium simplicium qui sunt meri actus nullam includentes moralitatem, est par ratio. unde non ita imperat DEUS circumcisionem, nec panem & vinum in cœna Domini, aquam in baptismo, quin hæc omnia prohibuisse liberrimè poterat, sunt enim naturæ DEI nec intrinsecè & ex se contraria, nec intrinsecè consona, & ex se ante DEI mandatum nec bona nec mala, sic DEUS vetat esum talium carnium & animalium lege Ceremoniali immundorum, sed omnino liberè, ita ut contrarium imperare, modo ita ei visum fuerit, potuisset, & pari ratione, idem dicendum de omnibus actibus amandi, odio habendi, loquendi, mutuandi, dolendi, sperandi, desiderandi, nam talibus immundis cibis vesci tam peccatum erat Judæis vigente illa lege *Dei*, quam est *Deum* blasphemare, parentem immolare gnatum; hîc æque hoc quam illud est peccatum, nec altero magis est peccatum, sed alterum altero majus, gravius & detestabilius est peccatum. Nam essentiæ rerum magis & minus non recipiunt: & ratio peccati univocè prædicatur de omnibus peccatis. 2. Detur aliquis actus, qui imperetur, quia bonus, aut vetetur quia malus, ita ut intrinseca & essentialis illius bonitas sit ratio formalis quare imperetur & quidem prima causa & ratio, & malitia sit intrinseca ratio cur vetetur, ille actus bonus vel regulatur a seipso, vel a DEI lege & voluntate liberâ, vel ab alia aliquâ causâ; Si a liberâ DEI voluntate, habetur institutum, quod enim DEUS liberâ voluntate imperat, id liberè, & nullâ in objecto necessitate determinante, non imperare, vel contrarium ejus imperare potest. Ut patet inductione omnium actuum simplicium, quos DEUS imperat vel vetat. Si vero intrinseca & essentalis sit bonitas in ipso objecto & actu imperato cur non possit, a DEO non imperari? Nam 1. Quærimus instantiam de talibus actibus. Nam actus amandi se aut amandi DEUM, aut volendi beatitudinem naturalem aut etiam æternam, ab objecto habent bonitatem, & non sunt actus simplices neque expertes omnis moralitatis, sed nobis videntur esse actus moraliter boni & quidem complexi & ab objecto intrinsece boni & essentialiter & extra subjectum disputationis præsentis. 2. Non est in ullo actu imperato essentialis & intrinseca bonitas, nam illa intrinseca, bonitas vel est in ipso actu

simplice

simplice antecedenter ad legem aliquam Dei vel non, si est in ipso actu simplice, iste actus est intrinsece bonus, ergo est sibi ipsi regula, ergo ejus bonitas non sumitur in ordine ad legem Dei quæ est unica Regula Regulans omnium actuum simplicium creaturarum, at nullus actus creatus est sibi regula intrinsecè justa, quia omnis actus creaturæ est regulabilis & deviabilis, quia omnis creatura est peccabilis; Si vero non sit intrinseca bonitas in ullo actu simplice, oportet Deum isti actui indidisse bonitatem ex merâ sua gratia. Perpendatur quod dicit *Ferdinandus Vasquius* prætorius *Senator* sub *Philippo* Hispaniæ Rege an aliquid lucis quæstioni deferat. *Mihi videtur* (inquit) *nihil aliud Occam intelligere, cum voluit* DEVM *dispensare cum præceptis decalogi, quam* DEVM *posse contraria præcepta infigere hominum animis & mentibus, jus enim naturale nihil aliud esse quam rectam rationem ab ipsa nativitate & Origine humano generi innatam, supra edocti sumus. Ergo si ipsemet* DEVS *contrariam rationem a nostra Origine mentibus nostris imbuisset id similiter erit jus naturale, & ut hoc jus naturale quo utimur, quoque interdum abutimur, bonum est, quia a* DEO *infixum nobis est, ita si contrarium nobis dederit jus, eo ipso bonum erit, quod ipse id dederit. Nec videtur recipienda sententia Soti existimantis Deum non posse efficere, quod bonum sit, ut homo ipsum* DEVM *amare desinat, vel forte odio habere incipiat, quin imò forte poterit, si velit efficere, ut bonum sit: nam ut sæpissimè accidit, ut homo hominem odio habeat, & non raro ut ipsos parentes odio habeat, bonum est.* Ut §. fin. justit. quod cum eo. Et l. 1. ff. ad Maced. Et glossa notat l. ff. c. de pact. In hâc Viri doctissimi sententiâ, quædam placent, Nam 1. Deus creando creaturas rationales, Angelos & homines, & dando iis per creationem existentiam, simul concreat communia juris naturæ principia, quæ à creaturis rationalibus, quia sunt creaturæ rationales, non possunt non concedi tanquam vera, adeo ut creaturæ rationales sese amare non possent naturæ suopte ductu, nisi has veritates amplecterentur. Deus est honorandus & diligendus, creaturam rationalem subjici Creatori æquum est, quia sicut visibilitas naturam hominis necessariò sequitur, ita non potest homo in talés veritates naturæ rationali tam congeneas non inclinare, & ut Deus equum creare equum & non hinibilem, leoni essentiam actu existentem efformare, & non rugibilem creare, canem animal domesticum

Ferdinan. Vasquius *illustrium quæstionum* par. 1. l. 1. c. 29. n 11.

Ferdin. Vasquii, *sententia de Dei cum lege Dei dispensatione.*

DEVS hominem creando constituit legem naturæ imperantem quosdam actus, quosdam vetantem.

sticum & non latrabile animal creare minimè potuerit, sic DEUS hominem animal rationale creare non potuerit, quin necessariò hujusmodi veritates animæ rationali & legem naturæ cordi concreavit & coinsculpserit. Et potuit DEUS aliud animal rationale naturâ, specieque & essentiæ perfectione distinctum ab homine creare, & creasse cordi ipsius jus naturale insculptum diversum, (ut non dicam contrarium) & longè aliud quam illud quod concreatum est cum homine qui nunc creatur animal rationale, & dedisse poterat alia & diversa decalogi mandata æquè bona & justa, atqui sunt illa decalogi mandata quæ nunc tradita sunt homini. 2. Fortè dici potest cum aliquâ probabilitate, sicut pisces majores devorant minores, & vulpes & leones, oves & agnos deglutiunt, nec pisces majores, nec leones nec vulpes legem naturæ rationalem, aut jus illud naturale animalis rationalis cordi insculptum transgrediuntur, nam *ubi non est lex, ibi nulla transgressio.* Ita potuit DEUS homines alios vel alia animalia rationalia essentiâ & naturâ hoc homine perfectiora quæ etiam se invicem devorare poterant, absque omni in legem DEI, quæ nunc est, reatu aut transgressionis notâ, & potuit DEUS hominibus in primâ Creatione legem indidisse quâ interdicerentur occisione brutorum animantium, ita ut brutis non magis quam hominibus absque horrendo in legem naturæ peccato vitam adimere licitum foret, uti jam credunt *Pythagorici* Philosophi non esse licitum, bestias occidere, aut occisis vesci magis quam homicidium committere possumus. Quo casu justa fuisset lex de abstinendo à cæde ferarum, & bestiarum non minus quam hominum occisio fuisset peccatum in DEUM gravissimum. In hoc vero mihi cum *Vasquio* non convenit quod putet cum *Occamo* potuisse DEUM sui odium complexè & formaliter imperare, suique amorem vetare. At vero quoniam odium DEI sic sumptum peccatum est; repugnat sanctissimæ DEI naturæ mandare peccatum, imo repugnat DEUM imperare posse esum arboris vetitæ, si semel vetita sit arbor. Sic si semel hic actus sit odium DEI, est jam essentialiter peccatum. Si ergo DEUS imperaret odium sui, simul vellet & approbaret odium sui, quia ex te, imperat, & simul non vellet, non approbaret, quoniam ex rei veritate odium DEI est peccatum. Sic si hoc sit adulterium, si homicidium, non potest DEUS id mandare. At dices, *DEI beneplacitum ergo non erit prima regula omnis rectitudinis*

Occam. 2. sent. 19.

rectitudinis moralis in creaturis, quoniam ut rectè dicit clariſs. & doctiſs. Vir *Gisber. Voetius*. *Dependentia creaturæ rationalis, qua ſcil. rationalis eſt, & in genere moris ac in ordine ad rectam rationem tam neceſſaria eſt, ut oppoſitum ejus repugnantiam dicat in terminis ac contradictionem implicet*: —— *ſic omnis creatura rationalis DEO ſubjici debet rationabiliter, & obligatur ipſi ad obedientiam; ſi DEVS quid ipſi mandet, aut ab eo poſtulet.* —— *Eſſe vero in DEO tale jus immutabiliter, hoc eſt, antecedenter ad omnem liberæ voluntatis actum probatur.* 1. *Quia DEI primitas, independentia, perfectio, ſuprema poteſtas, & ſimilia divina attributa hoc requirunt, & tale jus fundant.* 2. *Quia neceſſariò & immutabiliter in DEO eſt adorabilitas, quippe reciprocum DEI attributum, nec datâ quâcunque creaturâ rationali per liberum DEI decretum, oppoſitum decerni poteſt, ſine implicatione contradictionis.* Voetius in append. ad diſ. de juſtitiâ & jure par. 1. th. 2, 3. pag. 363. 364.

Sed à nemine dictum putem, nec à me, nec à Clariſs. Domino *Tuiſſo*, nec ab *Occamo*, nec à *Bradwardino* tam laxè & citra omnem diſtinctionem, DEI beneplacitum & liberum decretum eſſe primam regulam omnis rectitudinis moralis ſine exceptione, ſive ea ſit creata & in ſimplice actu creaturæ, ſive increata & in DEO, imò ego contrarium docui. *Exercit. Apolog.* pro divin. gratiâ. exercit. 2. c. 3. pag. 347, 348, 349. ſec. 9, 10, 11, 12. Dependentia creaturæ rationalis à DEO, unde æquum ſit creaturam rationalem Creatori ſubjici, obedire in omnibus, ſive illa ſint poſitivi & Ceremonialis, ſive naturalis juris, eſt immutabiliter in DEO & neceſſario: Neque auſim dicere, neque unquam dixi, DEUM poſſe liberè decernere, quod *æquum ſit creaturam rationalem ſubjici & obedire DEO in omnibus, vel, quod non æquum ſit creaturam rationalem ſubjici & obedire DEO in omnibus.* Sed cadit ſub liberum DEI decretum, utrum hic ſimplex actus, vel omiſſio actus ſit ſubjectio vel debita DEO obedientia vel non, ideoque quod inter ſimplicem actum & bonitatem vel malitiam interveniat liberum DEI decretum connectens illa inter ſe, mea eſt ſententia. *Non dicimus liberam DEI voluntatem eſſe regulam omnis rectitudinis moralis citra omnem reſtrictionem.*

Quid ſi audiatur *Durandus* hic. *De illis autem quibus prohibentur mala ſecundum ſe & non ſolum quia prohibita, hoc tenendum eſt in generali, quod ſi ab illis amoveri poteſt ratio mali, ipſa ſint diſpenſabilia. Si vero conditio apponens rationem mali non poſſet à talibus amoveri, non ſunt diſpenſabilia: talia autem videntur communia præcepta juris, utpote, quod non eſt in-* Durandus l. 1. diſt. 48. q. 4. n. 9. 10

justè agendum, & debitum non est subtrahendum. Ergo antecedenter ad DEI voluntatem, hoc non cadit sub decretum liberum DEI. *Non est offerenda violentia innocuo, non furandum, non mentiendum.* Attamen mutuari vasa aurea & gemmas Ægyptiorum & ea non reddere, Domino JEHOVA tollente proprietatem ab Ægyptiis & conferente in Israelitas, non est furtum, & res præceptæ sic sunt dispensabiles, & DEUS liberè decrevit, hoc non reddere, quo *Israelitæ* ab *Ægyptiis* mutuati sunt, esse furtum vel hoc reddere non esse furtum; vel non esse furtum, quod attinet ad materiam, attamen quia furari est essentialiter peccatum, iniquum est antecedenter ad DEI decretum furari, non minus quam creaturam non subjici Creatori, & DEO non obedire. Licet mihi dubium sit, an τὸ non furari inter homines sit jus fundatum in DEI *primitate*, independentia & supremâ potestate magis quam leonem agno surripere vi alimentum: mihi enim nullâ consequentia videtur hæc, DEUS est DEUS, & primus, independens & absolutè supremus. Ergo nisi prohibeat homines invitis hominibus vi surripere bona non potest esse DEUS, *Sic quædam* (inquit *Durandus*) *sunt affirmativa quibus præcipiuntur talia bona quæ non sunt necessaria fieri, nisi quia præcepta sunt, sicut dicere tales Psalmos in Ecclesiâ, vel extra. Et hæc sunt dispensibilia per eandem rationem,* &c. *Alia verò sunt præcepta quibus præcipiuntur talia bona, quæ secundum se sunt necessaria, vel debita fieri semper, vel loco & tempore, ut justè agere, diligere DEUM, honorare parentes & consimilia. Et inter hæc, si qua sunt talia à quibus amoveri potest ratio debiti, illa sunt dispensabilia: si qua verò sunt talia, à quibus non possit amoveri ratio debiti, illa non sunt dispensabilia. Et talia sunt universalia præcepta juris naturalis, utpote, quod est justè agendum. Sicut enim opposita principiorum universalium in speculativis non possunt esse vera, nec ea potest concedere aliquis sanus mente, ut est 4. Metaph.* (uti hæc totum non est majus parte, bis tria non sunt sex) *sic opposita principiorum universalium in practicis non possunt esse bona & licita nec iis tanquam bonis potest assentire aliquis sanus mente.* Unde de bonis in genere dicendum. DEO primo & independenti debita est necessario à creaturâ rationali subjicibilitas, & adorabilitas. At quod attinet ad oppositum hujus, id DEUS non potest decerne-

re.

Connexiones rerum essentialiter cohærentium non cadunt sub liberum Dei decretum sed actus obedientiæ in specie.

Polyander in dis. Anti-Socinia. dis. 14. th. 9.

Deum nulli legi externæ obnoxium asserimus, quia naturalis ipsius voluntas est prima ac summa justitiæ regula quæ legem ab aliis non accipit, sed iis tradit, omnimque proinde justarum legum ipsis hominum cordibus insculptarum, scripturis humanis configurarum est causa ac fons.

re. At verò in specie non est necessariò & immutabiliter ante omne liberum DEI decretum, debita DEO subjicibilitas & adorabilitas in reddendis *Ægyptiis* suis bonis quæ mutuati sunt ab iis *Israelitæ*: nec in mactatione filii unigeniti, vel non mactatione præstita ab *Abrahamo*. Unde docemus nos propositiones in principiis practicis non cadere sub liberum Divinæ voluntatis actum, sed esse necessariæ & sempiternæ veritatis, qualia sunt hæc. *Creaturam subjici Creatori æquum est, Creaturam rationalem obedire Creatori, Creaturam talem diligere & honorare aut adorare Creatorem, Eumq; pro vero DEO, primo efficiente, & ultimo fine agnoscere, pro summo bono, summo diligibili habere.* Ita ut contradictionem implicet DEUM oppositum posse decernere. Nam ut DEUS non potest liberè decernere hominem esse animal rationale, quoniam implicat contradictionem hominem non esse animal rationale, aut tale quid liberè à DEO decerni posse: ita non potest DEUS libero decreto tales connexiones veras facere: nam creaturam rationalem diligere Creatorem tanquam primum efficientem & ultimum finem, æquum est; si ponamus per impossibile nullum esse liberum in DEO decretum, & moralis rectitudo talium complexorum est simpliciter necessaria, & non esse æquum Creatorem ut summum diligibile à creaturâ rationali diligi, involvit contradictionem, & non potest DEUS imperare non dilectionem aut sui odium creaturæ rationali existenti rationali, nisi imperet peccatum, quod contradictionem involvit. At vero si termo sit de simplicibus terminis & actibus substratis morali rectitudini, sub liberum DEI decretum cadit, quod DEO subjici & obedire æquum sit in hoc vel illo actu obedientiæ vel subjectionis, putà, in jurando vel non jurando, in bonis operibus tanquam conditione fœderis gratiæ, non in fide, vel non in bonis operibus. Hoc est quod ait *Michael Salon. Jus naturale in aliquibus esse omninò immutabile ac indispensabile, ut in primis principiis, & quæ ex illis necessariò deducuntur, ut bonum est faciendum, malum est vitandum,* &c. Item. *Non furaberis, non occides,* &c. *Alia verò sunt velut in secundo gradu, non ita intrinsecè necessaria, quin per Divinam Ordinationem mutari possint. Grego. de Valentia* ait dupliciter considerari Præcepta Legis. 1. *Ut ea referamus ad actus de quibus præscribunt adæquatè, scil. secundum eas conditiones omnes, juxta quas*

Salon in 2. 2. Tho. q. 57. art. 2. ultimâ assertione. An jus naturale sit, &c. pag. 17, 18. Valentia to. 2. dis. 7. q. 4. de lege naturæ puncto 6.

quas illa cadunt in ipsa præcepta, & sic obligatio legis naturalis non removetur à totâ ejus materiâ adæquatâ. Et DEUS sic per potentiam absolutam non magis dispensare potest in lege naturali quam mutare decretum potest. 2. Potest DEUS dispensare in lege, ita ut removeat obligationem à materiâ ejus non adæquatè consideratâ secundum omnes conditiones, juxta quas ea cadit in legem naturæ, sed præcisè & inadæquatè consideratâ. —— Lex naturæ jubet non usurpare rem alienam invito Domino, Si jam DEUS authoritate suâ rem, quæ erat antea Petri, attribuat Paulo, sic, ut Paulus absq; transgressione legis naturæ habeat eam rem velut propriam, potest hoc secundo modo dici DEUS dispensasse in lege naturæ. Sed revera non est hæc propria dispensatio. Et *Suarez. Negare non possumus* (inquit) *DEUM aliquando efficere, ut actus illi materiales liceant, qui, alias non interveniente DEO ipso, & ejus potestate, licitè fieri non possunt.* Et ibid. *Quando materia præcepti talis est, ut honestas vel turpitudo ejus non pendeat ex dominio DEI, tunc non solum indispensabile, sed etiam immutabile est præceptum DEI, ita ut non possit ullâ ratione fieri licitum, quod prohibet.* Instantiam dat prioris *Suarez* in immolatione *Isaaci* mandatâ *Abrahamo*; nam DEUS ipse auferre vitam tanquam supremus Dominus potuit *Isaaco* per seipsum sine dispensatione; potuit *Abrahamo* mandare ut vitam auferret ex dominio transferente potestatem in ipsum interficiendi filium; posterioris exemplum est præceptum de non colendis diis pluribus.

Quid dispensatio.

Suarez de legibus li. 2. c. 15.

2. Illuminabile esse est DEO liberum, item & calefactivum esse, & rationale esse. Quia liberum est DEO creare Solem, ignem, hominem. Et solus Sol potentiam illuminandi habet, & solus ignis calefactivus. Quidni ergo colere DEUM, DEUM diligi à creaturâ rationali, liberum esse diceremus? quia liberum est DEO per creationem dare homini aut creaturæ rationali existentiam. Ergo consequenter quod creatura rationalis ex æquo DEUM colat & diligat, aut quod actu sit moraliter æquum quod creatura rationalis DEUM diligat, est hoc modo DEO liberum, quia quod creatura rationalis existat est DEO liberum. Quod mysterium *Bradwardina* profundus Scholasticus (si quis alius) expressit sic. (quia libet fortè non est obvius cuilibet lectori citabo pluribus.) *Tamen ut ista*

Suarez. Deum colere æquum sit, cadat sub liberam Dei voluntatem, quatenus non.

Bradward. de causâ Dei li. 1. c. 21.

magis

magis apparèant, est parum diutius immorandum: quædam enim sunt rationabilia priora (& moraliter bona) *naturaliter voluntate divinâ, ut DEVM esse, DEVM esse Æternum, Omnipotentem & similia, & hæc rationabilia & horum ratio, possunt, & potest movere voluntatem divinam. —— Alia sunt rationabilia posteriora naturaliter divinâ voluntate & dependentia ab illâ tanquam à causâ suâ, & nullum horum, nec ratio posterior alicujus istorum hanc movet aut determinat voluntatem. Imò quia vult DEVS sic fieri, rationale est, ut fiat sic, non è contra, sicut enim est de homine præferente unum duorum æqualium & alterum dimittente, in aliquo casu præmissorum: quia enim homo præfert istum, est rationabile hunc præferri: —— Præter hæc, videntur aliqua rationabilia mixta quodammodo ex utrisq;, sicut hanc creaturam subjici Creatori, & DEVM esse Dominum hujus rei. Non enim hoc est rationabile necessario & penitus absolutè, quia tunc præcederet voluntatem DEI naturaliter, & semper de necessitate absoluta sic esset, sed est rationabile conditionaliter, sive ex suppositione, videlicet, si ista creatura vel res existat, & ista conditionalis est rationabilis simpliciter absolutè, si aliqua creatura sit* (vel existat) *debet subjici Creatori, & ipse dominari illi, & prius Rationabile est naturaliter quam voluntas DEI sic velit, nec ejus ratio, seu rationalitas* (rectitudo moralis) *dependet ab ea* (libera DEI voluntate) *est enim aliqua prima ratio in Deo necessaria absolutè prior naturaliter voluntate* (DEI ipsius liberâ) *sicut forte DEVM esse, vel DEVM esse veracem seu veritatem, ex qua multa alia necessariò consequuntur; & sunt, ut æstimo, omnia illa quæ sunt necessaria absolute, ex antecedente enim necessariò tantùm necessarium necessario consequetur, & omne necessarium absolutè est primum necessarium vel necessario reducitur ad illud & necessario sequitur ex illo: Si enim sequatur ex illo, &. non necessario, hoc est per aliquod medium contingens, puta, per voluntatem Divinam, sed nihil dependens a causâ contingente, & liberâ, est necessarium absolutè: hæc igitur omnia necessaria absolutè, sunt similiter rationabilia absolutè. Si enim antecedens in consequentia necessaria est rationabile absolutè, & consequens similiter erit rationabile absolutè nec aliquo modo dependens a voluntate Divina, quoniam nec antecedens nec consequentia dependent ab ea, quæ nec consequens dependebit. Hæc igitur conditionalis, si ista creatura est, (existit) DEVS est Dominus ejus, est rationabilis absolutè, & prius naturaliter, quam voluntas DEI sic velit; sed exi-*

Quænam rationabilia & moraliter bona vel malà antecedant, quæ sequantur voluntatem, quæ vero sint.

sentia conditionis, scilicet, quod ista Creatura est, causatur & dependet a voluntate Divina & est rationabile (moraliter rectum) quod ista creatura sit, quia DEVS vult eam esse, non è contra; non enim fuit potior ratio quare voluit facere istam, & dimittere aliam possibilem æqualem huic per omnia, quam è contra. Quare videtur quod ista, (DEVS est Dominus hujus rei) sit rationabilis (& moraliter bona) mixtim quodammodo, ut est dictum; quod enim DEVS sit Dominus hujus rei, si hæc res sit, est rationabile simpliciter prius voluntate Divina, sed quod hæc res sit, causatur & dependet ab eâ, ideoque est rationabile posterius hujusmodi voluntate. Est autem adhuc pro secundo membrio istorum rationabilium, ulterius advertendum, quod quædam est ratio obligans, quædam proponderans, quædam vero congruens & concomitans: Ratio obligans est, quæ dictat quemquam debere, & teneri facere vel dimittere hoc aut illud, quam qui habet, & non sequitur ipsam, peccat, & talis ratio non est in DEO respectu volitorum posteriorum, sed est in nobis frequenter. Ratio autem præponderans, quæ dictat, quod melius esset facere hoc quam illud, vel quod melius esset hoc facere quam dimittere, & talis ratio non movet, nec concludit voluntati divinæ, nec eam determinat ad agendum: posset enim DEVS facere meliora, quam facit, & multa bona, quæ non facit, Ratio vero congruens & concomitans est, quæ dictat quod congruum est, & bonum facere aut dimittere hoc aut illud, & sic loquendo de ratione, DEVS vult rationabiliter quæcunque volita posteriora, & sic homo rationabiliter vult præponere, & præponit unum duorum æqualium, vel forsitan inæqualium minus dignum in aliquo casuum præmissorum. Si enim hoc fiat, congruum est & bonum, & talis ratio non obligat, nec determinat DEVM aut hominem, sed tantum sufficit ad volendum, homini tamen tutum est semper & sanctum, ut conformet voluntatem suam rationi præponderanti; ubicunque talem potest habere, & sic forsan intelexit Apostolus, nihil sine præjudicio faciat, ubi scil. Potest tale præjudicium præponderans vel etiam obligans reperiri. Ubi vero non potest, sicut est in prælatione unius duorum æqualium, sufficit pro ratione voluntas, aut saltem ratio congruens & concomitans, ut est dicta & de tali præjudicio posset similiter intelligi auctoritas memorata. DEVS autem non potest sequi per omnia rationem præponderantem, nisi faceret omnia possibilia, & horum quodlibet infinitum, quod contradictionem includit, ut alibi est ostensum. Sufficit igitur sibi in talibus pro ratione voluntas vel saltem ratio congruens & prætaxata.

Triplex ratio quæ concipi potest ut movens Dei voluntatem, 1. Obligans 2. Præponderans, 3. Congruens. Sive concomitans secundum. Bradwardinum.

Ex

Ex hisce videmus enodationem illius dubii, an omnis rectitudo moralis creata, sit à libero DEI decreto. Ubi notandum aliud esse, Æquitatem moralem esse à DEO, aliud à libero DEI arbitrio & decreto. Nam (quod non sit peccandum æquum est) à DEO, non à libero DEI arbitrio est.

Assertio 1. Aliud est rectitudo moralis simplex quæ adhæret actui entitativo: aliud vero rectitudo moralis complexa resultans ex compositione vel divisione. Nam æquitas adhærens actui entitativo diligendi DEUM est simplex æquitas. Uti iniquitas adhærens actui entitativo odio habendi DEUM est simplex anomia & illegalitas. Dices non distingui, actum odii DEI entitativum, & ἀνομίαν vel malitiam actus. Respondeo, realiter fortè separari non possunt, sed distinguantur necesse est. Quoniam DEUS est Author & efficiens per se & causa actus entitativi in odio DEI, sicut est author actus entitativi manducandi fructum arboris scientiæ; est enim causa & author omnis entis positivi & omnis actionis physicæ. At vero DEUS nec author nec causa est malitiæ in odio DEI. 2. Demonstrat *Bradwardina* omnem actum esse bonum. Et sic quidem, *Amplius autem videtur, quod nullus interior actus per se malus sit, quia nec blasphemia nec odium DEI quod potest ostendi, sicut & de actibus exterioribus est ostensum in Morionibus & etiam furiosis: & quia quilibet talis actus est quædam naturalis perfectio talis potentiæ naturalis. Præterea intelligere & velle sunt operationes diversæ. Ponatur ergo quod DEUS creet aliquam naturam quæ possit liberè velle & nolle, & facere cætera opera voluntatis, & non intellectualiter nec rationabiliter judicare, sed simpliciter comprehendere sicut bruta, tunc talis natura blasphemando, vel odiendo DEUM non peccaret, quia non faceret contra judicium seu regulam actus. Tales actus ergo non sunt per se (intrinsecè) mali.* Fateor me dixisse DEUM potuisse imperare vel vetare odium sui hominibus, quod fortè fœlicius alio modo exprimi potuit: sed sumo τὸ odisse DEUM in physicâ & entitativâ consideratione, non formaliter prout includit & actum entitativum & malitiam. Sic enim loquor. *Nam hæc omnia in physicâ consideratione, sunt neq; bona neq; mala, & amare Deum physicè est adiaphoron, & moraliter bonum, quia à DEO jubetur.* Sed quâ lege à DEO jubetur (inquies) actus entitativus amandi

Actus entitativus qui subest vel subterrepit odio DEI, & anomiæ seu malitiæ actus distinguuntur.

Bradward. de causâ Dei l. 1. c. 26

Retorsortis in exercit exc 2. c. 3. pag. 338

amandi DEUM, & vetatur actus entitativus odio habendi DEUM. Respondeo. Lege concreatâ naturæ rationali, non lege datâ homini jam in esse naturali & completo creaturæ rationalis creato, (sicut data est lex de non vescendo fructu arboris scientiæ *Adamo* jam creato & audienti & actu intelligenti verba interdicti, *Non comedes*, &c.) nam quando DEUS creavit hominem (liberè autem creavit) eodem libero actu creandi, & non alio, sed eodem actu quo animal rationis particeps creavit, etiam creavit seu potius concreavit communia principia practica & legem naturæ de creaturæ rationalis naturali concreatâ & coinsculptâ obligatione ad DEUM supra omnia diligendum, colendum, obediendum in omnibus, etiam de non vescendo fructu arboris scientiæ ex hypothesi quod DEUS tale interdictum legale, revelaverit, & de immolatione *Isaaci*, si DEUS positivè tale mandatum imposuerit *Abrahamo*, & de subjectione *Nebuchadnazero*, si DEUS per Hieremiam id imperaverit, de servandis omnibus ceremoniis divinis quas in utroque Testamento injuncturus est. Unde sicut liberum fuit DEO creare hominem, liberum fuit hoc modo concreare Legem DEI naturalem & jubere tales actus, ut si à liberâ *Dei* voluntate est quod crearetur Sol, etiam originaliter est ab eo quod crearetur corpus illuminativum. Et quod crearetur ignis etiam & elementum calefactivum: & supposito quod creatus sit homo, vel ut sit, ut ait *Bradwardina*, non potest fortè non creare simul cum homine legem & obligationem naturalem diligendi DEUM supra omnia. Hoc etiam determinare nolui, neque disputare an obligatio colendi Deum necessario concreata sit creaturæ rationali: Ut pa. 360. *Nam non queritur an æquum sit ab æterno quod homo coleret DEVM, & an Deus istud vellet, quoniam est æquum* (ab æterno uti jam opinor, & ante omne liberum DEI decretum) *sed si τὸ colere DEVM separari posset quoad æquitatem obligationis naturalis a natura creaturæ rationalis tum dico fieri posse, si DEO ita visum fuisset, ut æquum non sit ut creatura rationalis coleret Creatorem. Est enim a DEI libertate quod creatura rationalis sit, est ab eâdem, quod cultus DEI sit, quamvis ut DEVS sit, non sit a DEI libertate.* Interim tamen tota hæc necessitas jubendi vel imperandi actum entitativum, amoris aut odii Dei, est ex hypothesi, quod hæc obligatio includatur quidditate creaturæ rationalis, at a

libertate

libertate Dei omninò dependet quod extiterit in rerum naturâ ulla creatura rationalis qualis est homo. Ergo quod homo existat, est à Dei voluntate liberâ per *rationem congruentem & concomitantem.* Poterat ergo Deus creasse vel non creasse hominem. Ergo originaliter & causativè est à libertate Dei, quod extiterit in rerum naturâ talis rectitudo moralis, quæ resultat ex actu entitativo amoris Dei, vel non extiterit. 2. Quoniam odisse Deum ex se, si separetur à creaturâ rationali, in suo actu entitativo & physico non est malus actus per se, ut probat *Bradwardina*; & Li. c. 26.
potest fieri in aliâ creaturâ, quam Deus creare potest, distinctâ natura forte ab homine, citra omnem malitiam: ut si Deus crearet creaturam voluntate præditam, cujus voluntas aversa esset à Deo ut summo diligibili, & tamen hæc creatura vice & loco cognitionis intellectualis haberet cognitionem tantum sensitivam qualis est in brutis animantibus, ea creatura odio haberet Deum & non peccaret, quoniam carentia intellectualis cognitionis redderet illud odium Dei actum invincibiliter imperfectum, utpote qui non feratur in summum diligibile, & tamen non esset ille actus contra legem concreatam homini; ideoque neque peccatum, nec esset talis creatura rationalis. Ergo quod hic simplex actus entitativus odii Dei, esset malus, dependet à liberâ Dei voluntate. 3. Adhuc cupio mihi responderi quænam aut qualis oppositio sit inter actum entitativum odii Dei, imò inter ullum ens creatum & Deum, aut quæ convenientia propriè dicta inter actum entitativum amoris Dei aut inter ullam rem creatam & Deum. Certè Deus Author, Causa & Creator est omnis actus entitativi, & actus entitativus odii Dei ut contradistinctus à malitiâ est actus positivus, quia est essentialiter liber. Non ergo potest aliqua repugnantia intercedere inter Creatorem & creaturam, causam & effectum. Deus enim nihil sibi repugnans creavit, & quoniam peccatum Deo repugnat, Deus peccati non est author, non est causa.

Aller. 2. Rectitudo moralis complexa est illa rectitudo quæ est ex connexione terminorum attributi cum subjecto. Estque vel purè necessaria, quando uterque terminus est Deus, aut aliquid Dei, ut. *Deus est. DEVS est infinitè bonus, DEVS est independens, infinitè perfectus, sapiens, &c. DEVS est unus & trinus.* Hæc rationabilia vocat *Bradwardina antecedenter ad DEI voluntatem & naturaliter.* *Rectitudo quædam moralis est antecedenter ad liberam DEI voluntatem & qualis.*

turaliter. Rectitudo hæc moralis fluit ab ipsa naturâ DEI, non à liberâ ipsius voluntate, & quoniam fundamentum & lex credendi hujusmodi propositionibus, est ipsa veritas objectiva propositionum, nec est libera DEI voluntas propriè causa cur DEUS fidem haberi talibus mandat, ideo rectitudo moralis in hisce à nobis creditis est originaliter à DEO. Nam credimus DEUM esse infinitè bonum, potius quoniam ita est, quam quia DEUS libere mandat ut id credamus, aut saltem Deus mandat ut credamus DEUM esse, &c. Quia revera Deus est talis in se, nec credendum est nobis, Deum esse talem in se, quoniam ita Deus mandavit, quasi Dei mandatum esset causa originalis illius rectitudinis moralis quæ est in actu credendi, sed quia conformitas revera est inter objectum seu rem creditam & fidem, nec enim potest Deus mandare ut credamus oppositum, aut rem ita esse habere, cum non ita sese habeat. Neque mihi unquam visa est illa ad hanc controversiam quæstio necessaria satis, an Deus sui odium imperare, sui amorem vetare queat? Nam reducitur ad illam quæstionem an creaturæ rationalis quidditate includatur moralis adhæsio Deo Creatori. At sive affirmativè sive negativè teneatur, salva manet quæstio, *an liberum Dei beneplacitum sit Regula prima omnis creatæ Rectitudinis moralis.*

Assert. 3. Est Rectitudo moralis resultans ex connexione terminorum mixta, quando alter terminus est Deus, vel aliquid Dei, alter ens creatum. Ut in hâc propositione, *æquum est creaturam, subjici Deo*, rectitudo (inquam) hæc moralis antecedit naturaliter Dei liberum decretum, sive sermo sit de subjectione Physicâ quâ creatura habet dependentiam naturalem à Creatore, uti illuminatio dependet à Sole, sive de subjectione morali quâ creaturam rationalem in genere operationum moralium dependere à Deo in ordine ad legem, æquum est, licet prior dependentia non gignat moralem, de quâ nunc loquimur, rectitudinem. Sic æquum est creaturam rationalem obedire Deo, bene agere, non peccare in Deum. Unde rectitudo simplex amoris Dei potest pendere à libertate Dei, quia hic distinguere licet inter actum entitativum & bonitatem in bonis, & actum talem & malitiam, in malis. Attamen rectitudo moralis resultans ex connexione terminorum, naturaliter antecedit liberum Dei actum; quia sicut propositio est necessaria & æternæ veritatis, ita & rectitudo moralis est necessariæ &

æternæ

æternæ veritatis. Non enim veritas hujus, (*est moraliter æquum creaturam obedire Creatori*) neque hujus. (*Moraliter æquum est hominem non peccare in DEUM*) dependet à voluntate liberâ Dei: sed nec potest Deus hic decernere oppositum, nempe, (*non æquum esse creaturam obedire Creatori.*) Sicut Deus decernit liberè animalis rationalis existentiam, & potest decernere non existentiam ejus, at non potest liberè decernere hominem esse animal rationale. Quoniam nullum ens necessariò semper tale, aut simpliciter necessarium est objectum divini decreti liberi. Deus itaque nec potest decernere adulterium esse peccatum, homicidium & crudelitatem esse in Deum rebellionem & peccatum, manducationem arboris vetitæ, si jam vetita est, esse transgressionem, hæc enim omnia essentialiter & intrinsece sunt peccata. Essentialis enim est nexus, nulla autem, per liberam Dei voluntatem, connexio, inter subjectum & atributum. Et ratio sempiternæ & naturaliter prioris liberâ Dei voluntate veritatis in hisce est à naturâ Dei, potius quam à creaturâ, quoniam debita est Deo, quoniam Deus est, infinitus, independens, sapiens, justus, à Creatura rationali obedientia, & moralis subjectio, non quoniam Deus est agens liberum.

Assertio 4. At vero ubi est connexio inter subjectum & attributum per liberam Dei voluntatem, & tum subjectum tum attributum sunt entia creata, quæ non necessariò cohærent, tum moralis nulla rectitudo est bona vel rectitudo moralis nisi in ordine ad liberam Dei voluntatem: qualis rectitudo est in hisce. *Actus adimendi vitam est homicidium. Vi auferre bona invito justo possessore est furtum.* Est enim à solâ liberâ Dei voluntate quod actus adimendi vitam sit homicidium: potest enim esse actio justissima, si *Saul Amalecitas* interficit jussus à Domino. Sic *Bradwardina. Hic autem potest responderi per omnia, de justitiâ sive justo, sicut de ratione & rationabili superius est responsum, & sicut rationabilia sunt ibi divisa, sic possunt & hic justa. Quædam enim justa priora naturaliter voluntate divinâ, nec dependent ab eâ, ut DEUM esse, DEUM esse Æternum, Omnipotentem & similia, & hæc justa & horum justitia, benè possunt & potest movere DEI voluntatem, ad volendum. Alia verò sunt justa posteriora: alia verò mixta, sicut de ratione, & aliis erat dictum, legalia quóq; ac leges similiter dividuntur.*

Bradward. de causâ Dei c. 21. *Justa etiam triplicia sunt juxta Fradwardinum 1. Quædam justa priora naturaliter divina voluntate. 2. Quædam posteriora. 3. Quædam mixta.*

mixta forsan sunt talia, bonos præmiari & malos punire & similia. Et sicut in alio genere est aliquod proprium & primum principium per quod cætera regulantur, sicut præcedentia docuerunt. Sic in genere legalium & justorum est necessariò aliqua prima lex, & justitia quæ est prima regula & primum principium à quâ vel à quo originaliter omnia alia legalia, & justa sequentia derivantur, & in omnibus diriguntur. Hoc autem principium proprium videtur infallibilis veritas divinæ essentiæ, cui velut immobili fundamento omnia judicia justitiæ innituntur. Quod ille David, testis veritatis eximius, videtur testari, cum dicit principium verborum tuorum veritas: in æternum omnia judicia justitiæ tuæ, Psal. 118. *Quare & ab isto principio tota lex veritas nominatur, supra eodem, lex tua veritas. Hæc autem prima justitia est, justa per se & primò & necessariò & penitus absolutè, nullo modo dependens à voluntate divinâ, sed naturaliter prior eâ. Ex hoc autem primo justo multa alia justa necessariò consequuntur à DEO, vel homine qualicunque: quorum etiam opposita sunt injusta necessariò absolutè, quod ostendi potest, ut supra de rationabilibus. Et cum istis justis aut injustis non potest DEUS nec homo in minimo dispensare, sicut nec mutare necessarium vel impossibile absolutè. Hæc autem non subsunt voluntati divinæ, nec hominis quovis modo, sicut nec antecedens nec consequentia à quâ & per quam ab illo justissimè consequuntur, cujusmodi sunt, creaturam, si sit, subjici Creatori, & beneficiatum teneri benefactori DEO saltem: nullum debere peccare, & sicut forsitan est, nullum debere quicquam facere contrà conscientiam propriam: ---- Hæc autem sunt jura naturalia simpliciter, quæ in ipsâ naturâ naturante immobiliter sunt fundata: ex hâc autem primâ regulâ omnium legalium & justorum multa alia legalia & justa sequuntur, non necessariò ut priora, sed liberè & contingenter, quia per medium liberum & contingens, scilicet, per voluntatem divinam, & hæc sunt omnia legalia temporaliter instituta. Unde* Augustinus 1. de lib. arb. 13. *Distinctâ duplice lege ait nihil esse justum atque legitimum, quod non ex hâc æternâ sibi homines derivaverunt. Quare &* Hugo 1. de Sacram. 4. part 1. *Loquens de voluntate divinâ, sic ait, secundum eam justum est, quod justum est, quod utique justum non esset, si secundum eam, justum*

non

non esset. Cum ergo quæritur quare justum est, quod justum est? convenientissimè respondetur, quia secundum voluntatem DEI est, quæ justa est, Cum autem quæritur, quare & ipsa justa est? hoc sanius respondetur, quoniam primæ causæ nulla causa est, cui ex se est, esse quod est: hæc autem sola est, unde ortum est, quicquid est, & ipsa non est orta, sed æterna. lb. *Justorum quoddam sequitur necessario ex suppositione, & inseparabiliter naturam creatam, ut hominem esse rationalem, omnes homines esse similes in specie: & totum esse majus suâ parte, & sic de similibus & istud est jus naturale simpliciter naturæ creatæ, & omnino necessarium, cum quo nec DEVS, nec homo naturalis dispensare potest, stante tali naturâ creatâ. Quoddam vero sequitur naturam creatam, non omninò necessariò, sed in majori parte, quod quasi omnes & ubiq; faciunt instinctu naturæ, non constitutione humanâ, cujusmodi sunt. Hoc quenquam facere alteri, quod sibi vult fieri, & similiter negativè: prolis dilectio & ejus educatio, benefactorum retributio, violentiæ violenta repressio, fidei servatio, —— & cum isto jure naturali ex causa potest dispensari: talia enim naturalia, secundum philosoph. Physicor. 2. Semper vel in majore parte uno modo se habent, sed quandoq; & in minore parte deficiunt. —— Adhuc est quoddam jus à primâ justitia regulâ, non necessariò sed liberè derivatum, quod neutro istorum modorum est naturale, ad quod scilicet antequam statuatur, non est fortior ratio pro, quam contra, & tale est jus merè positivum & legale. —— In talibus Epieikeia (dispensatio) pluries locum habet.*

Asser. 5. Moralis hæc rectitudo resultans ex connexione terminorum quoties *DEUS* aut aliquid *DEI* est terminus immediatus, uti in hac (*æquum est Creaturam subjici & obedire Creatori*) non est omnimoda Creata rectitudo moralis nec omni modo creata illa æquitas residens in creaturis, de qua præsens institutio est diatribe, & quam *Calvinus* & nostri intelligunt, quoties dicunt, *aliquid esse justum quia DEVS id vult, non è contra* ita piè *Calvinus* pro suo more. *Adeo enim summa est justitiæ regula DEI voluntas, ut quicquid vult, eo ipso quod vult, justum habendum sit. Ubi ergo quæritur cur ita fecerit Dominus, respondendum est quia voluit; quod si ultra pergas, rogando cur voluerit, majus aliquid quæris & sublimius*

Increata est ex parte illâ rectitudo mixta quæ prior est liberâ DEI volunate. Calvinus institut. l. 3. c. 3. sec 2. Augustin. lib. 1. de Gen. contra Manichæ. c. 3.

mius DEI voluntate, quod inveniri non potest, & hoc habet ex Augustino. Addit tamen ibid. *Neque tamen commentum ingerimus absolutæ potentiæ, quod sicuti prophanum est, ita merito nobis detestabile esse debet: non fingimus DEVM exlegem, qui sibi ipsi lex est; quia (ut Plato ait) lege indigent homines qui cupiditatibus laborant; DEI autem voluntas non modo ab omni vitio pura, sed summa perfectionis regula, etiam legum omnium lex est.* Nostra autem sententia, ut & *Calvinus*, non est rectitudinem omnem moralem, sed (ut expressi) *omnem Justitiam moralem ad creaturas relatam à DEI beneplacito regulari.* Et illud *Cameronis* impugnavi, & etiamnum impugno. *Si enim* (inquit) *DEVS naturali atque immutabili propensione in sui amorem inclinat, consimili prorsus effectu imaginem sui complectetur.* Nam 1. Justitia moralis (de qua loquimur) relata est ad creaturas, id est, prorsus creata est justitia. Hæc vero justitia mixta (ut vocat *Bradwardina*) non est prorsus creata. Quia ratio essentialis hujus (*æquum est creaturam subjici & obedire Creatori*) item. (*Bene faciendum vel benè agendum*) (*non est peccandum in DEVM.*) Non est tota in creatura, sed maxima ex parte in Creatore. Quia enim Deus est Creator infinite bonus, sapientissimus, justissimus, *&c.* Ideo ei, qua Deus, debita est omnis subjectio tum naturalis tum moralis, & omnis obedientia, nec est offendendus, neque in eum peccandum, quia non tantum nos sumus Creaturæ, sed quia potius ille est Deus, qui non potest non imperare omne bonum, vetare omne malum, quia enim Deus est essentialiter justus & bonus, repugnat eum Deum esse, si non bonum sit omne quod imperat & malum quod vetat, ideoque bonum facere, & nolle facere malum, nolle peccare, subjici creaturam Creatori, non cadunt sub liberum Dei decretum. Hæc enim Deus imperat & vetat qua Deus, non qua liber legislator. (2.) Quando dicimus (*æquum esse creaturam subjici Creatori*) vel est sermo de aptitudinali & fundamentali subjectione, quâ omnis creatura potest & ab æterno potuit subjici *Creatori*, vel de actuali & formali subjectione qua æquum est ut creatura actu obediat Creatori. Priore modo, Subjectio aptitudinalis est tantum non repugnantia obediendi: & non est inde ulla formalis creata rectitudo moralis, nam sic, hoc posito, quod Deus nihil extra se creasset, neque ulla unquam extitisset in rerum naturâ creatura, hæc

Excercit. 2. c. 3 pagi. 349. num. 9.

Ibid. pagi. 347. num. 23.

Camero in Miscell. to. 3. pag. 575. vel in alia edit p. 530. prælect in Mat 16.

hæc objectiva non-repugnantia obediendi Deo fuisset ei debita, quoniam est Deus. Iterùm æquum est creaturam actu Deo subjici & obedire, hoc ipso quod Deus sit causa prima & Creator, & creatura effectus & creatura Dei. Sed quoniam hæc rectitudo moralis in genere est à Deo qua Deus est, tota quæstio est unde aut à quâ causâ sit quod hic actus entitativus de se indifferens, (omnis enim bonitas & malitia in genere morum fundatur in actu entitativo in genere naturæ, & omnis privatio moralis & anomia in actu) sit bonus aut malus. Certe nullus actus entitativus simplex est per se malus, sicut nulla visiva facultas est per se cœca, & omnis actus entitativus mihi videtur indifferens & esse bonus vel malus à Dei voluntate creatrice omnis moralis rectitudinis primè creatæ. Unde semper tenendum bonum morale & obedientiam in genere non posse non mandari à Deo, at quæstio semper manet, unde sit quod hic actus sit bonus, ille malus. Si loquamur de justo naturali, Deus necessariò, non liberè illud vult, non potest creare creaturam rationalem, quin hoc ipso quod creat, necesse est etiam creet eam præditam moràli obligatione præstandi obedientiam naturalem *DEO Creatori*, ut sæpe dictum; sed est aliud *justum legale* distinctum, ut observat *Bradwardina*, à justo naturali, & justi legalis, ut & obedientiæ legalis ratio subjicitur libero Dei decreto. Unde potest homo necessariò obligari ad obedientiam & subjectionem Deo præstandam in genere *v. g.* ad obediendum Deo, ad bene agendum, ad colendum, timendum, diligendum supra omnia unum verum Deum, ad non blasphemandum, non odio habendum Deum. Attamen non obligatur ad hanc vel illam speciem. Nempe, non ei incumbit naturale jus hoc ipso, quod sit creatura rationalis ad obedientiam legalem prout à naturali distinguitur præstandam *v. g.* ad non manducandum fructum arboris scientiæ, ad reddendum Ægyptiis mutuum, si Israelitæ sint demigraturi ex Ægypto. Neque aliquis excipiat, *nisi aliqui actus in specie & forma designentur, per quos & in quibus homo necessario teneatur obedientiam suam exserere, sequeretur tum nullum esse necessariam obedientiam (genus enim nihil aliud est quam sua species realiter scilicet) & quicunque actus obedientiæ ponantur, pariter posset dici DEUM habere se ad illos æquè ac ad alios liberè antecedenter, ut posset eos velle ac nolle, velle eos præcipere aut non præcipere aut contrarium*

De causâ Dei l. 1. c. 21. litera d. 23.

Necessitate naturæ Deus (si quid imperet aut prohibeat) non potest non imperare bonum, prohibere malum, at hinc minimè conficitur, quod hoc vel illud in specie quod imperatum aut prohibitum est non sit tale quod à libera ipsius voluntate habeat quod sit justum, non à naturali Dei

contrarium præcipere, e. g. ut homo DEUM non cognoscat, nullam habeat vel retineat conscientiam naturalem, odio habeat DEVM, diabolum adoret. Quia obligatur homo qua creatura Rationalis & ad obedientiam in genere & ad obedientiam in specie, nempe naturalem hanc Deo præstandam, ad Deum diligendum, ad unum verum Deum timendum, diabolum non adorandum, ita ut Deus non potuerit contrarium præcipere. At qua creatura rationalis non tenebatur sic ad omnes obedientiæ species, nempe & naturalis & legalis Deo præstandas. Nam potuit Deus creaturæ rationali quicquid legaliter justum est præcipere, vel non præcipere, vel etiam contrarium. *Genus nihil aliud est realiter quam sua species*, animal est realiter homo & brutum prout actu existunt, & obedientia est realiter hæc obedientia. At non sequitur, quoniam creatura debeat necessariò Deo obedientiam, quod debeat etiam necessariò aliam quam libera Dei voluntas imperet.

Objiciunt quidam. Stante nostrâ sententiâ, *nullum esse Atheismum, Epicureismum, Diabolismum, magiam, odium, & abnegationem DEI, blasphemiam, &c. quem DEVS non posset liberè velle mandare. Siquidem omnia illa solummodo à libero DEI decreto & mandato dependeant ut in hanc vel illam partem voluntate signi & mandati à DEO determinatâ proponantur. Consequenter hinc inferretur DEVM, si vellet, posse esse authorem aut approbatorem inobedientiæ. Nulla enim est obligatio in homine, nec jus obligationis in DEO quod necessariò & antecedenter ad DEI voluntatem ac legem hoc impedire posset, secundum Adversarios.*

Respondeo. Si tales consequentias probarent ex nostrâ sequi sententiâ, ego ei nuncium mitterem. Concedimus enim justum esse primum aliquod & essentialiter quod est naturaliter prius libero decreto DEI. *Hæc autem justa* (inquit *Bradwardina*) *non subsunt voluntati Divinæ, nec hominis quovis modo*, quoniam impedit jus naturale in DEO quo minus id quod essentialiter malum est, imperare queat. Deinde, illi qui simpliciter negare videntur justum esse aliquid, quia DEUS id velit, & DEUM id non velle, quoniam justum est, Dicerent etiam DEUM non posse vetare redditionem mutui, quod tamen vetare potuit, *& tamen vetaret inobedientem obedientiam*, uti hi authores volunt, nam ut actus entitativus qui subest odio Dei per se non est peccatum, sed fundamentum physicum malitiæ,

Bradward. lib. 1. c. 21. liter. c. pag. 233.

malitiæ, non ipsa malitia, quæ duo, ne quidem *Vorstius* negat esse in omni peccato. 2. Est actus non privatio inesse debita actioni; actus enim & privatio non possunt esse idem per ullam logicam. 3. Actus est à DEO effectivè ut ab authore, nullo modo malitia in odio DEI. Ergo antecedenter ad DEI liberam actionem creandi creaturam rationalem, potuit DEUS mandasse illum actum entitativum qui subest odio DEI, poterat (inquam) illum mandasse alteri creaturæ speciê naturâque ab homine Angeloque distinctæ, nec fuisset in illo casu peccatum, magis quam manducatio arboris scientiæ est peccatum antecedenter ad liberum DEI interdictum. Alia fateor est ratio Atheismi. Nam nulli creaturæ potest DEUS mandare ut crederet falsum, aut Deos esse plures, aut Diabolum esse *Deum*, quia tales propositiones intrinsecè involvunt contradictionem; nam involvit contradictionē *plures esse Deos, Diabolum esse Deum, Deus* autem uti contradictoria non potest efficere ut sint simul vera, non ex impotentiâ, sed quoniam est prima veritas, ita non potest mandare ut ulla creatura id credat esse, quod simul non est. Nec mihi aliud, in totâ hâc disceptatione, prius in votis est, quam ut DEO deferatur laus & gloria omnis creatæ bonitatis, & ad scabellum throni DEI jaceat omnis creatura, Homo, Angelus, & quicquid creatum est.

Vorstius in notis de DEO disp. 7. ad thes. 4. pa. 376.

Quicquid est positivæ entitatis in peccatis, id a Deo est tanquam a principio universali omnium actionum & motuum.

Assertio 6. At vero justitia punitiva, per hæc quæ dicta sunt, nullo modo DEO inest ex necessitate naturæ, sed liberè. Nam inter multa quæ adfert *D. Tuissus* argumenta, hoc mihi ἄλυσον est. DEUS ex justitiâ punitivâ Filium suum innocentem *Dom. J. Christum* in æternum adorandum morti dedit, & potuit non addixisse morti. Nullâ enim necessitate naturæ DEUS Filium morti addixit, quia sic DEUS non fuisset DEUS, si Filium morti non addixisset, quod absurdum, nam ex gratuito amore morti Filium tradidit, *Johan. 3. 16 Rom. 8, 32.* Nec respondent qui dicunt *CHRISTUM non fuisse innocentem, sed peccatorem imputatione, & factum pro nobis peccatorem*, 2 Cor. 5. 21. *Et necesse esse peccator, vel in se suâq; personâ peccati pœnas luat, ex essentiali DEI justitiâ, vel in fidei justore.* Nam verè CHRISTUS & intrinsecè innocuus erat, nam intrinsecè peccator non erat; nulla enim physica, nulla moralis macula peccati inerat CHRISTO quâ intrinsecè peccator esset, sicut fidei justor non est intrinsecè & formaliter debitor; neque enim æs alienum contraxit,

D.D clari. Tuissus in vindiciis gra. contra Armini. li. 1. par. 3. sec. 4. digres. 1. pag. 227, 228.

Deum nulla naturæ necessitate, sed libere punire peccatum

neque profusè decoxit, est tamen debitor, sed non intrinsecè, non formaliter, non per inhærentiam physicam, sed legaliter, id est, lege Societatis civilis vel Regis, sed an necessitate naturali aut impetu naturæ, ita ut societas illa vel magistratus in justitiam peccaret, si nullam talem legem ferret? minimè verò: illa vero lex quâ fidei jussor sit loco debitoris est liberum decretum societatis vel magistratus. Sic liberâ DEI æstimatione *CHRISTVS qui violentiam non fecit, & in cujus ore non fuit dolus*, Esa. 53. 9. Joan. 8. 46. Heb. 7. 26. Joh. 5. 30. qui nunquam peccavit, fuit peccator, & punitus fuit ac si esset peccator. Sicut ergo nullâ necessitate naturæ, sed lege suâ, id est, libero decreto, quo oppositum statuere potest, magistratus cogit fidei jussorem persolvere æs alienum quod ipse non conflavit, quia est debitor per solam imputationem; ita DEUS ex justitiâ CHRISTUM punit, nullâ necessitate, sed liberè. Ergo DEUS aliquem qui est intrinsecè innocens punivit ex justitiâ suâ; attamen liberè non necessitate naturæ. Et confirmatur, quoniam imputatio peccati CHRISTO nullam naturalem, sed merè hypotheticam necessitatem ferendi supplicium, aut pœnas alieni peccati luendi imponere potest; at nos facile damus, ex hypothesi quod DEI decreto CHRISTUS fidei jussor pro nobis semel factus sit eum non posse non plecti à DEO sed tamen liberè, uti DEUS mundum condidit, ex merâ libertate, tamen necessario etiam, ratione immutabilitatis, postquam DEUS semel mundum creare decrevit. Non enim fieri potest ut actio libera imponat DEO necessitatem naturalem aut physicam aliquid faciendi. Nec necesse est *DEVS* plectat peccatorem in suâ personâ ex necessitate naturæ, quoniam si naturæ necessitate punit *DEVS* peccatorem, pœna ei debita necessitate naturæ non est transferibilis in alium. Quia hoc ipso quod potest *DEVS* pœnam *Petro* debitam in CHRISTUM transferre, libere punit *Petrum*, non necessitate naturæ, quia non punit *Petrum*, sed CHRISTUM pro *Petro*. Et hoc ipso quod puniat *Judam proditorem*, & *Pharaonem Tyrannum*, cum potuerit pœnas Proditori & Tyranno debitas transferre in CHRISTUM, siquidem liberè & gratuitò illos ad æternam gloriam, uti potuit, elegisset, non punit *Pharaonem* & *Judam* necessitate naturæ, sed libere. Sed nec necessitate naturæ punit sub disjunctione omnes peccatores vel in suis personis, vel in fidei jussore CHRISTO, quia potuit punire, si vo-

Hoc ipso quod Deus potest libere transferre pœnam peccatoribus debitam in fidei jussorem, necessario sequitur, DEVM nulla naturæ necessitate, sed libere punire peccatorem, sive sit intrinsecè, sive sola imputatione peccet.

si voluisset, omnes in suis personis, neque Filium in mundum mittere; fœdus enim operum fuit justissimum; Ergo illud exequutioni mandare potuit in omnibus & singulis peccatoribus: & potuit etiam neminem ex mortalium numero in æternum puniisse, sed solum fidei jussorem Christum pro omnibus & singulis punire, Quoniam gratuito favore & ex libero beneplacito quosdam punit in Christo, quosdam in suis personis; Ergo potuit Christum pro omnibus & singulis punire: nam quam gratiam quibusdam gratuitò præstat, eandem omnibus & singulis præstare potuit, quod enim Deus facit necessitate naturæ, & ex debito naturalis justitiæ, ejus oppositum Deus nec facere potest, nec illud ipsum omittere potest.

2. Sicut Deus liberè miseretur quorum vult, quia nemini obligatur, aut quicquam debet, attamen misericordia est Deo essentialis, ita nec Deus debet peccatori necessitate naturæ pœnam; Quamvis ergo homo debeat Deo obedientiam aut vicariam compensationem per pœnam necessitate decreti; tamen qui dicunt Deum necessitate naturæ debere bonum justitiæ punitivæ universo, quod si non daret, non esset Deus, ii indirectè negant Deum esse.

3. Qui docent peccatum mereri pœnam ex necessitate Divinæ naturæ citra interventionem liberi Dei decreti, ii simul docent Deum non posse homini prohibere peccatum, quin necesse sit prohibeat sub pœnâ æternæ mortis; quasi vero, cum Deus adulterium, furtum prohibeat in foro humano, ea prohibeat cum moderamine pœnæ, nempe quod furtum non morte sed quadrupli restitutione plectatur, non possit ea prohibere nullâ pœnæ sanctione, & cum ea plecti jubeat ab hominibus, quia peccata sunt, cur non possit pari ratione in foro suo interno & moderari & omnem suspendere pœnam & eadem tamen delictâ prohibere. 2. Ii doceant necesse est, Deum non fore Deum, si peccata prohibeat, & non eadem sub pœnâ æternæ mortis prohibeat, quod Dei naturam coarctare est. 3. Contradictionem implicare volunt, prohiberi manducationem arboris scientiæ & non prohiberi sub pœnâ æternæ mortis, quasi vero, cum homines ferant leges non pœnales, *v. g.* de præmio conferendo ei qui publicum nobilemque latronem confixerit, nullâ sanctione pœnæ, desinant esse homines justi. at vero Deus

desineret esse DEUS justus si vetasset *Adamum* vesci arboris scientiæ, additâ nullâ pœnâ, sed promissione, fore ut, si abstineat, gratiâ confirmante in præmium obedientiæ donetur. At quænam in tali lege contradictio? *At non est peccatum, si non meretur æternam pœnam*; at regero est peccatum, neque hoc gratis asserere, CHRISTUS enim omnes justificatos in hâc vitâ à pœnâ æternâ peccati vindicat per imputationem suæ justitiæ, at manet in justificatis peccatum, quoad essentiam integram peccati, *1 Joan.* 1. 8, 9, 10. *Prov.* 20. 19. At dices, *id peccatum in Justificatis de se manere verè demeritorium æternæ mortis.* Sed respondeo. Si vis demeritoria æternæ pœnæ nihil aliud sit quam reatus pœnæ seu obligatio hominis ad æternam pœnam, uti certè nihil aliud est, tum ea obligatio tota translata est in CHRISTUM. Et ecce tibi peccatum citra pœnam aut reatum pœnæ. Attamen authores hi hæc separari contradictionem involvere & DEI essentiam destruere contendunt.

4. DEUS ad extra nihil facit naturæ necessitate, neque punire peccatorem alio modo est convenientius DEI naturæ, nisi ex hypothesi decreti, quam non punire; at non punire est actus gratiæ & libertatis, nam sæpissimè in Scripturis dicitur DEUS cohibere iram, non exscindere peccatores, quoniam *misericors est, & ad iram tardus*, *Ezech.* 20. *Psal.* 78. *Psal.* 103.

5. Quicquid etiam DEUS ex necessitate naturæ facit, id nullam patitur dispensationem, moderationem, aut dilationem. Nam non potest non velle ut sic dicam infinitè & semper, & omnipotenter, quod semel voluit, ratione immutabilitatis, & si *consimili prorsus affectu* (ut ait *Camero.*) *DEVS imaginem sui in homine* (quod tamen creatum quid est & creatura DEI nova in tempore effecta) *complectitur, quo in sui amorem inclinet*, (quod tamen est simpliciter increatum, & idem cum ipso DEO Æterno) puniret semper peccatores, puniret ad extremum Omnipotentiæ, nec posset non punire, neque modum & rationem, juxta sapientis beneplaciti sui dictamen, servare posset in puniendo: uti enim ignis urit semper, & quantum potest, Sol illuminat semper & quantum potest, nullo rationis adhibito moderamine; Ita DEUS semper est essentialiter justus, semper & æquali infinitudinis (quasi vi) sese & filium suum Unigenitum DEUM de DEO, diligit. Si ergo DEUS infligit pœnas ut 4. cum posset, si vellet, ex rigore justitiæ cum

Camero in miscell.

creaturis

creaturis agere, ut 6. ut 8. ut 100 easdem infligere, & pœnam æternam cohibere in æternum & temporariam infligere, & cum differt ex suâ gratiosâ longanimitate pœnas, ut Ezechiæ, Eli sacerdoti etiam in sequuturas generationes, Vel liberè moderatur, cohibet, & suspendit pœnas, Vel ex necessitate naturæ ita ut non posset esse DEUS essentialiter misericors, si non sic moderaretur & iram punitricem cohiberet. Si liberè, certè in æternum non punire posset. Nulla enim ratio extra DEUM est cur adulterio tali debita sit ex ordine naturalis justitiæ pœna hodiè, non tres retrò ab hinc annos, quum primum est commissum, & cur pœna octo & non novem aut decem graduum ei infligatur, sicut adulterio æquè gravi inflicta est in ipso momento transgressionis pœna, ut 9. aut ut 10. Si necessitate naturæ DEUS parcit peccatori, moderamen juxta misericordiæ præscriptum servat ex necessitate naturæ; tum actum misericordiæ extendit necessitate naturæ, non liberè; nam non punire adhuc, non punire intensiùs, sed lentiùs & remissiùs, est actus misericordiæ; at DEUS nullos actus misericordiæ debet alicui necessitate naturæ, sic enim naturam suam offenderet, non parcendo omnibus, quibus parcit, & iram non temperando omnibus, erga quos multâ lenitate utitur. Nec sufficit hic confugere ad asylum ignorantiæ quâ nos laboramus in scrutinio DEI libertatis & necessitatis agendi naturalis. Nam Scriptura & *Theologi* omnes, quoniam Deus inæqualiter agit cum æqualibus, docent DEUM id facere ex libertate non scrutanda, non ex naturæ necessitate. Debet ergo vel omnibus parcere, nunquam punire, vel omnes punire, & semper, & eâdem mensurâ, vel non sunt in vivis vel in inferno duo peccatores per omnes gradus æqualiter rei. 2. DEUS non puniendo hoc adulterium ad tempus, actum misericordiæ extenderet ex necessitate naturæ, & puniendo id postea, etiam actum justitiæ eâdem naturæ necessitate exhiberet, quod absurdum. Nam si DEUS punit necessitate naturæ cur non pari necessitate non puniret? nam non punire sæpe est actus severæ justitiæ. Hos. c. 4. 14. 3. Quod DEUS precibus nostris fractus non facit, id liberè, & nulla necessitate naturæ facit; at vero DEUS precibus nostris non punit sed avertit temporariam, imo etiam æternam pœnam, etiam postquam utramque ex ordine justitiæ commeriti sumus; ergo DEUS nulla necessitate naturæ, sed liberè punit. Ratio majoris quia preces nostræ, obedi-

entia, resipiscentia, fides sunt media destinata ad DEI decreta libera implenda, nullo vero modo horsum ordinata, aut tali fini ut DEUS sit essentialiter talis, nempe, justus, misericors, Omnipotens, aut ut aliquid faceret necessitate naturæ, nempe ut DEUS diligeret sese, aut ut æstimaret bis tria esse sex, CHRISTUM DEI Filium esse dilectum, quasi Deus ex aliquo libero actu officiove a nobis præstando dependere vellet quod Deus ipse sit Deus, omnipotens, sit mandaturus nihil nisi bonum, prohibiturus nihil nisi malum. Minor ex scripturis satis patet, quia deprecari iram Dei tum temporariam tum æternam, jubemur, & eam deprecati sunt Sancti. Psal. 6. 1. Psal. 38. 1, 2. Psal. 77. 7, 8. Psal. 88. 1, 2, 6, 7, 8, 9. at id deprecari, quod DEO avertere aut infligere non est liberum, sed tam necessarium quam naturale est DEUM esse essentialiter justum, misericordem, Omnipotentem, sese diligere, creaturam Creatori subjici æquum esse, hominem esse animal rationale, tam est absurdum tam in Theologia inauditum, quam est scripturis & sanæ rationi dissonum. Quis enim oraret, ut sol esset corpus lucidum, DEUS sit infinitè bonus? At vero oramus ut id DEUS faceret, quod liberè facere potest, salvâ justitiâ & naturâ DEI. Nec est quod dicatur *Sanctos non orare, ut DEVS nec puniat peccatum in suis personis propriis, nec in fidei jussore,* quia demonstratum est DEUM nec necessitate naturæ punire vel peccatorem, vel fidei jussorem. 2. Sancti deprecantur pœnam temporariam & castigationes paternas quas ex ordine justitiæ etiam punitivæ, licet non vindicativæ DEUS infligit: ut patet in justâ analogiâ inter peccatum *Davidis* & pœnam temporariam a DEO inflictam. 2 Sam. 12. 9, 10, 11, 12. quæ ab illâ DEI justitiâ oritur, 3. Possunt etiam & Reprobi utramque pœnam deprecari, & pœnæ mitigationem & dilationem DEUM orare. DEUS tâmen non DEUS esset, si tales precationes exaudiret, stante hac opinione.

6. Si necessitate naturæ DEUS damnatos punit, tum sicut homines qui finaliter deficiunt a DEO Deus liberrimè creavit, dando iis esse, quia liberè id voluit, ita ut Deus non posset finales apostatas non punire, nec desistere a puniendo, nec auferre vitam quam dedit annihilando hominem damnatum, quod absurdum; ita &, cum DEUS necessitate etiam naturæ pœnas temporarias homini infligat, secundum ordinem justitiæ hujus naturalis, ut fingunt adversarii,

DEUS

DEUS necessitate etiam naturæ, non potest hominem ex hâc vitâ educere aut transferre, quoties ei visum est, sed necesse est DEUS hominem peccatorem in vivis conservet, donec omnes ei pœnas temporarias debitas reddit. Qui Respondent *posito hoc quod* DEUS *hominem creet, & creatum peccare permittat, necessario puniendum peccatum, & peccatorem in vivis conservandum*, nihil aliud quam principium petunt; Et coguntur asserere jus naturale in DEO obligare ipsum ad puniendum omne peccatum pœnâ æternâ, quod tamen nec scripturæ nec rationi sanæ consonum nobis apparet. Nam quod Deus puniat peccata Reproborum æternâ pœnâ, certum est ex scripturis, sed quod nisi sic puniret, non esset DEUS, ubi scripturarum legitur? Ne rationem vel umbram rationis sapit, *quod dilatio pœnæ, aut dispensatio quoad tempus & modum, libero* DEI *arbitrio in hanc vel illam partem determinari posset, quamvis tò punire seu ipsa pœna in se & absolutè consideratæ sit necessaria.* Nam 1 Determinatio pœnæ infernalis quoad modum & tempus, ac proinde quoad æternam durationem hic erit à libero arbitrio DEI: Ergo potest DEUS determinare ut finis modusque imponatur pœnæ infernali: ergo potest Deus non punire & nolle ulterius punire damnatos infernalibus cruciatibus: ergo non necessitate absolutæ potestatis & juris naturalis, DEUS punit nocentes igne nunquam extinguendo & æterno, sed libero in hanc vel illam partem pœnam infernalem vel finiendam, quoad durationē & tempus, vel non finiendā arbitrio *Dei* determinante. 2. Nihil magis consonum justitiæ (quam Adversarii fingunt esse naturale Dei jus antecedenter ad liberam Dei voluntatem) quam pœna dispentata quoad modum & tempus præsertim illa talionis quæ fundatur in justitiâ compensativâ Dei. *Judic. c. 1. v. 7. 2 Sam. 12. 9, 10, 11, 12. Psal. 7. 15. Psal. 9. 16. Esther c. 9. v. 9, 10.* Ergo hæc pœna non est determinabilis a Dei libero arbitrio, sed insit Deo naturaliter, necesse est.

Obj. 1. *ex Isai 1, 14. & 33 14. Habac. 1, 2, 13. 2 Thess. 1. 6. Exo. 34. 7. Ps. 5. 5, 6. Exo 20. 5. Deut 4. 24. Heb. 10. 30, 31 & 12. 29. Rom, 2. 2, 3, 4, & 3. 6. & 12, 19. Num. 14 18. Nah. 1. 3. Quæ discriptio ostendit DEVM naturaliter odisse peccatum, hoc est peccatum ei displicere, & posito objecto non posse odium suum ex necessitate naturæ suæ adversus illud exserere, & sequeretur quod posset Deus concipi sub opposito hujus attributi, injustus scilicet, quod fieri non potest sine abnegatione Dei.*

Respondeo

(loquor de purè creatis) nec reliqua: at multa sunt talia in Scripturis, nam non manducare fructum arboris scientiæ, non comedere tales cibos, observare tales ferias sacras, sunt justa & debita, alioqui DEUS illa vetare vel mandare non posset, at potuit non vetasse non imperasse. Item patrem in vivis conservare filium, non adimere vitam infantibus, reddere mutuum, aliena non eripere, sunt justa. At talia DEI voluntatem non circumscribunt, quia potest DEUS imperare *Abrahamo* ut filium mactet, *Saulo* Regi ut infantes *Amalekitarum* gladio cædat, *Israelitis* ut *Ægyptiis* mutuum non reddant. An ergo DEUS injustus dicendus quod mandet multa quæ opposita sunt justo, minimè verò? Sic *Saulum* à *Philisthæis* occidi, æquum erat, justissimum Concubinas *Davidis* ab *Absolomo* vitiari, & *Absolomum* patris & principis necem moliri rebellione seditiosâ motâ. At nemo sanus diceret DEUM fore injustum, imo nec DEUM esse, si *Saulum* à *Philisthæis* non occidi, *Davidis* Concubinas non pollui permitteret. 2. Rectè *Bradwardina*. *Ratio præponderans quæ dictat melius esse hoc facere, quam illud, vel melius hoc facere, quam non facere, DEI voluntatem non determinat.* Quia ut rectè *Durandus*, *DEVS potest facere quicquid non implicat contradictionem, ideoq; DEVS facere potest creaturas meliores, quam factæ sunt.* Et *ratio congruens* quæ dictat bonum esse hoc facere vel hoc non facere, prout vult, nullo modo circumscribit DEI voluntatem; at verò DEUS punit peccatorem, vel *ratione præponderante*, vel *congruente*, quia non ratione obligante aut ex naturâ rei necessitante voluntatem. Quia nec res nec proportiones rerum antecedunt DEI liberam voluntatem, sed subsequuntur, tanquam effectus causam. 3. *Durandus* sic. *Si quæstio intelligatur quod DEVS ex justitiâ sic determinetur ad aliquid faciendum, quod non posset illud omittere, vel facere oppositum, sic dicendum quod DEVS non operatur ex necessitate justitiæ, quia ut prius visum est, vel justitia accipitur strictè prout includit debitum obligationis, & sic DEVS non determinatur, quia non est obligatus ad aliquid faciendum; vel accipitur justitia pro condecentiâ & justum pro eo quod decet, & sic quicquid DEVS potest facere, si fieret, esset justum, hoc est, condecens tamen ex justitiâ sic acceptâ non necessitatur ad aliquid faciendum, quin possit illud omittere. Cujus ratio est quia ista decentia attenditur ex convenientia rei ad suum finem, ut dictum est, sed DEVS volendo bonitatem suam*

Bradward. de causâ DEI l. 1. c. 21.

Durandus l. 1. d. 44. q. 1. 4. 3.

non necessariò vult alia quæ ordinantur ad ipsam tanquam finem. Ergo ista decentia non necessitat DEVM ad aliquid volendum & faciendum quin possit illud nolle & omittere. Ex quo infero bonitatem illam quæ resultat ex necessariâ terminorum connexione, uti in hâc propositione, *Creaturam subjici & obedire Creatori bonum est.* Non esse medium ad finem, quod DEUS liberè vult propter suam gloriam. Nam hoc bonum connexionis terminorum, quoniam est idem cum terminis connexis, non est medium libtrè à DEO volitum propter suam gloriam. Uti non dicimus DEUM velle hominem esse animal rationale, ut DEUS glorificetur. Quia necessitate naturæ vult hominem esse animal rationale, & quod vult ut medium ad suam gloriam, non vult illud necessariò, sed libere, ita ut posset non velle. Sed subjectionis creaturæ ad Creatorem bonitatem, citra compositionem essentiæ & essentiati, vult DEUS existere, & quidem liberè vult ut existeret talis bonitas propter suam gloriam, & talem bonitatem ita existere vult, ut posset nolle ut existeret. Et hic videmus rationem cur quædã sint bona antecedenter ad Dei liberam voluntatem, nempe sunt bona in se, seu essentialis est connexio inter essentiam & essentiatum, inter obedientiam debitam Creatori, & bonitatem essentialem illius obedientiæ; attamen DEUS existentiam illius obedientiæ essentialiter bonæ existere vult propter suam gloriam, & ita existere vult propter talem finem, ut posset non velle ejus existentiam. Et eodem modo quædam habent essentialem connexionem cum malitiâ, ut omnis inobedientia est mala, est peccatum, antecedenter ad liberam DEI voluntatem. Attamen DEUS non vult, existentiam peccati seu inobedientiæ quæ essentialiter est malum morale & peccatum, ita ut non posset eam existentiam nolle, sed libetè vult prout novit suæ gloriæ conducere. Et neque existentia peccati, neque non-existentia, neque obedientiæ existentia, neque non-existentia, cum sint entia extra DEUM creata, determinant aut circumscribunt DEI voluntatem.

Obj 2. Rom. 1. 32. *Odiendit homines naturaliter agnoscere Deum vindicem peccati, & in quâlibet oppressione ac injuriâ fit ad DEVM & DEI Justitiam provocatio. Punitio ergo peccati non est liberum Dei institutum. Hinc lustrationes, expurgationes & hinc à sacrificiis prophani procul esse jussi.*

Respondeo. Argumentum tale est, quod homines ex conscientiæ naturalis

naturalis vi agnoscunt, id necessitate naturæ tale est. At homines ex conscientiæ naturalis vi *Deum* peccatorum, & oppressionum punitorem & vindicem agnoscunt. Respondeo. Major falsa est. Homines enim ex vi conscientiæ naturalis agnoscunt DEUM multa bona extra se liberè agere, ut mundum creare, Solem oriri, & lucem præbere justis & injustis, pluvias & rores ad agros bonorum & malorum fœcundandos liberè largiri. Neque hæc DEUS facit ex necessitate naturæ; ideoque argumentum pro nostrâ sententiâ potius militat. Nam naturæ lex insculpta omnibus dictitat DEUM agens liberrimum esse, & justitiam extra se liberrimè exercere, quo nomine preces oppressi fundunt ad DEUM ut oppressiones in se & injurias illatas ulciscì dignari velit. Ergo non necessitate naturæ DEUM ultorem credunt. Sic enim orarent homines ut DEUS sit DEUS, etiam naturæ lumine edocti. At hoc est tenebras naturæ luminis loco substituere.

Marlaro. tus ex calvi in Lucã c. 1. c. 18. *non est quidem nostrum legem Deo præscribere, quinliberum ei sit punire quod aliis ignoscit delictum.*

Virgilidii si qua est cœlo pietas quæ talia curet, persolvant grates dignas & præmia reddant debita.

Timent scelerati ne Deus quas commerint sumant, infligat libere.

2. *Purgationes & lustrationes* Gentes olim à Judæis mutuatæ sunt, non a lumine naturæ. Tenebrosum est lumen creaturam peccantem satisfactionem & litationes propitiatorias infinito DEO offenso, & quidem satisfactorias pro peccato, præstare posse somniare.

Obj. 3. *Piè colligitur ex* Rom. 3. 25, 26. *DEVM haud unicum filium dare morti, & Cœlum & terram commoviſſe, si peccata committere, justitiæ satisfacare, verbulo, nutu, aut mille aliis modis, potuerit. Addunt favere Sociniani hanc opinionem.*

Respondeo. Nollem coarctari imperveſtigabiles infinitæ sapientiæ abyssos: hic autem modus per incarnationem & satisfactionem a Filio DEI præstitam omnibus piis arridere debet ut convenientissimus. At quod determinarit DEI voluntatem & sit jus naturale DEUM obligans, affirmare non ausim. Verum est *Socinianos* negare satisfactionis necessitatem naturalem, negant & hypotheticam ex DEI decreto, nos illam intrepidè negamus, hanc strenuè asserimus. Interim *Vorstiani* etiã non minus blasphemi quam *Sociniani* uti & *Arminiani* jus naturale puniendi peccatum DEO asserunt. Ita *Vorstius*, ita *Jac. Arminius*. Sic etiam 1. qui ex mero gratuito amore dedit Filium pro nobis, *Joan.* 3. 16. *Rom.* 8. 32. Et obiit pro nobis, quia voluit & dilexit nos. *Joan.* 15. 13. (2.) Assumpsit naturam *Abrahami* & non Angelorum æquè miserorum, atqui nos sumus, *Heb.* 2. 16. (3.) Qui ex gratuitâ misericordiâ quos-

Vorsti. de Deodif. 7. num. 25 pag. 76.

Jac. Arminius dis. 4. thes. 67. dis. 10. th. 13. & Antiperkins. part. 3 sec. 4.

quosdam servat non alios, quia vult. *Rom.* 9. 15, 16, 17. *Tit.* 3. 3, 4. *Ephes.* 2. 1. 23. *Gal.* 2. 20. *Apoc.* 1. 5. *Ephes.* 1. 2. 5. *Ezech.* 16. 1, 2, 3. *&c.* (4.) Qui elegit & ordinavit CHRISTUM in Mediatorem, lapidem pretiosum 1 *Pet.* 1, 2. 20. *Math.* 12. 18. 2 *Chron* 6. 6. *Psal.* 89. Nullo debito, & fœdus gratuitò cum eo iniit, *Psal.* 89. *Gal.* 3. 16. Quia voluit, is libere, nond ebito, non necessitate naturæ Mediatorem CHRISTUM misit.

CAPUT. XXIII.

Idem aliis Argumentis Probatur.

Arg. VII. *Quicquid aliquod universo confert.*

Eusebius de prepa. Evang. lib. 3. c. 3.

Lactantius de ira Dei c. 13.

August. de arb. lib. 3. c. 9.

Isidor. de sum. bono lib. 1. 11.

Aquinas 1. q. 22. art. 2. ad 2. argu.

Collegi. Conymbr. coment. in Aristotel. de cœlo l. 1 q. 1. art. 6.

Corvi. con.

Molinæ. c. 3. §. 9.

QUicquid aliquid confert ad plenitudinem, ornatum & splendorem universi id DEUS voluit, ut existeret, se permittente; Sed peccatum confert aliquid ad plenitudinem, ornatum & splendorem universi. Ergo &c. Ratio majoris, quia plenitudo & splendor universi est bonum per se volitum & intentum ab eo qui omnia pondere, numero & mensurâ creavit, ergo media omnia ad hunc finem conducentia erunt aliquo modo a DEO volita: minor certa est, quia si nunquam fuisset peccatum, mundo multa defuissent, puta incarnatio CHRISTI, vocatio ex gratiâ, gratuita justificatio, *Ecclesia* redemptorum, CHRISTI mors, resurrectio & glorioſus triumphus de morte, peccato, diabolis & infernis, pœnitentia & perseverantia Electorum, patientia martyrum &c. Gloria justitiæ punientis, misericordiæ parcentis, omnipotentiæ Ecclesiam liberantis, hostes CHRISTI debellantis, longanimitatis, veracitatis DEI &c. *Ita Eusebius, Lactantius, Augustinus, Isidorus.* Sic *Aquinas, & Doctores Conymbricenses, impeditum fuisse bonum universi. Nec fuisse justitiam vindicantem nec patientiam sufferentem si deesset iniquitas.* Respondet Corvinus *Thomam velle non ipsum peccatum, sed peccati permissionem conferre ad integritatem mundi.* Respondeo Ex permissione, quâ positâ, fieri potest ut nunquam sit peccatum, qualem fingunt adversarii, non magis sequitur mundi integritas, quam mundi non integritas. 2. Nec permissio nisi remote & consequenter, sed ipsum peccatum permissum

permissum complet universum, non sunt sancti patientes quia Tyranni persequi permituntur, sed quia actu persequuntur, nec CHRISTUS in carnem venit ad tollendum permissionem, sed *destruendum opus diaboli.* 3. Triplicia sunt entia: quædam spectant ad essentialem mundi constitutionem, ut elementa, creaturæ rationales, corpora cœlestia. 2. Quedam ad integritatem mundi conferunt, ut mista. 3. Quædam ad integritatem accidentalem mundi spectant, ut privationes, & hoc respectu dicunt nostri *Bezæ, Zuinglius, Festus Hommius. Triglandius*, item *Bannes, Medina, Rispolis, Alvarez* peccata contribuere aliquid ad ornatum & splendorem mundi, sed non hic loquimur de primo mundo cum Adamo condito & lapso, sed de secundo mundo in CHRISTO redempto & restaurato. Et hoc *fit ne quid in hoc regno* (inquit Boetius) *liceret temeritati.* Respondet *Corvinus, si quid peccatum universo conferret tum debere DEVM promovere peccatum, ne operi suo deesit, & peccatum causam esse cur mundus vanitati subjectus sua perfectione decideret.* Resp. DEUS nullo debito mundum hac plenitudine, quâ nunc resplendet, locupletavit, sed solo sapienti beneplacito, quis tu es qui DEUM debiti nexu ligas? 2. DEUS quantum, salvâ suâ sanctitate, potest, Ita mundum administrat, ut ipso permittente, fiat peccatum, sed non necesse est, ut illud effectivè promoveat. 3. In genere causæ meritoriæ verum est, *peccatum causam esse cur mundus vanitati obnoxius sua perfectione excideret*, at hoc non impedit quo minus peccatum in alio genere causæ, nempe materialis aut occasionalis (aliquam enim causalitatem habet occasio) sit causa plenitudinis & splendoris universi quoad numerum τῶν ὄντων, non in primo mundo, sed in secundo a CHRISTO restaurato, constituendum. Nam si deesset peccatum, multa mundo deessent, quæ ei non mediocri & emolumento & ornamento sunt, & quamvis peccatum sit malum peccanti, est tamen bonum universo. *Nigrum* (ut ait *Hugo* & cum eo *Ferrariensis*) *non est bonum albo, sed malum, est tamen imagini aut picturæ ex variis coloribus contextæ bonum, & ornamentum illustre.*

Beza contr Castell. apho. 2. Zuinglius prov. c. 5. Hommius disp. 55: thes 3. Triglandius defens. confes. pa. 180. Molinæ Anatomia Arminianitmica. 3. sect. 9. Bannes: ō. 1. m. 1. q. 23. art. 5. Medina. Rispolis. Alvarez. Boetius consol. philos. lib. 4. prof. 4. Corvi. loc. cit. Hugo tra. 1. c. 13. Ferrarien. lib. 1. c. 8.

8. Argu. Si DEUS omnino comisit arbitrio *Sabæorum, Chaldæorum, Assyriorum*, Absolonis, Shimeii, ut eligerent inferre mala tristia Sanctis, non volente, sed DEO tantum nudè permittente, sequitur irritas esse Sanctorum preces, quibus illa mala deprecantur

VIII. Arg. *Fervori & studio erudi repugnat otiosa Dei permissio, item omnipotentiæ Dei adversatur.*

at posterius est absurdum. Ergo etiam prius. Major certa est, 1. Quia frustra DEUM oro ut avertat mihi odia, latrocinia, & persequutiones, si illa, DEO non volente, nec decernente, mihi eveniunt. Et vanæ sunt orationes tales, si DEUS odia hostium & iniqua eorum consilia impedire non possit, nisi DEUS hostium voluntates libertate spoliet, quod miraculum est. Quorsum Sancti poculum quod ipsius DEI voluntate & manu mixtum & imperatum credunt hostium vero odio & malitiâ ipsis propinatum, deprecarentur, si nullâ DEI voluntate, sed nudâ duntaxat permissione, bibendum sit. Si enim non est DEI voluntas ut scelerati aliquid mali sanctis infligant, nec erit ejusdem voluntas ut aliquid mali ab ipsis patiantur. Nam si DEUS non vult τὸ occidere justum, neque vult τὸ occidi justum. Oret itaque sanctus, (*Foxis, Domine, ne me sceleratus nihil ab eo mali meritum odio, invidia, vulneribus, aut morte prosequatur*) DEO tamen respondendum: Non est mea voluntas ut sceleratus te odio habeat, aut in te peccet, opitulari nequeo, nam positâ omni actione meâ qualicunque, regnat libertas, potest peccare in te, potest non peccare, rotundè fatetur id Jesuita *Raynaudus*. *DEUS* (inquit) *non potest peccatum impedire, salvo ordine universi & munere causæ universalissimæ*. Imo *Torod. Smising* ait *DEUM nec physice nec moraliter impedire posse peccatum*. Uti supra citavi.

Raynãdus Theo. naturalis dist 1. p. 3. art. 1. sig. 53.

CAPUT XXIIII.

Idem probatur aliis Argumentis.

Argu. IX. *Pugnat otiosa permissio hæc laxa & fortuita patientiæ Sanctorum.*

ARGUMENTUM hoc nudæ fortuitæ & otiosæ permissionis pugnat cum patientiâ Sanctorum. Ergo est rejiciendum. Probatur Antecedens. Patiens submissio sub calamitatibus a nefariis hominibus illatis, vel est debita DEI voluntati, vel voluntati hominum opprimentium nos, vel fortunæ. Nam quartum dari non potest. Non primum, quia non potest oppressus à sceleratis. (*Tacui JEHOVA, quia tu fecisti*, Psal. 39. 9.) DEO profari, quia DEUS eam oppressionem nec fecit ut Judex, nec voluit, nec decrevit, sed tantum non fecit, nunquam

quam voluit, sed tantum permisit. Oportet ergo voluntati seu non volitioni DEI, non autem voluntati sese submittat. Si dixeris, voluntati DEI permittenti subjici nos debere; at voluntas permittens non propinat nobis calicem, imò voluntas permittens, nec per se, nec per accidens vult peccatum, aut ut scelerati nos affligant, sed tantum permittit ut illi nos affligant vel absolutè pro tuo arbitrio à DEO non determinato, non affligant. DEI ergo voluntati non est acquiescendum: nec secundum dici potest, quia voluntas creata non est objectum patientiæ, nisi propter DEUM; esset enim acquiescentia planè Idololatrica. 2. Rectè dicit *Ruiz. posse nos secundum veram rationem dissentire ab inordinatâ voluntate inimicorum nostrorum* Addo debere nos detestari peccaminosam & culpabilem oppressionem hostium. Restat ergo *ut soli fortunæ acquiescendum sit.* Ruiz. de prædestin. tract. 2. dis. 11. sect. 3. sig. 11.

10. Pugnat hæc otiosa permissio nullum positivum actum divinæ voluntatis includens, cum gratitudine, fiduciâ, spe, timore, gaudio & consolatione solidâ in DEO. Ergo rejici debet. Probatur Antecedens. 1. Non est debita ei gratitudo, nec in eum spe, timore, fide & gaudio recumbendum, cujus voluntas non est causa cur mihi malum à sceleratis hominibus eveniat, sed stante figmento de negativâ & casuali DEI permissione, DEUS nec causa primo est infligens hoc malum quod Sanctis odio & malevolentiâ hominum facinorosorum obtigit, neque voluit, neque decrevit ut homines flagitiosi odio haberent, aut ullâ injuriâ atroci afficerent Sanctos, sed tantum nudè id permisit. Cur, quæso, *Paulus & Silas*, cur *Petrus & Apostoli* gratias DEO agerent, in eo gauderent quod pro Nomine *Jesu* virgis cæderentur, carcere includerentur, contumelias & opprobria ab hominibus nequissimis paterentur, si DEUS omnino noluit ut Tyranni illi ipsos cæderent, carcere includerent & opprobriis lacesserent; non est in eum DEUM confidendum, sperandum, gaudendum, ut in causam primam omnium afflictionum quas à malis patimur, qui non vult omninò ut mali nos affligant; neque est causa infallibilizans & determinans persecutiones, & cujus nudâ permissione tam ab illis non affligimur quam affligimur. At talis est DEUS *Arminianorum* & *Jesuitarum*. Vanæ sunt omnes consolationes Sanctorum. Dicat quis oppressus à sceleratis, gaudeo in DEO, qui mihi talem calicem nec propinavit, nec me bibere voluit, Argumen. IX. *Pugnat fortuita & casualis hæc permissio cum fervidine, fide, spe, timore, gaudio.* Act. 5. 41.

voluit, nec ad tale quid patiendum me constituit. Imò falso dixit
1 Pet. 3. 17. *Petrus* voluntatem DEI esse ut à malis patiamur. Et quia juxta Adversarios voluntas Diabolorum & hominum est prima causa omnium calamitatum, quas ab iis patimur, fiducia, spes, timor, solatia ultimatè recurrent in voluntates diabolorum & hominum, imo in eo gratitudine, fide, spe, timore & gaudio recumbendum ut in solâ primâ causâ, penes quem est ut malum nobis eveniat, vel pro libero ipsius arbitrio, non eveniat. At talis est homo impius qui nos persequitur, juxta Adversarios, quæ, quæso, potest esse magis exsecranda Idololatria quam hæc? hoc argumentum agnovit validum esse, malâ certè conscientiâ Jesuita *Ruiz.* nostræ doctrinæ in hâc re acer impugnator.

Ruiz. tom. de provid. trac. 2. dis. sect. 1. c. 2.

XI. Argu. *Fortuita hæc permissio vetat causam gloriandi creaturis affert.*

11. Otiosa hæc permissio est via ad Assyriorum vanam arrogantiam qui providentiam determinatricem DEI deridebant, *Esai.* 10. 15. *An gloriabitur securis contra cædentem ipsâ? An se magnificabit serra contra agitatorem? Quasi vero agitent virgæ eum qui tollit ipsam; quasi attolleret baculus non ligneus*, rejici ergo debet hec permissio. Negavit ergo *Assyrius* valtans DEI populum, se esse virgem & baculum in manu DEI. *Si baculus* (*inquit* Calvinus) *se efferat contra manum elevantis, seque lignum oblivisceatur, quam monstrosum erit spectaculum?* negant & nostri *Assyrii*, *Arminianos* & *Jesuitas* intelligo, persecutores *Ecclesiæ CHRISTI* se agitari & elevari à DEO, quasi virgæ aut baculi in manu DEI non essent, nam dicunt DEUM non esse causam primam judicaliter infligentem hæc mala *Ecclesiæ*, sed DEUM nolle omnino ut elevet sese virga in *Ecclesiam* sed tantum otiose permittere ut virgæ, ratione & libertate præditæ, sese attollant, undè gloriari licet hosti Ecclesiæ & dicere. Ergo sum prima propria & sola causa omnis mali populo DEI inflicti.

Calvinus coment. in Esai c. 10. v. 5.

XII. Arg. *Casualis hæc permissio pugnat cum sapientia, cura, amore, firmitate decretorum Dei.*

12. Sicut hæc sententia pugnat cum officio hominum in DEUM, ita pugnat cum attributis DEI. Nam 1. Pugnat cum sapiente voluntate DEI, qui vult Sanctos explorari & tamen non vult ut scelerati nos explorent, quod tam est contradictorium quam si aurifex cuperet aurum explorari, nollet tamen id in ignem conjici. 2. In hac casuali permissione, nulla eminet DEI cura in suos, si enim DEUS nec vult, nec decrevit, nec ullâ actione positivâ causa est cur pii à malis affligantur, tum non curat utrum affligantur, necne. 3. Permittere peccatum est ex adversariis nolle fieri peccatum, & quod

quod DEUS non vult fieri & tamen fit, id DEO nolente & invito fit, quod omnipotentiæ DEI est repugnans: 4. Pugnat cum DEI amore, quo quos amat, castigat *Apoc.* 3. 19. *Prov* 3. 11, 12. *Heb.* 12. 6, 7. Nam DEUM nolle ut impii suos castigent, & fame, exilio, & morte ipsos exerceant, pugnat è diametro cum DEI amore & paternâ curâ quâ suos exercet per ministeria hominum nequissimorum: qui ipsos in exilium, famem. inediam & carcerem adigunt. Nam si DEUS intendat ut Sancti à mundo affligantur, necesse est ut intendat, ut mundus ipsos affligat. 5. Pugnat tale decretum DEI, quo non vult peccatum omninò fieri cum sapiente DEI decreto, quo statuit malos ex rapinis, latrociniis, & iniquo, ædes ædibus, agros agris adjungendi studio impinguatos ad diem interitus saginare; & filios suos pessimorum hominum oppressionibus & injuriis gravatos, mundanis illecebris & momentaneis deliciis mortificare. 6. Si DEUS peccatum omninò fieri non vult, non erit sapientis DEI decreti, quod suos per persecutiones in regnum Cœlorum ingredi velit. Quippe tales persecutiones DEUS nec vult, nec decernit fieri. 7. Pugnat & hoc decretum quo DEUS non vult omninò peccatum fieri, cum decreto ostendendi gloriam gratiæ & necessitatis gratiæ, & homines suis viribus prætumidos, & fragilitatis suæ & corruptionis naturæ ignaros humiliandi & dejiciendi per peccata atrocissima in quæ inciduut, ut patet in *Davide* in adulterium lapso, in *Petro* Salvatorem abnegante, *Lotho* ebrietatem & incestum committente. Quis ignorat *Augustinum* verè ex Scripturis docuisse, *utile esse securis & superbis hominibus ut in peccatum aliquod cadant?* Id quod hisce Scripturis luculenter ostenditur, *Psal.* 30. *v.* 6, 7. *Job. c.* 29. *v.* 18. collatum cum *cap.* 30. *v.* 1. 2, 3, &c. 1 *Reg.* 10. collat. cum *cap.* 11. *v.* 1, 2, 3, 4. 2 *Paralip.* 32. *v.* 1. *Dereliquit Jechizkiam DEVS tentando eum, ut experiretur ecquid esset in animo ejus.*

Arg. XIII. *Hæc permissio pugnat cum paterna Dei clementia in moderandis & temperandis Sanctorum afflictionibus.*

13 Pugnat DEI otiosa permissio, quâ peccatum omninò non fieri vult, cum paternâ clementiâ & indulgentiâ DEI, quâ mollit & temperat oppressiones, quas patiuntur Sancti à malis. Si enim DEUS non vult ut hæ oppressiones omnino eveniant, tum neque vult ut Sanctis eveniant tali numero, pondere & mensurâ, & contra Scripturas est DEUM non moderari afflictiones Sanctorum, *Ps.* 118. 18. 1 *Cor.* 10. 13. *Luc.* 12. 18. *Esa.* 54. 7, 8. *Psal.* 6. 1, 2. *Jer.* 46. 28. *Job.*

28. *Job.* 1. 12. *Psal.* 129. 3, 4. *Psal.* 125. 3. Probatur connexio; impossibile est Deum velle ut sit oppressio & persecutio ut 3. & non ut 5. & tentatio ut 4. proportionata viribus Sancti tentati, & non ut 6. quæ vires ipsius exsuperat, si Deus non aliquo modo velit ut sit persecutio simpliciter. Nam ex volitione comparativi gradus necessariò sequitur volitio positivi. Et quis ignorat divinæ voluntatis fuisse, quod populus Dei premeretur servitute *Babylonicâ* ad annos 70. potius quam ad annos 100. aut ad annos 4. Certum est *Chaldæos* eos captivos detinentes ad annum unicum peccasse, & detinentes ipsos ad duos aut viginti gravius peccasse, & ad annos 70. gravissimè peccasse, si Deus vult peccatum gravius, & adhuc gravissimum, sequitur Deum simpliciter velle peccatum, permissione; non approbatione aut effectione.

Arg. XIV. XIIII. Pugnat & otiosa permissio hæc cum Dei justitiâ quæ etiam mensuram & pondus & numerum præscribit oppressionibus quas patiuntur reprobi. Est enim justæ Dei voluntatis quod *Sennacherib* filium suum Idolo suo mactet, potius quam taurum aut ovem, quod *Medi* & *Persæ* duabus aut tribus cladibus *Chaldæos* vastent, potius quam unâ. Quod *Romani* Judæos penitus debellent & ad extremam desolationem & miseriam ineluctabilem, qualem commeruit *Messiæ* execranda occisio, redigant, potius quam ut eos leviter affligant. At *Sennacherebim*, *Medos*, & *Romanos* in talibus atrociter peccasse liquido constat. Hoc etiam hisce scripturis constat, *Job c.* 20 12, 13, 14, 15, 16. *&c. c.* 18. 9, 10, 11, 12, 13, 14. *c.* 21. 17, 18, 3. *c.* 27. 19, 20, 21, 22. *Psal.* 11. 6. si enim impii ab aliis impiis iniquè vexantur, (quod haud raro accidit,) & Deus justâ statuit suâ voluntate de numero, pondere & mensura, imo de specie calamitatum, quas impii patiuntur ab impiis ipsos injustissimè affligentibus, non potest Deus non velle injurias culpabiliter & injustè illatas impiis. Quando quidem retaliationem oppressionum injustarum patiantur impii ab impiis necesse est interveniat hic justa Dei voluntas.

Pugnat cum justitia Dei.

Arg. XV. XV. E diametro adversatur hæc otiosa permissio Dei providentiæ determinatrici omnium rerum: nam fortunam in solio Dei, Idololatriâ plane sacreligâ collocat. Quæ fiunt absque consilio & præter Dei intentionem, ea fiunt fortunâ, at si Deus non vult ut existat peccatum se permittente, fortunâ fierent lapsus omnium hominum

Casualis hæc permissio evigit solium fortunæ.

hominum & Angelorum, & perpessiones CHRISTI & omnium Sanctorum, & scelera & tyrannides persecutorum Ecclesiæ, & quidem eo modo quo evenit inventio Thesauri à rustico fodiente terram. Ergo rejicienda est hæc permissio.

Major à *Stapletono* conceditur. Sic *Doctores Conymbricenses.* Sic *Franciscus Murcia de lallana. Fortuna* (inquit) *appellatur causa per accidens, quia est præter intentionem.* Sic *Antoni. Ruvio* Philosophus tersus & politus. *Respectu* (inquit) DEI *præcognoscentis & suâ providentiâ ordinantis ut eadem, v. g. thesauri media illa causa eveniret, nec dicitur effectus fortuitus, nec à fortunâ, sed à providentia ejus per se intentus ac ordinatus.* At aliquid DEO esse fortuitum, tanquam absurdum jure rejiciunt *Conymbricenses. Respectu* DEI (inquiunt) *nihil casu aut fortuito evenire potest.* Et *Augusti. Nihil in istâ totius creaturæ amplissimâ quadam immensâque reipub. est, quod non de interiore atque intelligibili aulâ summi Imperatoris, aut jubeatur, aut permittatur. Imo sic, posset* DEUS (ut arguunt *Conymbricenses*) *esse causa per accidens, at omnis causa per accidens habet aliam nobiliorem, ad quam revocetur.* Sic *Aristotel.* & *Bradwardinus.* Mihi mirum est *Julium Sirenium* huic argumento manus dare victum. *Nam* (inquit) *voluntates pravas & omnes operationes peccatorum temere & fortuitò utcunque evenire Catholice profiteri possumus. Did. Ruiz.* approbat philosophiam *Ciceronis* qui dicit, *Quid aliud est fors, quid fortuna, quid casus, nisi cum sic aliquid cecidit, ut vel non cadere, vel aliter cadere potuerit?* At si Jesuita illud citra omnem distinctionem excipiat, mihi licebit sic assumere, omnia peccata, occisio Salvatoris, & perpessiones omnes sanctorum poterant cadere vel non cadere. Hæc ergo omnia respectu DEI erunt fortuita. Nescio quo fato *Did. Ruiz.* & *Gabriel Pennottus* hoc argu. eludant. *Nullus* (inquiunt) *effectus præcognitus ab operante est fortuitus* —— *quia quod non est omnino præter scientiam, non est omnino præter intentionem saltem permittendi.* Respond. Si peccatum est *secundum intentionem permittendi peccatum*, est secundum intentionem nolendi peccatum. Quia intentio permittendi peccatum est intentio DEI, quâ non vult pecca-

Stapleton. tom. 2. de caus. pec. c. lib. 11. c. 7. Colleg. Conymbricense in Arist. 2. ph. c. 7. ar. 1. Francisc. Murcia de lallana in Arist. ut phy. 2. c. 6. q. 1. Ruviu. 2. phy. 6. q. 1. fig. 10. Collegi. Conymb. ib. concl. 2 Augusti. lib. 3. de Trinit. c. 4. Collegi. Conymb. ib. Arist. 2. ph. 5. & 6. Bradwardi. 1. c. 29. Julius Sirenius lib. 5. de provid. c. 2. Ruiz. in 1. Thom. q. 22, 23. de proc. disput. sect. 7. fig. 23, 24.

Cicer. de divin. pa. 3. Pennot. propug. huma. libert. li. 4. c. 13. fig. 6. *Fortuna non scientiæ simpliciter, sed intentioni & consilio formaliter opponitur.*

tum omnino fieri, & ejus exiſtentiam deteſtatur, ſed ſi peccatum evenit ſecundum intentionem nolendi peccatum, evenit omnino præter intentionem volendi peccatum, & ſic præter DEI voluntatem, *& fortuitò*. 2. Si ideo peccatum non evenit *præter DEI intentionem*, ut arguunt Jeſuitæ, *quia non eſt omnino præter ſcientiam*, tum neceſſe eſt illa ſcientia includat aliquam DEI voluntatem, qua aliquo modo vult peccatum fieri. At hoc eſt quod nos docemus. Si illa ſcientia nullam DEI volitionem terminatam in peccatum includit: tum malè arguunt Jeſuitæ. Peccatum non eſt præter ſcientiam DEI: Ergo non eſt præter intentionem DEI. Nam ſic mihi liceret arguere, non eſt præter *Achabi* ſcientiam quod moriturus ſit in bello, nam hoc ei revelatur divinitùs ita fore: Ergo non eſt præter *Achabi* intentionem quod moriturus ſit in bello; at concluſio eſt falſa. 3. Voluntas permittendi peccatum, ex *Jeſuitis* & *Arminianis* eſt poſterior nutu & inclinatione voluntatis creatæ, deviatio ergo voluntatis nullo modo eſt ſecundum intentionem DEI. 4. *Fortuna* formaliter opponitur intentioni & conſilio, non vero ſcientiæ; alioqui dicendum foret diem judicii omnino fortuito evenire Sanctis, eum diem cum precibus & ſummo deſiderio & vigilantiâ exſpectantibus, quod abſurdum. Nam illius diei ſcientiam habet nemo mortalium. 5. Permiſſiva ordinatio Jeſuitarum non magis aliquid ſtatuit de exiſtentiâ peccati & perſecutionum Sanctorum, quam homines & Angeli de iis ſtatuunt, quia nullam cauſalitatem exercèret illa ordinatio potius circa futuritionem peccati, quam circa non futuritionem ejus, imò ſtante ſcientiâ mediâ antecedenter ad DEI ſcientiam & voluntatem, premimur, opprimimur, morte, cruce, vulneribus, infamiâ, exilio, inediâ, fame, millies perimus, heu deploranda providentia! hem vana ſolatia! *Sortes* (inquit *Salomon*) *mittuntur in gremium, ſed tota ratio eorum eſt à DEO.* Prov. 16. 33. גּוֹרָל. Determinatio judicialis eſt à DEO. Suppono duos tyrannos ſortibus contendere, uter Sanctum aliquem propter nomen CHRISTI excruciet, *judicium ſortis à DEO.* Sed quomodo, quæſo, ex adverſariis.

Sortes fortuitò non divinâ providentiâ, ſecundum Adverſarios determinantur.

Sic itaque arguo. Egreſſus hujus potius, quam illius ſortis vel eſt ab ipſa ſorte, vel à manu ſortem apprehendente, vel à DEO ſortem hanc potius, quam illam determinante, vel denique à fortunâ; non ab ipſa ſorte, quia ipſa ſors eſt determinabilis, vel à DEO, ut

inquit

inquit *Salomon*, vel à fortunâ, ut autumat Atheos Epicureus; nec 2. ab ipsa manu sortem apprehendente, quia tactus nudus discretionem nullam facere potest inter sortem atram vel albam, nam tactus directionis lumine indiget, at nec oculi, nec ratio aut consilium, nec sagacitas aliqua, nec ars, nec instinctus aliquis hic valent, aut lucem manus tactui fœnerantur, uti res ipsa testatur, nam si tali lumine res posset peragi, sortibus haud opus foret. Nec est quæstio an causis secundis insita sit vis & potentia agendi, *Philisthæi*, qui casum dominari in naturâ asserebant, non dubitabant quin vaccæ arcam portantes aliquâ viâ curruræ forent, sed quæstio fuit, an hâc viâ minus directâ curruræ forent, & sic casu morbos ipsis obtigisse, & cœcam fortunam in mundo dominari credidissent, sin vero rectâ *contenderent per viam Beth schemeschi, Jehovam DEVM* esse putassent. Tota vero quæstio est de causa rerum in operationibus suis directrice & prædeterminatrice. Nec tertiò dicere possunt adversarii, hujus potius sortis ei, qui crudelius Sanctum torturus esset, quam illius, ei qui clementius & mitius eum tractaturus foret, egressum esse à *Jehovâ*. 1. Quia sic DEus peccatum gravius velle, potius quam levius dicendus foret, & sic vellet peccatum, impium enim esset utrique sortilegium in eo casu. 2. Egressus sortis hujus potius, quam illius, non esset à DEo sortem hanc potius quam illam determinante, tum quia adversarii negant ullas causas secundas à DEO in suis operationibus determinari, (periret enim sic ratio contingentiæ & sortilegii, si adversariis credendum) tum quia DEI voluntas non posset determinare egressum hujus potius, quam illius, quia uterque impius est, & concursus DEI cum manu apprehendente hanc potius, quam illam sortem, non posset egressum determinare, est enim concursus DEI, juxta doctrinam Arminianam, generalis, indifferens & determinabilis à causa secundâ; manus ergo apprehendens sortem, quæ causa est contingens, forte egressum determinaret, at de ea rursus est quæstio, nam *Salomon* refert totam dispositionem in DEUM ut in causam prædeterminantem. Restat ergo secundum adversarios, ut tota dispositio sortium sit à fortunâ. Quæstio est an veloci potius, quam desidi & ignavo sit cursus, an robusto potius, quam imbelli sit victoria, an cibus sapienti, potius quam stolido. *Epicuræi* clamant hic *casum dominari*. Certe veloci semper erit

1 Sam. 6. 12. Vide Thomam 1. p. q. 22. art. 2. ad 1. *Concursus duorum fortuitus, non actualis est sed praevius à DEO qui eos scienter sibi ad unum locum mittit ut unus de alio nesciat.* Ruiz. to. de volunt. Dei disp. 50 sect. 9. n. 15. *Consilium & ratio pugnant cum fortuna & casu.* Thomas 3. contr. Gentes. c. 5. *Quod actio dicitur praeter intentionem agentis dicitur esse fortuitum & casuale.* Aristotel. 2. c. 5. textu. 55. *Nam fortuita praeter rationem esse dicitur.* Eccles. 9. 11.

erit cursus, & robusto semper victoria & sapienti semper cibus, nisi litem dirimat & aliter instituat prædeterminatrix DEI providentia. Nam secundum adversarios, voluntas DEI ejusque concursus cum causis mobilibus & contingentibus, tales causas non prædeterminat. Cur igitur Christianis non sit dicendum illud, haud video.

Fassibus ambiguis fortuna volubilis errat.
Et *Si fortuna volet, fies de Rhætore Consul.*
Si volet hæc eadem, fies de Consule Rhetor.

Sirenius de provid. lib. 4 c. 25. Pennottus propug. hum libert lib. 5. c. 7. fi. 4. Lucæ 2. 34

Sirenius hic dicit. *Quod ovis rapiatur à lupo, eventus est casualis & præter DEI intentionem, prout DEVS operatur per ovem, sed est per se intentus prout operatur per lupum.* Pennottus ait. *Aliquos effectus esse casuales respectu primariæ intentionis DEI, qua DEUS intendit aliquid secundum se bonum & perfectum, non vero respectu intentionis DEI secundariæ.* Dicit *Vorstius, eventum rei non intentum esse sed casu occasionatum seu accidentarium*, & sic ait *Christum poni multis in ruinam.*

Respond 1. Quando DEUS operatur per ovem intendit per oves & homines & leones nutriri, nec ratio ulla fingi potest cur *DEO operanti per ovem*, ovis destructio sit DEO *casualis & præter ejus intentionem*, nisi quia DEUS mala damni & viventium interitus non per se intendat, sed hoc modo, quod *Leo* prophetam & Martyres DEI devorarit erit *casualis DEO*, heu misera solatia servo DEI expiranti, *hoc averti non potuit, est ipsi DEO, nedum mihi cæco homini casuale.* Sic omnia opera justitiæ essent DEO casualia & fortuita; Quod hostes *Ecclesiæ* bello cadant, quod *Pharaonis* exercitus undis rubri maris suffocati sint, quod *dæmones* catenis tenebrarum constricti sunt, quod Reprobi in gehennam conjiciantur: sic mors, exilium, algores, fames, inedia, ignominia quæ DEI servis eveniunt, erunt *DEO casualia & fortuita.* 2. *Si aliqui effectus sunt DEO casuales respectu primariæ DEI intentionis, non respectu secundariæ*, tum quoniam secundum Adversarios, nec *primariâ nec secundariâ intentione DEUS* peccata intendit, omnes lapsus *Angelorum* & hominum, CHRISTI occisio, vivi comburia, torturæ, furcæ, vulnera & Martyrum DEI occisiones execrandæ erunt DEO fortuita & *casualia* omni modo, *& primariâ & secundariâ DEI intentione.* Heu miseranda & millies lugenda providential

1 Reg. 13. 24, 25.

Sirenii, Pennoti & Vorstii fortuna aperitur.

videntia! Sunt enim hæc omnia flagitiosissima peccata. 3. *Respectu primariæ intentionis* DEI, Ignominia, pauperies, sterilitas, orbitas, desolatio, oppidorum deletio, agrorum & vinearum vastatio, mors inopina, filiorum repentinæ in aquis suffocationes, exilium, fuga, erunt DEO *casualia*. DEUS enim secundum adversarios malâ pœnæ *non primariâ, sed tantum secundariâ intentione intendit*. DEUS itaque casu aut fato victus excutitur sine suo primitus intento, qui est, Sanctos in gloriam per amænissima rosaria, & effluentissimas mundi delicias in gloriam æternam inducere (& hic finis certe est mons aureus aut hircocervus) & cogitur *à fortunâ* nescio quâ infaustâ & casu infœlici per multas afflictiones in regnum Cœlorum nos inducere, ad Scripturas in margine mitto lectorem, quæ contrarium demonstrant. 4. Sic etiam *inventio Thesauri à fodiente* est casualis respectu primariæ intentionis fossoris, nam primaria ipsius intentio fuit fodere terram; at verò secundariâ intentione fossor, præsuppositâ jam notitiâ de certâ existentiâ Thesauri in eo loco, intendit sese & liberos suos ditare; & persecutiones Sanctorum & calamitates eo planè modo sunt DEO casuales, quo inventio Thesauri fossori; at vero postquam DEUS præscit jam futuras persecutiones Sanctorum, & calamitates, eas intendit (& hæc est secundaria intentio DEO blasphemè afficta) ad ulteriorem bonum finem dirigere. 5. *Si eventus aliquis est Deo* (ut ait *Vorstius*) *casu occasionatus & accidentarius*, casus in DEO æquè ac in nobis dominatur, *& profectò in omni re*, in Cœlis, in DEO, *dominatur fortuna*. Sic 1. DEUS erit causa illius eventus per accidens, & omnis causa per accidens reducetur ad aliquam causam per se, quæ sit illâ prior & nobilior. At quis DEUS est prior & nobilior nostro DEO, qui per se exercet hoc opus justitiæ in contumaces, *ut ponat* CHRISTVM *in ruinam*? nam opus justitiæ nullum est ab ipsis contumacibus per se, nullum à casu, quia casus non est justus mundi judex, nullum à fortunâ, quæ nulla est. 2. Ruina & æternus omnium impiorum interitus erit sic à casu.

2 Tim. 2. 10, 12. Apoc. 2. 10. Apo. 3. 21. Apo. 7. 14. 15. Apo. 21. 4. Psal. 105. 17, 18, 19, 20. Psal. 107. 5. 6. 7. 8. 1 Cor. 4. 8. 9, 10. 1 Cor. 4. 11, 12. Act. 14. 22 Col. 1. 24. 1 Thes. 3. 3 Deute. 28. 2, &c. Levit. 26. 27. Thren. 3. 39.

Amos 3. 6. Jesa. 45. 7. Psal. 91. 3. Psal. 118. 6. 27. Deut. 32. 29. 1 Sam. 2. 6, 7, 8, 9. Math. 7. 13. Math. 16. 24. Salust. in Consp. Catilin.

XVI. Otiosa DEI permissio, qua non vult peccatum fieri, pugnat cum ministerio verbi, & præsertim cum promissionibus & comminari- Arg. XVI.

Fortuita hæc permissio pugnat cum promissionum & comminationibus.

comminationibus verbo DEI propositis, adeoque cum naturâ religionis, & conscientiâ in DEUM, & ipe præmii & metu supplicii. Ergo est explodenda. Prob. Anteced. Non posset DEUS promittere se effecturum cor novum absolutè & efficaciter in Electorum Ecclesia, nisi nollet efficaciter & absolutè novi cordis effectionem, adeoque nollet, permissivè culpabilem non-conversionem, & ut corde saxeo permanerent quidam non Electi; Si enim DEUS dat cor novum, quia vult, non ex merito hominum: Ergo promittit & vult cor novum quibus vult, quia vult, & nullo dignitatis respectu; & pari ratione negat cor novum quibus vult quia vult, nullo demeriti & indignitatis respectu. Hoc argumentum confutat novam opinionem, quam tenuit Doctor *Abredonensis*, *Ro. Barronus* vir alioqui eruditus, qui vult DEUM prædeterminare voluntates hominum ad actus bonos & supernaturales, uti ipse saltem profitetur, at negat DEUM prædeterminare voluntates ad actus entitativos peccati, quia sic (inquit) DEUS statueretur Author peccati. Sed Doctor ille *Calvino*, *Bezæ* & Reformatis Ecclesiis crimen βλασφημίας, à quo magnopere abhorrent, falsissimè impingit, quod & ego ei sæpius amicè in memoriam revocavi, si enim DEUS actione gratiæ efficacis indeclinabiliter voluntates Electorum ad conversionem impellit, ideoque causa conversionis est. Ergo, secundum Doctoris hujus placita, hoc ipso quod DEUS nulla gratiæ efficacis motione reproborum voluntates flectat ad conversionem, erit non-conversionis author, & peccati causa, nisi *Doctor* ad gratiam Arminianorum sufficientem & DEI intuitum in meritum & dignitatem & demeritum & indignitatem, cum *Arminianis* & *Semipelagianis* confugiet, ut sic conversio desinat esse gratuita, sic enim DEUS necessitat ad peccatum, prædeterminando ad actum entitativum peccati & libertatem in peccando destruit, uti *Doctorem* arguentem audivi, pari ratione, quia prædeterminat voluntates, uti ipse fatetur, ad actus bonos, & supernaturales, libertatem etiam in actibus bonis destruet DEUS. Præterea non posset DEUS excæcationem & indurationem immorigeris comminari, quod tamen facit. Imo nec posset DEUS comminari malum infligendum servis suis idque scelerate & peccato impiorum eventurum quod tamen facit, sæpius in Scripturis; si enim DEUS non vult neque decernit ut eveniat peccatum, comminatur id fore, quod neque vult,

Esa. 9.10. Joa. 9.39 2 Thess. 2. 11, 12. Rom. 11, 8, 9, 10. Prov. 22. 14. Esa. 19.6, 7 2 Sam. 12. v 10, 11 11. Esa. 10.6. Jer. 14.v.15 16. Jer. 20.v.4 5.

vult, neque decernit fore, quod blasphemè affingit Deo hypocrisin. Nec est quod dicant, Deum non comminari peccatum, sed tantum iis in locis, permissionem peccati. Sed *Absolomum* permitti polluere torum patris, nisi actu pollust, *Davidi* non est pœna, nec quod populus *Israelis* permittatur sese obdurare est pœna, nisi actu obdurentur. His adde quod Deus habeat vel velle vel nolle circa omne quod existit, ac proinde circa omne quod promittit, & comminatur. *Si enim* (ut rectè *Bradwardin.*) *est aliquod objectum circa quod DEVS non habet aliquem actum voluntatis, & certum est quod habere potest. Ergo DEVS est in potentiâ & quasi dormiens respectu illius objecti.* Bradward. l. 1. c. 22.

Argumen. XVII. *Evertit consolationes Christianas & sanctum DEI timorem hac permissio.*

Arg. XVII. Stante otiosâ permissione, non possunt Ministri Verbi animare & confirmare animos Sanctorum contra perpessiones & clades ipsis à persecutoribus illatas. Non possunt dicere, *bono es animo, ne animum despondeas, DEVS tuus est Omnipotens, & potest odia, rapinas & cædes hostium avertere, & tollere.* Nam responderet Sanctus, quod Deus nec vult nec decernit contra me fieri, id omnipotentiâ suâ nec efficere ipse, nec tollere potest. Si enim afflictiones meas hasce non vult, potentiam, quæ per voluntatem operatur, effugient. 2. Non posset Minister dicere, *bono es animo, est Patris tui clementissimi voluntas ut patiaris,* 1 Pet. 3. 17. *Es à Deo ad perpessiones constitutus,* 1 Thess. 3. 3. Responderet *Sanctus*, at *Arminianus sum, & credo mihi nihil à me, aut commerito persecutiones iis & omnia peccata evenire, DEO nolente, DEO nec decernente, nec constituente, nec determinante pondus & mensuram.* 3. Non posset Minister dicere, *temperat pater calicem.* 2. *Ne desperes, sed time DEVM, quo volente, pateris hæc.* 3. *Age gratias DEO, qui in bonum tuum ut humilieris, ut mundo crucifigaris, hæc te pati voluit à malis.* Responderet Sanctus. At *DEVS peccatorum gradus non auget, non minuit, uti meus Apostolus Arminius me docet, non vult peccata ulla, persecutiones hæ sunt persequutorum flagitia.* 2. *Timendus est mihi Diabolus, timendi persequutores, non DEVS.* Nam timetur is qui est principalis & infallibilizans causa mali, penes quem est inferre malum, vel pro arbitrio suo, non inferre. At talis causa non est Deus, sed tantum Diabolus & persecutores mei: & frustra is timetur, qui omninò nec vult, nec decernit, ut malum hoc mihi à malis infligeretur, nec agit ut causa omninò, nedum ut causa prin-

cipalis, in quam ultimatè ut in primam causam timor religiosè terminaretur, sed ut spectator sciens quidem, sed non volens mihi malum inferri à nebulonibus hisce; at talis est causa Deus. 3. Nec est quod gratias Deo ob has afflictiones agam, eas ego, eo nec volente, nec decernente, nec infligente, nec determinante, imò planè non volente, non curante patior. Si non vult neque curat.

Argumen. XVIII.

Arg. XVIII. Uti hæc permissio est in Deum ejusque gloriosa attributa blasphemè iniqua: 2. Uti religionem, minas & promissa & Ministrorum officia in consolandis piis persecutionibus obnoxiis omninò enervat & delet; Ita rebus ipsis sapienti Dei providentiâ pulcherrimè ordinatis omninò repugnat. 1. Res omnes Dei providentiâ pulchrè ordinatæ sunt, stante hâc permissione, *Ecclesia* Dei vastatur, Deo non volente, id est, fortunâ dominante. 2. Pulcher ordo est pios affligi à malis, & pios tandem liberari, malos in æternum perdi. At hic ordo est contra Dei voluntatem & sapientiam, stante hâc permissione, quippe Deus nec vult nec intendit hanc catenam, nunquam intendit, nunquam voluit, ut pii ab impiis affligerentur. 3. Pulcherrimus est etiam ordo, quod Deus infinitè gloriosus intendat Omnipotentiæ suæ gloriam, liberando homines è gurgite peccatorum, gloriam gratiæ, misericordiæ, justitiæ, veracitatis, in Filii sui incarnatione, morte, condonatione & punitione peccatorum illustrare decreverit; at si peccatum nunquam fieri Deus voluit, ordo hic casualis & per accidens Deo evenit, & contrarius ordo, nempe, ut in æternum sepeliendâ fuisset hæc gloria, & homines Angelosque latuisset, à Deo primitus & per se intentus fuisset, & hic ordo, Deo invito, & non intendente obtigit. Hem miseranda & deploranda fata ne *Jehovæ* Omnipotenti frangenda aut domanda! Spero per Dei gratiam in horum hominum secreta me nunquam iturum.

Pugnat cum pulcherrimo divinæ providentiæ ordine.

CAPUT

CAPUT. XXV.

Durandi & Lodovici a Dola, *negantium concursum DEI immediatum cum omnibus causis secundis.* 2. *Concursum DEI generalem & determinabilem à causâ secundâ asserentium, sententia profligatur.*

1.

ARgumentum decimum nonum hoc est. Qui concurrit cum voluntate deficiente, actum entitativum peccati producente, cum quo inseparabiliter annexa est malitia, idque actione verè causali, is non potest non velle ut existat ea malitia, sese permittente. Atqui DEUS tali modo concurrit. Ergo DEUS non potest non velle ut existat malitia, sese permittente. Major est certa, quia si DEUS omninò nollet peccatum fieri, ejus existentiam efficaciter impediret, & nullâ causalitate fundamentum materiale ejus fieri procuraret. Minor est Adversariorum confessio. Ad hoc argumentum duæ sunt responsiones. Prior est *Durandi & Lod. à Dola* ex ordine *Franciscani Capucinorum. A Dola* ait, *DEVM concurrere esse, vel liberum arbitrium creare, ut in actibus naturalibus, vel dare in supernaturalibus potentiam seu habitum agendi vel non agendi, per quem ipsa voluntas totum faciat in omni actu supernaturali absque ullo alio DEI concursu immediato actionem actu promovente.* Argumen. XIX.

2. Sed hæc vana sententia repugnat sacris Oraculis; *Job.* 26. 13. *Obstetricante manu ejus formatus est coluber oblongus.* 36. 27. *Nam subtrahit stillas aquarum, quæ fundebant pluviam ad calamitatem.* 32. *Manibus obtegit lucem, & interdicit ipsi.* Cap. 37. 5. *Qui nivi dicit, esto in terrâ.* *Job.* 9. 7. *Qui interdicit Soli & non oritur, qui ante stellas obsignat viam.* Actuoso DEI imperio vetante, ne ipsa quidem, quæ impetu naturæ agunt, ullas actiones perficiunt, At si nutu & imperio DEI oritur Sol, aut non oritur, DEUS ad Solis ortum, uti & stellarum (quibus viam, quo minus resplendeant, obsignat) concurrit imperio singulari, quod aliud quidpiam est quam ipsa potentia oriundi & splendendi quæ est in Sole non oriente *Deum immediate concurrere ad operationes omnium causarum secundarum, probatur contra Lo. A Dola.*

& in stellis non micantibus nobis interdiu *Psal.* 139. 15. textum urget hunc *Raynandus*, *Non est celata tibi vis mea, &* בְּתָחַת תְּיוּת אָרֶץ רֻקַּמְתִּי *acu pictus fui in inferioribus terræ partibus.* Hic ex artificiosâ & mirabili corporis sui, in utero materno efformatione, *David* probat inscrutabilem DEI cognitionem, quod argumentum probaret genitorem *Davidis*, qui verè causa efficiens, in eâ efformatione, vim genitivam cum semine impertiendo, fuit, tali cognitione pollere, nisi DEUS singulari concursus sui immediatâ actione hic ageret. *Math.* 6. 30. *Granum agri vestit.* 1 Cor. 15. 38. *DEVS dat ei corpus, sicut vult.* Non sicut DEUS, sed sicut natura vult, fierent corpora, nisi interveniret singularis DEI actio in efformandis corporibus. *Joan.* 5. 17. *Pater meus usque adhuc operatur, & ego operor.* Non valeret hæc ratio, nisi tam singulari actione DEUS ageret in creaturis quotidiè, quam CHRISTUS Sabbatho claudum curavit. At verò actio DEI, quâ in creatione DEUS omnibus creaturis agendi virtutem indidit, non est talis quotidiana actio divinæ curæ, qualis fuit illa curatio CHRISTI. *Phil.* 2. 13. *Deus enim is est qui efficit in vobis velle & perficere.* At si DEUS immediatâ actione hic non ageret, DEUS non magis efficeret in Sanctis velle, quam nolle, & perficere, quam non perficere bonum. *Prov.* 21. 1. *Cor Regis in manu DOMINI, quocunque vult, illud inflectit.* Quia verò nulli habitus gratiæ voluntatem prædeterminant ad unum oppositorum, si DEUS habitum aut potentiam agendi tantum dando, ageret cum voluntate, DEUS nunquam quo vult, inflecteret voluntatem, sed ipsa voluntas sese quocunque vult, inflecteret, neque DEUS per solam communicationem potentiæ aut habitus (quæ semper voluntatem suæ indifferenti potentiæ nolendi, volendi, agendi, & non agendi relinquunt) ullum haberet dominium in actus voluntatis, neque voluntatis assensum potius quam dissensum efficaciter procurare posset. *Heb.* 13. 21. *DEVS paris aptet vos ad omne opus bonum,* hoc est (ut rectè ait *Cumel*) *applicet vos & moveat ad faciendum.* 2. DEUS prædeterminat voluntatem ad omnes actus tum naturæ, tum gratiæ, ut alibi, *Exercit apologeticis pro divin. grat. ex.* 3. *c.* 1. probavi. Ergo concursum immediatum præstat omnibus actionibus. 3. Nulla esset ratio, cur oraremus DEUM ut cor nostrum ad actualem obedientiam flecteret; DEUS enim hoc præstare efficaciter non posset, siquidem voluntati dat

Cumel tō. 2. de grat. & li. ar. discursu 5. sect 2. pag. 142.

duntaxat

duntaxat potentiam seſe flectendi, vel non flectendi. 4. Periret fides, quâ ſperamus fore ut Deus pro gratiâ ſuâ daret, ut actu Deo adhæreremus, & in gratiâ perſeveraremus. 5. Fruſtra crederemus fore ut Deus gratiam apud hoſtes conciliaret, eorum voluntates ad actualem benevolentiam converteret erga nos. 6. Ratio nulla petenda foret à Dei providentiâ, cur non velocibus eſſet curſus, & robuſtis victoria, nam Deus currendi & vincendi potentiam contulit utriſque, eſſet ab ipſis, ſtante hâc opinione, curſus & victoriæ palma & gloria. Quod apertè negat *Salomon* Eccleſ. 9. 13. 7. Si Deus ideo eſt cauſa generationum, nivium, pluviarum, ventorum & omnium effectuum naturalium & liberorum, quia naturæ & voluntati dedit agendi potentiam, (certum autem eſt omnes effectus poſitivos Deo ut cauſæ à ſacris oraculis adſcribi,) tum Deus erit cauſa cur *Adamus* peccaret eodem planè modo quo eſt cauſa generandi filios, quia *Adamo* potentiam peccandi, puta liberum arbitrium dedit. Reſpondet *Lodo. a Dola.* *Non eſſe parem rationem, quia DEVS dat potentiam generandi eâ intentione, at ſiant generationes; at non dedit liberum arbitrium eâ intentione, ut Adamus peccaret.* Lodov. a Dola de concurſu par. 4 c. 17. §. 6.

Reſpondeo 1. At Deus generationes libidinoſas adulterio & inceſtu pollutas vel intendit, & ſic nihil dicit *Lodovicus*, ad rem, vel generationes intendit, non autem inordinationes iis annexas quâ tales; ac ſic ad nos redit. Quorſum ergo nova hæc & prophana opinio. 2. Nuda Dei intentio ab Omnipotentiâ, (quæ cauſas ad agendum applicat) contradiſtincta, nihil cauſalitatis ad effectum producendum confert, alioqui quia intentio & volitio quâ Deus res fieri vult, ab æterno fuit, omnia entia volita ſic actu etiam fuiſſent ab æterno; ideoque ex hâc reſponſione bene ſequitur Deum tantum cauſalitatis phyſicæ, licet non moralis conferre ad peccati productionem, quam confert ad productionem omnium effectuum poſitivorum, ideoque tam Deo ut cauſæ phyſicæ adſcribi debent peccata, quam nives, grando, pluviæ, æſtas & hiems Deo in Scripturis adſcribi ſolent. Et *Lodov.* incidit in *Scyllam* cupiens vitare *Charybdin.* 8. Sic arguit *Hirtado de Mendoſa.* *DEVS non poſſet univerſa providere, maximè providentiâ miraculoſâ, niſi ab illo res ideoque actiones penderent immediatè, quia ſine phyſicâ actione non poſſet DEVS actiones cauſæ ſecundæ cohibere, neque eaſdem imperare.* Hirtado Mendoſa diſp. phyſ. 10. ſect. 2. fig. 12, 13, 14.

Nec sufficit imperium voluntatis divinæ quo actiones omnes sint, vel non sint pro libitu DEI. Primo. Quia si id imperium ageret *Petrum* ad benè volendum, si *Petrus* sic actus malè vellet, violaretur DEI imperium. 2. Quia tam repugnat DEI sanctitati, exercere imperium hoc ad peccata producenda, quam concursum immediatum suum conferre ad actum entitativum peccati. At dicit *Lodovicus.* *Licet* (inquit) *actio mea non sit etiam proxima & immediata actio DEI, tamen non ago nisi DEO immediatè & directè volente aut saltem permittente, & virtutem ad agendum conferente. At hoc est nugari; si enim DEVS immediatè vult actum entitativum,* quorsum Novator neget DEUM immediatè concurrere ad eum actum? Denique *Pelagiana* est hæc opinio. Nam apud *Hieronymum Critobolus* negat opus esse DEI *adjutorio ad scribendum, calamum temperandum, loquendum, tacendum,* &c. Nec *Lodovi.* & *Vasquez* rectè hic respondent. *Hieronymum loqui de iis actibus ut ad gloriam* DEI *referuntur.* Nam sic *Atticus* nihil ad rem respondet *Critobolo* qui quæstionem movebat de actionibus secundum esse naturæ spectatis. Sed argumenta contra generalem DEI concursum hanc opinionem etiam refutant. Ideoque non immorabor diutius refutandæ huic vanæ sententiæ.

A Dola par. 4. c. 17. §. 7. Hierony. adver Pelagi. dialo. 1.

A Dola par. 4. c. 7. *Generalis concursus quid.* Molina de concor. q. 14. art. 13. disp. 33. Bellarmi. tom. 4. contrav. de amis. grat. lib. 2. c. 18. Gregor. de valen. tom. 1. disp. 1. q. 22. p. 3. Vasquez. in 1 2. tom. disp. 135 c. 5. §. 15 16.

3. Alia est responsio, seu potius celebris opinio *Jesuitarum* & *Arminianorum* ideo DEUM concurrentem cum creaturâ peccante ad actum entitativum peccati, non velle ullo modo peccatum fieri, quia ipsius DEI *concursus est ex se generalis, indifferens & determinatur à concursu causæ secundæ, ita Molina, Bellarmi. Gregori. de Valentia, Vasquez.* Ita *Jac. Arminius qui sic differit.* Ut *existat actus ille pendet a libertate voluntatis quoad exercitium, ut hanc potius essentiam habeat, quam illam seu ut potius hic actus sit quam alius, ut potius actus vetitus quam non vetitus, potius contra hoc, quam contra illud præceptum, pendet à libertate quoad specium actus,* Ita *Grevinch.* & *Corvinus.* licet *Molina* dicat *DEUM tantum intendere producere esse effectus, voluntatem vero producere tale vel tale esse bonum vel malum. Suarez* tamen & *Bellarmi.* dicunt *DEUM intendere bonitatem actus. Arminii. Antiperkins.* ait *concursum illum DEI* indifferentem nihil conferre *voluntati creaturæ, quo ad agendum vel inclinetur, vel juvetur, vel confortetur, & voluntatem creatam habere DEI concursum in potestate suâ, priusquam operetur, paratum sibi & expositum.* Omnes tamen

Jac. Armini. Antiperkins pa. 731. 733. Grevinch. con. Ames. sec. 32. pa. 368. Corvinus. contr. Tilenum. c. 9 pag. 354. Et idem cont. Molinæ. c. 2. §. 15.

tamen docent, non esse a Deo concurrente, sed a voluntate creatâ quod actus conversionis, fidei & resipiscentiæ sit, potius quam actus contumaciæ & impœnitentiæ, quo quis Deo vocanti contumaciter repugnet. Ideoque *Jesuitæ* & *Arminiani* Deum gratiosè concurrentem ad actus conversionis fidei, spei &c. fingunt agentem otiosum, frigidum, inefficacem, & non agentem. Molinalos cit. Suarez de div. gr. par. 1. c. 22 *Refutatur concursus Jesuitarum & Arminiorum Generalis & indifferens.*

4. Contra commentitium & impium concursum hunc primo sic argumentor. 1. Concursus ille in Deo non est fingendus qui imperfectionem ponit in Dei voluntate. Sed talis est hic concursus. Ergo in Deo non est fingendus talis concursus: Probatur minor. Nam opportet Deus dicat. *Decerno generalem concursum præbere creaturis, sed nondum determinavi qualis in specie futurus sit, donec consulam voluntatem creatam.* 2. Dicit *DEVS, necesse est explorem voluntatem creatam, ut sciam num identificandus sit concursus meus cum volitione, an cum nolitione, cum actu amoris DEI, an cum actu odii DEI.* Nam ut Deus probè cognoscat concursum suum, necesse est hoc prius cognoscat, quam actu concurrat. 3. Dicit *DEVS, præscitâ jam determinatione creatæ voluntatis & præscitâ jam conditione impletâ, quâ concurro cum voluntate, nempe voluntate jam positâ in actuali influxione ad hanc partem oppositorum, jam absolutè, non conditionatè, ut in priore signo, statuo concursum meum præbere.* Hic multa sunt *DEI* voluntate indignissima. Nam 1. dicit *Paulus* ex *Esaia* *Quis DEO fuit consiliarius?* Atqui in hoc casu nihil potest Deus magis determinatè decernere aut scire de determinato suo concursu, donec consulat nutum determinativum creatæ voluntatis, quam potest homo dubitabundus in bivio, certi aliquid statuere, donec ei nova lux affulserit. 2. Imperfecto plane modo Deus à genere ad species procedit, à concursu in genere, ad hunc determinatum concursum. 3. Deus bis decernit omnes actus humanos, primo confuse & in genere, deinde in specie. 4. Si consuleretur Deus in primo signo rationis de futuritione actuum liberorum, responderet, nescio donec voluntatem creatam consulam. 5. Deus non in sese, sed in creaturis videt futuritionem actuum liberorum. 6. Sic propriè determinaretur consilium Dei æternum a voluntate humanâ, quod præterquam quod Deo libertatem in decernendo eripit, (docent enim illi non esse id agens liberum quod aliundè, quam a sese determinatur) infert fœdam Dei à creaturæ suæ Rom. 11. 34 Isa. 40. 13.

lubrico-

lubrico nutu dependentiam. Dicunt quidem *Bellarminus* & *Arminius*, *DEVM hic non à voluntate creatâ, sed dependere à decreto suo libero quo concurrere cum causis liberis statuit.* Sed nemo tam hebes est, qui non videat, decretum DEI quo hunc determinatum concursum præbere statuit, omnino dependere à nutu voluntatis creatæ, in cujus voluntatis potestate situm est, ut vel extiterit in DEO ullum tale decretum, (nam si voluntas, uti potest, nunquam ageret nunquam fuisset in DEO tale decretum) vel ut extiterit in DEO decretum de concursu identificato cum hac liberâ volitione potius, quam decretum de alio concursu identificato cum nolitione liberâ, vel alia volitione impiâ. Vendit aliquis sese Tyranno ad fontes torquendos, molendum, fodiendum, &c. Etsi libere id faciat, tamen si semel sese vendiderit, jam cogitur Tyranni libidini inservire, molendo, fodiendo, seu quidvis aliud noctu & interdiu agendo. Sic liberum forte decretum fecit DEUS de concursu suo præbendo cum causis liberis, sed posito semel hoc decreto necessitatur DEUS ad aliud decretum servile & dependens faciendum, quo statuit. dependenter à nutu voluntatis creatæ concurrere vel non concurrere.

Arg. II. *Concursus generalis pugnat cum precibus Sanctorum.* Antonius Walæus contra Corvinum cap. de provid. pa. 89. 90. *Vide* Gen. 43. 14. Nehem. 1. 11. Esther. 4. 16. Ps. 25. 4, 5. 2 Sam. 15. 31. Dan. 9. 17. Cant. 1. 4. Luc. 22. 32

Arg. II. Concursus hic commentitius tollit necessitatem orandi. Ergo est rejiciendus. Prob. anteced. frustra oratur ut Deus Patriarchis *Josephi* favorem, & *Esthere* DEUS conciliaret gratiam *Assueri*; non enim à DEO movente cor concursu determinabili & indifferente ad vel favoris vel odii actus, est quod *Josephus* potius odio afficiet, quam gratiâ viris arrideat, sed à voluntate *Iosephi* & *Ahasueri* determinante concursum DEI ad actum gratiæ potius quam ad actum odii. Preces ergo vel concipiendæ sunt fortunæ, vel hominibus ipsis in quorum potestate absolutè est, quod nos habeant in deliciis; nullo verò modo, DEO, qui nec odium hominum conflare, nec gratiam conciliare potest, nisi prout allibuerit hominibus ipsius *Dei* motionem determinantibus. Imò hic Sancti orarent, (ut notat Clarissi. vir & doctiss. *Antonius Walæus*) influxum generalem DEI, Nihil enim talibus precibus jejunius.

Argum. III. Si staret hic concursus frustra DEUS promitteret, *Esai.* 44. Populi sui liberationem per *Cyrum*, & *Chaldæorum* vastationem per *Medos* Jer. 50. Et conversionem gentium per liberum Apostolorum & Pastorum ministerium, quia non est à DEO, sed ab agen-

ab agentibus liberis determinantibus DEI voluntatem & concursum generalem, & ex se indifferentem ad populi liberationem vel non liberationem, quod existat potiùs liberatio, quam non liberatio, vastatio *Chaldeorum*, potiùs quàm non vastatio: DEUS enim suas promissiones sic efficaciter implere non posset, Deusque verax non foret, vel in promittendo, vel in comminando ea quæ ministerio liberorum agentium eveniunt, nisi hominibus allubescat. At verax est DEUS, licet omnes mortales mendaces sint.

Arg. IIII. Si stet concursus generalis, frustrà gratias agimus DEO de bonis procuratis per agentia libera; frustrà in DEUM confidimus, speramus, timemus, & voluntates nostras patienter DEO submittimus, quo bonum, quod nobis ministerio agentium liberorum obtigit, vel eveniat, vel malum ei contrarium avertatur, vel æquo & patiente animo perferatur; quia non DEO, quo concurrente hæc efficaciter fiant nobis, sed causis liberis efficientiam DEI in hisce determinandis, debemus fiduciam, spem, timorem & æquam animi submissionem: nam DEO concurrente tam non eveniunt, quam eveniunt bona vel mala hæc. Argu. IV.

Arg. V. Si effectus omnes fiant per DEI talem concursum indifferentem, per quem tam non fiant, quam fiant, & per quem tam contrarii effectûs fiant, quam hi; tum sequitur copiam aut inopiam frugum, ovium, leonum, piscium, item auri & argenti & divitiarum, quæ obveniunt hominibus, actibus liberis mercandi, non esse à DEO: nam 1. Si non est à concursu DEI indifferenti, sed à causis liberis cum concursum determinantibus, quod effectûs tales sint, nec erit à DEI concursu, quod multitudo effectuum sit talis & quota, & numerus actionum liberarum penes DEUM non erit. 2. Si determinatio divini concursus sit à causâ secundâ, non à DEO, nec determinatio effectorum quoad numerum erit à DEO, sed à causâ liberâ. Nam non sunt penes DEUM tot actûs liberi mercandi, nec tot actus feliciter mercandi; quia mercaturæ felicitas est qualificatio & determinatio mercaturæ: at determinatio nulla effectus est à concursu indifferenti & determinabili. Hinc sequitur falsum esse, quod ait Scriptura *opulentiam & pauperiem esse à DEO.* Deutero. 15. 6. Deutero. 28. 4, 17, 18. 1 Sam. 2. 7. Argu. V.

Arg. VI. Si concursus DEI sit indifferens omninò, multis modis Argu. VI.

Generalis concursus Deo admittit multitudinem effectuum, paupertatis, opulentiæ omnis specialis providentiæ, & vigilantis curæ DEI dispensationem.

dis evertitur particularis DEI providentia. Nam 1. *Dispositio sortium non est à DEO.* Quia à DEI concursu, ad hanc vel illam sortem planè indifferente, non est egressus hujus potius quam illius sortis, sed vel à fortunâ, vel à manu sortem apprehendente. 2. Nec est à DEO, quod passer decidat in terram, quia volatus potiùs, quam non volatus à DEO non determinatur. 3. Quando *unusquisque sortem judicis expetit, non est tamen à Domino unius cujusque sententia*: quia DEUS concurrens cum judice sententiam juridicè dicente, indifferenter se habet ad æquam & iniquam sententiam. 4. Nec est à DEO quod homo occidatur à securi hominis ligna cædentis, & nihil tale intendentis: quia concursus DEI cum cædentis manu, & securis motione, est tam indifferens ad non occisionem viatoris, quam ad occisionem. 5. Falsa erunt hæc omnia,

Psal 104. 146. 7. 1 Samu. 2. 7, 8, 9, Deute. 32. 39. *Job. 37. DEUM dare nives, imbres, pluvias, glaciem, nubes, ventos.* Falsum erit eum dare *corvis escam, alas ciconiæ, robur equo.* Falsum eum dare *cibum famelicis, solvere incarceratos, curvatos erigere, aperire cæcorum oculos, salvare advenas, orphanos & viduas levare, morti addicere, è sepulchro educere, in thronum mendicos evehere, Reges è solio deturbare.* Hi omnes sunt effectûs determinati: at DEO non possunt tribui, stante hac sententiâ Epicureâ. 1. Quia non magis hi effectûs, quam contrarii; imò quam nulli tales effectus omnino, possunt DEO concurrenti, concursu ad effectûs hosce aut non effectûs hosce indifferente, tribui. 2. Quia determinati sunt hi effectûs: at determinatus effectus quâ talis, non est à concursu DEI indeterminato & indifferente. Respondet *Bellarminus.*

Bellarmi. loc. citat. *Actionem humanam planè totam esse à DEO, & ab ipso habere non solum esse genericum, sed etiam specificum & singulare; cæterum id habere per concursum DEI determinatum ad actionem talem à voluntate humanâ (seu à creaturâ) ac proinde non habere esse specificum ex modo agendi DEI, sed ex modo agendi voluntatis humanæ (seu creaturæ).*

Respondeo 1. DEUS igitur non eo modo agit, quo sint tales actus & effectus determinati, sed id arbitrio creaturæ & causæ secundæ committit, ut sint nives, imbres, Corvorum nutritio, cibatio famelicorum, exsolutio vinctorum, mors, vita, pauperies, divitiæ, honos, ignominia: quia esto quod concursus DEI determinaret hos effectus in specie; attamen quia actio causæ secundæ determinat concursum DEI, utpote indifferenter se habentem ad

hosce

hosce effectus vel non effectus, sequitur à primo ad ultimum, à causâ secundâ esse pauperiem potius quam opulentiam, mortem potius quam vitam, ignominiam potius quam honorem. Si ergo causa secunda determinat omnes effectus in specie per auxilium concursus divini, quem etiam, utpote indifferentem, ipsa determinat, sequitur determinatos effectus quâ tales esse à solâ causâ secunda, non à Deo. O providentia omnis fidei, spei, amoris, & consolationis inops & vacua! 2. *Si esse specificum & singulare est à concursu DEI determinato per actionem causæ secundæ*; Ergo actio quâ mala habet esse specificum à Dei concursu, quod *Jesuita* declinare satagit: Vel actioquâ bona non habet esse specificum à Dei concursu, quod absurdum. 3. Concursus Dei est primæ causæ actio & principalior quam secundæ. Ergo esse specificum erit prius & principalius à Deo quam à causâ secundâ. At hoc est contra concursum determinabilem. Et esse malam actionem erit prius & principalius à Deo, quam à creaturâ deviante.

Argu. VII. Non est talis in Deo concursus fingendus, qui actus liberos Dei Dominio exsolvit, qui Deum ad agendum necessitat, & ad non agendum impossibilitat. Sed concursus Dei indifferens est talis. Ergo talis concursus non est fingendus. Major est certa. Probatur Minor per partes: Si Deus concursu suo non magis actum quam non actum producit, non habet per suum concursum, ac proinde nullo alio causandi actu, in suâ potestate actum potius, quam non actum. Hic ergo concursus evertit Dei Dominium. 2. Si causa secunda agat, necesse est Deus coagat & concurrat; quia impossibilis est actio causæ secundæ absque actione causæ primæ, & per eandem rationem impossibilitatur Deus ad non concurrendum, si causa secunda prius ordine naturæ non agat. Si quis dicat *DEVM non necessitari ad concurrendum cum voluntate*; Tunc dico cum *Bradwardino*. *DEVM posse liberè voluntatem impedire ab agendo. Ergo liberè vult non impedire eam, quia per* 22^m. *primi DEVS habet aliquem actum voluntatis circa non impedire & non volitionem; quia per* 10^m. *primi tunc non impedire non esset, quare & impedire esset.* At quomodo Deus impediat causam secundam jam prius agentem quam Deus concurrat, si liberè agat, & non annihiletur, est impossibile cogitatu & contradictorium. Addo 1. Si est in meâ potestate concursus Dei, est etiam in meâ voluntate, Dei

Arg. VII. *Generalis hic concursus tollit DEI dominium in actiones creaturarum.*

Bradward. lib. 2 c. 9.

voluntas æterna concurrendi, & sic aliquid temporale causabitur æternum. 2. Futuritio concursus DEI est in meâ potestate: sed quia futurum nunquam incepit esse futurum, vel libera mea actio fuit ab æterno, quod est falsum; vel futuritio concursus DEI nullam habuit causam, quod etiam absurdum. 3. Voluntas humana esset liberior, quam divina: quia humana voluntas & concursus hominis præcedit DEI voluntatem, ut necessitans & impossibilitans præcedit id quod necessitatur & impossibilitatur, & determinans prius est eo quod determinatur.

Arg. VIII. Arg. VIII. Concursus hic indeterminatus facit DEUM exspectare cooperationem creatæ voluntatis antequam DEUS præbeat determinatum suum concursum. Ergo talis concursus est vanus. Ratio sequelæ est, quia non potest DEUS id quod est impossibile, exspectare. Nam voluntas creata caret comprincipio essentialiter requisito ad suam cooperationem efficiendam; nempe caret determinato DEI concursu ad hanc cooperationem essentialiter requisito, quoniam adhuc concursus est indifferens. At hoc idem est, ac si judex liberam incarcerati vincti ambulationem per agros exspectaret priusquam vel vinculis expeditum, vel fores reseratas curaret.

Arg. IX. Bonavent. Bannes tô. 1. in Thô. q. 19. ar. 8. ad. 2. Grevinch. con Amesi. sec. 27 pa. 206, 207. Arg. IX. Causa omnis determinans, quia actualior est determinabili, est etiam perfectior. Ergo si DEI concursus à causâ secundâ determinatur, DEUS erit causa minus perfecta quam causa secunda. Ita *Bonaventura*, ita *Bannes*. Respondet *Grevinchovius* id non *esse universaliter verum: quia species visibilis est oculo ignobilior, & eum ad videndum determinat.* Respondeo. Speciem determinare oculum ad videndum instrumentaliter tantum, animam verò id præstare principaliter.

Arg. X. Arg X. Si DEUS concurrit ad omnes actûs bonos, malos, naturales, & supernaturales concursu indifferente, tum non magis DEUS per concursum suum causaretur actûs bonos, quam malos, & supernaturales, quam naturales. Nam concursus ejus ex æquo est indifferens ad hos omnes actus. At absurdum est DEUM non alio modo esse causam bonorum atque malorum. Tollit enim gloriam gratiæ actualis, studium precum enervat, homini inanis gloriationis materiam suggerit. Duo hîc respondent. 1. Dicunt *Bellarminus* & *Suarez* non sequi, *quia quamvis par & æqualis sit concursus DEI,*

Evertit perfectissimum Deo causandi modum.

Deus

DEVS tamen imperat & suadet bonas actiones & actiones bonas intendit, malas nec imperat nec intendit.

Respond. Mandatum, suasio DEI, sunt actiones DEI morales: At adhuc sequitur in genere causæ Physicę, licet non in genere causæ moralis, non aliam nec majorem causalitatem DEUM concurrentem exercere in actibus fidei, spei & charitatis, atqui in actibus infidelitatis, blasphemiæ, & malitiosi sacrosanctæ Deitatis odii; nam suasio & intentio DEI nihil reale ponunt in voluntate: Intentio DEI est actio mere immanens in DEO, quæ quâ talis, nullam causalitatem ad extra exercet. 2. DEUM concurrentem cum Diabolis intendere ut Diaboli bonas & sanctas actiones præstent, & obediant. Ego ut credam difficilè adducor: credant Adversarii: sed quo lumine, ipsi videant. 3. Nemo cui aliquid salis est, crederet DEUM id intendere, quod in ipsius potestate efficaciter præstare non est, aut id DEUM intendere ad quod producendum causalitatem adhibet tam indifferentem ad illius non productionem quam ad illius productionem. Milites non intendunt hanc urbem potius, quam illam oppugnare, cum toti pendeant ex ducum directione quas urbes oppugnent, quas non. 2. Respondent. *Actiones bonas esse à DEO per auxilium gratiæ, non sic actiones malas.* Sed Respondeo 1. Potest DEUS in duobus gratia habituali ut concurrere concursu generali, & tamen actus fidei in uno, & infidelitatis in altero ex illo eodem concursu sequi potest. Hîc sequitur Deum concurrentem nihil causalitatis conferre in actum fidei, quod non contulit in actum infidelitatis. 2. Gratia hæc Jesuitis sæpe est mera suasio, quæ realem causalitatem nullam confert actioni. 3. Hinc tamen adhuc sequitur gratiam actualem DEI omninò æqualem esse in actibus supernaturalibus, & in actibus sceleratissimis.

Bellarmin. de amiss. gra. lib. 2. c. 8. Suarez 1. part. de div. gra. c. 22.

Arg. XI. Ratio cur hunc concursum generalem fingunt, nulla est: Ergo talis concursus nullus est. Prob. Anteced. Quia ratio est, ut liberetur DEUS à causalitate actûs quatenus est malus: At sic 1. deberet & DEUS liberari à causalitate actûs quâ bonus: quia concursus generalis qua talis est causa nullius determinati effectus. 2. Generalis causa facit & ens & hoc ens, ut sol & equus generant & equum & hunc equum, *Bucephalum*. Ergo non obstante generalitate concursus, DEUS & homo facient & actum & hunc actum occidendi Salvatorem.

Arg. XI.

Arg. XII.

Arg. XII. Arg. XII. Si concursus hic est posterior influentiâ causæ secundæ, tum non potest esse causa actionis causæ secundæ: quod absurdum. Nam causa non est effectu posterior. Si est prior, non potest ab influentiâ causæ secundæ determinari: quia omne determinans est prius non posterius determinato. Si simul cum influentia causæ secundæ; tum hæ sunt falsæ. (*Quia DEVS concurrit, ideo causa secunda agit.*) Item. (*Quia causa secunda agit, ideo DEVS concurrit.*) Nam causarum collateraliter & motu simultaneo agentium una non agit, quia altera agit. 2. Quia, Ut ait Bradward. lib. 2. c. 29. *Bradwardinus*, si *DEVS & voluntas ponuntur ut æquales in ordine actionis, & naturaliter coævæ, ambæ reducuntur ad aliquam tertiam causam hisce priorem.* 3. Nec DEUS erit prima causa, si ejus concursus determinetur à causa secunda. Quia actio determinandi erit prior actione primæ causæ.

Irenæus li. 2. c. 45. Augustin. cont. Iulian. l. 5. c. 3. Denique hic concursus est Patribus ignotus. Nam & *Irenæus* & *Augustinus* dicunt per DEI *providentiam unumquodque & habitum & ordinem & numerum & quantitatem propriam habere.* Bannes tō. 1. q. 19. art. 18. *Bannes* ait *hanc opinionem declinare in hæresin pelagianam.* Alvarez de auxil. li. 2. c. 4. *Alvarez* ait *eam ponere in DEO magnam imperfectionem.*

Molina loc cit. Objicit *Molina* sic. *Per unam & eandem influentiam, per quam unus numero actus producitur secundùm esse naturale, producitur & secundùm esse morale. Ergo per eandem influentiam DEI producitur actus & actus qua bonus & malus. Ratio Anteced. per eandem influentiam producitur fundamentum & relatio, ut album & simile, numerus & paritas: sed bonitas & malitia sunt relationes quædam.*

Respondeo 1. Per eandem influentiam DEI produci actum & bonitatem, verum est: sed ea influentia est actus specialis gratiæ: nam non necesse est DEI influentias sine necessitate multiplicare: sed hinc minimè conficitur per eandem influentiam per quam producitur actus bonus, produci & actum malum: sicut quia per eundem actum producitur numerus, & par numerus, quâ, quæso, logicâ sequitur per eundem actum produci & numerum parem & numerum imparem? hoc est in quæstione. Per eandem, fateor, generationem nasci potest & homo & filius: At inde minimè sequi puto, nasci hominem, & filium & patrem in eodem homine. 2. Bonitas & malitia non sunt relata secundum (esse) sed secundum (dici) tantum: quia relata secundum (esse) activitatem nullam

lam habent. 3. Per se ab agente non intenduntur. At adversarii non negabunt bonitatem & malitiam vim moralem merendi & demerendi habere, & bonitatem per se intendi ab agente. 4. Absurdissimum est, per non potentiorem & gratiosiorem DEI actum produci Petri fidem, quam Judæ proditionem. Quod tamen ex hâc sententiâ necessariò sequitur.

Quæri denique potest, an nullo sensu liceat concedere concursum DEI generalem. Respondeo. Concursus dicitur generalis. 1. Uti generalis contradistinguitur à speciali: & sic generalis est DEI concursus in agentibus in sphærâ naturæ, specialis in sphærâ gratiæ. Et sic concedo concursum DEI generalem dari. 2. Concedere possumus etiam concursum DEI generalem, qui determinetur à causâ secundâ in genere causæ materialis, *à quâ si modificatur quatenus* (inquit *Cumel*) *concursus DEI recipitur à causâ secundâ juxta naturam, modum & exigentiam naturæ recipientis.* Hoc sensu *Thomas* (licet Jesuitæ mentem ejus de pravent in alium sensum) dicit *causas secundas esse quasi particularizantes actionem causæ primæ.* Sed concursum talem DEI qui efficienter & specificativè contrahatur & determinetur ad bonitatem & malitiam actus à causæ secundæ actione, quasi ex se indifferenter, confusè, & sine ullo providentiæ ordine respiceret vel hunc vel illum actum, prout causæ secundæ arriserit, judicamus impium & blasphemum.

Cumel varia. disp. par. 3. pag. 211.

Thomas. con. Gent. lib. 3 c 6

Sic & Scotus intelligendus, comment. in phys. Arist. l. 2. c. 4.

CAPUT. XXVI.

An prædeterminatio physica, quâ Deus præmovet voluntates ad actum entitativum peccati, faciat Deum authorem peccati? an sit Fatum, an Manæchismus. *An concursus Dei generalis & indifferens Deum societate sceleris verè liberet, juxta doctrinam* Jesuitarum *&* Arminian. *Ad partes vocantur* Di. Ruiz, Arriaga, Suarez, Raynandus, Jac. Arminius, *&c.*

I.

TOti in eo sunt *Jesuitæ & Arminiani*, ut Assertores efficacis prædeterminationis, & Ecclesias Reformatas *Manæchismi*, *Libertinismi*, & *fati Mathematici* crimine involvant: & jam fervet prælium. Quid illi præstent jam, Deo

Concursus Dei prædeterminantis, & quasi physice concurrentis ad actus exercitivos peccati, vindicatur.

DEO opitulante, videamus. Nemo, quam *Did. Ruiz* Jesuita doctus & acer, in hac messe, plura contra nos congervavit: sed certe ut scripta ipsius recolenti patet, conscientiâ minimè bonâ. Nam tam dura & rigida habet asserta, præsertim in Tomo de providentia, de actione DEI circa peccatum, quam legere est in scriptis *Calvini*, *Bezæ*, aut nostrorum.

Ruiz. de voluntate DEI disp. 27. sect. 2.

D. Ruiz. *DEVS non præbet consilium* (juxta *Calvinianos*) *ad malum per modum legis: sic DEVS non suadet, sed prohibet actus materiales peccati. Sed præbet privatum consilium* (*veluti quando latro non palam quidem, sed tamen privatim suadet sociis latrocinia ab utili, à jucundo*) *secundum sententiam eorum qui volunt DEVM prædeterminare ad actus materiales peccati: nam prædeterminat ad materialem actum in intellectu creato, & DEVS Physicè determinat, movet, excitat & judicia practica ad utile pensandum & dilectiones temperales, quod ne Diabolus quidem facit, & eo fine ut determinet intellectum ad actus materiales odii DEI.*

Respond. 1. DEUS nec publicum nec privatum consilium dat ad peccatum: Physice determinare intellectum est actus Physicus: at consilium dare est actio ethica. 2. Ex sententia Jesuitarum DEUS causalitate vera, licet collaterali, unâ cum intellectu, intellectum ad actum Physicum cognoscendi & pensandi tentationes ab utili condeterminat: quod ne quidem Diabolus facit. Ergo DEUS æque præbet consilium & suadet ad peccandum ex Jesuitarum, atqui ex nostrâ sententiâ. 3. Finem & intentionem & voluntatem DEI esse, ut ad omnem actum materialem peccati concurrat, ut fiat actus, ab universo Theologorum choro docetur: nisi forte Jesuitæ velint DEUM invitum & casu concutrere ad ullos actus positivos. Quæstio tantum est de modo concursus; an condeterminando, seu an prædeterminando concurrat, uterque concursus utrinque agnoscitur ut causativus. Scilicet pauperes hæ duæ præpositiones *con*, & *præ*, DEUM vel peccati condemnant, vel crimine absolvunt.

2. Ruiz. *Si voluntas DEI efficax est, ut prædeterminetur hominis voluntas ad actum materialem odii DEI, eo ipso erit attentatio violandi omnipotentiam, & frustrandi efficacem DEI voluntatem, si quis cohiberet se ab odio DEI: & finge aliquem certo scire decretum DEI de prædeterminatione ad actum odii DEI, si cohiberet se ab actu,*

violaret

violaret præceptum naturale pertinens ad honorem DEI, *de non violandâ Omnipotentiâ & voluntate* DEI *efficace.* Opem ferat alter Jebusita *Mæratius. Sicut qui dicit falsum, quantum est ex parte suâ facit* DEUM *mendacem: sic qui efficaciter velit, quod* DEUS *antecedente voluntate vult non fieri, quantum ex se faceret* DEUM *impotentem & immutabilem, facitq; DEO injuriam.*

Lodovicus Mæratius trac. de bonit. & malit. tom. 1. disp. 11 sec. 1. sig. 8.

Respondeo 1. Non opus est hic fictione, *Petro* revelabatur fore ut Salvatorem abnegaret, Apostolis ex *Zachariâ* c. 13. *Ut* CHRISTUM Pastorem (hæc peccata odium DEI virtuale includunt) scandalizati ejus passione, deserterent. Si ergo *Petrus* & Discipuli non abnegare & non deserere CHRISTUM attentarent; contra-nitentur concursui DEI generali, quo DEUS ad actum materialem abnegationis & desertionis concurrit, & sic efficaci DEI voluntati de impletione istorum vaticiniorum, obluctarentur: tum DEUM mutabilem & impotentem facerent, & præceptum naturale violarent: at nemo potest negare, quin DEUS præsciens futuram cooperationem liberi arbitrii ad actum materialem peccati, & prædicens illos actus, voluerit efficaciter ut fierent. Itaque hoc argumentum retortum adversarios gravabit æquè ac nos. 2. Quæro ubi scriptum sit hoc naturale præceptum, quo vetamur efficaci DEI voluntati resistere, hoc est fictum præceptum: nam non obligamur conformare voluntates nostras voluntati DEI in re volita, id quod magnus Jesuita Professor olim in Collegio Romano *Filiucius* docet. Tantum conformitas cum voluntate DEI revelatâ nos obligat.

Efficax Dei voluntas armata omnipotentia qua talis non est nostra regula.

Filiucius tom. 2. tra. 21. c. 11. sig. 384.

Ruiz. *Actio materialis individua includit bonitatem moralem secundum rationem genericam, specificam & numericam; moralitas itaque debet reduci in* DEUM, *ut in primum agens morale. Ergo si Deus prædeterminat ad hanc actionem materialem odii* DEI *claudentem in se malitiam, potest esse causa moralis peccati.*

Respondeo 1. Falsum est Antecedens, actio materialis individua in lineâ merè physicâ spectata non includit bonitatem moralem numericam, sed tantum bonitatem entitativam & Metaphysicam, & actio materialis individua peccati in lineâ physicâ (in quâ solâ consideratione DEUS ad eam prædeterminat) non includit malitiam; itaque consequentia est vana, DEUS non potest esse causa moralis peccati. 2. Nemo nostrùm sic loquitur, DEUM esse causam physicam peccati, nam peccatum quâ tale & essentialiter

est effectus moralis, nec habet habet causam physicam propriè loquendo.

Ruiz. de vol. DEI, dis. 27. sec. 2

Ruiz. *Qui metu gravi compulsus jurat falsum & detestatur malitiam actus, optaret rejectari malitiam ab actu, solumq; sibi relinqui actionem materialem. Ergo DEVS erit author peccati, si efficaciter vult actum materialem peccati, & si non velit malitiam.*

Respondeo 1. Nego conseq. Qui sic pejerat, habet voluntatem optativam tantum aversam à malitiâ: at verò vult efficaciter perjurium; ideoque peccat volendo, quod legi DEI contrarium: at DEUS nulla lege tenetur, quo minus possit velle actum materialem peccati. Oppono hîc Scotistam eruditum *Theodo. Smising.* qui ita loquitur. *Dico cooperationem DEI ad actum peccati pro materiali & formali physico spectatum esse signum quod DEVS velit actum peccati sic spectatum, in quo nulla est indecentia; quia actus ille sic spectatus est ens & bonum.* Et quod DEUS lege superior, eum culpâ solvit, quod homo legi subjectus sit, eum scelere implicat: at non potest homo legi subjectus velle actum, utpote legi vetitum; quin necessariò & essentialiter velit peccatum.

Smising dis. Theol. tó. 1. tract 3 disp 5. q. 2. s. 24.

Ruiz 1. par. dis. 26. §. 5.

3. Insurgit Ruiz. sic. *Dato, & non concesso, quod DEVS nullâ prorsus lege suiipsius teneretur non prædeterminare creaturam ad materiales actiones odii DEI & perjurii, inde ad summum defenderetur Deus ne ei imputetur quod sit author & causa moralis illarum actionum: —— quia effectus non directè & expressè voliti, neq; realiter causati per actionem ad hoc destinatam; ideo non imputantur, nisi quatenus intercedit obligatio illos vitandi. At quando effectus sunt expressè & formaliter voliti per efficacem electionem, & per illam directè & efficaciter causati; nullâ ratione requiritur obligatio ut non imputentur. DEUS autem directè & formaliter vult & realiter causatur, ex Calvino, actus materiales odii & perjurii.*

Respondeo 1. Negatum non concluditur, tantum sequitur actûs materiales odii DEI non imputari DEO ut causæ morali. 2. Directa & expressa & efficax DEI volitio, quâ vult ut sit, seu fiat actûs DEI odii, non facit DEUM malitiæ, quæ per accidens sequitur actum, authorem; sed nec hypothetica & inefficax volitio DEI quâ DEUS inefficaciter vult actum, magis liberat DEUM à societate sceleris, quam volitio efficax eum sceleri involvit. Æquè enim est causa odii qui hypotheticè, inefficaciter & à determinatione

alienæ

alienæ voluntatis coactus vult actum odii, atquì is qui eum actum vult efficaciter. Magis & minus non variant speciem, sed gradum, & revera quia immunitas à lege & muneris causæ universalis liberat *Deum* à scelere, etsi concurrat causativè ad actum odii *Dei*; fatentibus adversariis, ea immunitas æquè Deum liberat, etsi concurrat prædeterminativè, quia prædeterminatio non magis lædit libertatem quam generalis concursus seu condeterminatio. Id quod fatetur *Smising.* *Determinatio* (inquit) *DEI aeterna non magis causat secundæ modum immutat suâ antecessione æternâ, quam immutaret concomitantiâ temporali, & utriusque ratio est: quia tam antecessio quam concomitatio aliquarum rerum præcisè quâ talis nihil absolutum ponit in illis, sed vel respectum, vel meram denominationem extrinsecam.* Smising. disp. Theol. tō 1. trac. 3. disput. 6. de prop. sig. 14.

3. Non requiritur obligatio ut imputetur Deo causatio actus materialis, ubi Deus efficaciter & directè vult eum actum, & nos concedimus causationem actus imputari Deo, & Deum actus materialis causam esse: nec audent negare *Jesuitæ* & *Arminiani*, sed hæc est imputatio merè physica. Sed quid hoc ad imputationem moralem malitiæ quæ est in quæstione, si velit Jesuita malitiam Deo imputari sine omni obligatione, quia imputatur ei actus, hoc est quod pernegamus; nam ubi nulla lex, nulla est obligatio, & nulla transgressio, ut habet *Paulus* Rom. 5. Deo posita non est lex, imo ne lex æternę sanctitatis *Dei*, vetans eum ne actum physicum efficaciter velit; imò fingere imputationem moralem ubi nulla est lex est planè contradictorium; nam sic esset Deo posita obligatio & non esset posita. Sic nec concursus generalis nec specialis facit Deum causam peccati; quia quilibet concursus Dei solvitur ab obligatione concurrendi.

Ruiz. *Quando aliquid est directè volitum, interveniente obligatione imputatur volenti; quoniam obligatio constituit talem effectum conjunctum cum objecto volito, non solum quantum ad existentiam, sed etiam quoad realem appretiationem; quia non potest voluntas amplecti illud objectum, cujus consequentes effectus evitare tenetur,* (*non potest DEVS amplecti actum; quia tenetur vitare malitiam consequentem actum*) *nisi illud objectum amet majore appretiatione, quam observantiam suæ obligationis; ideoq; nisi postponat obligationem, ut prosequatur objectum quod pluris æstimat. Ideoq; DEVS actum materialem velle non potest, nisi majore pretio habeat actum, quam observantiam suæ sanctæ obligationis quâ malitiam actus vitare & abhominari tenetur, nisi suam obligationem* Ib. 4.

minus caret, quam actum materialem. At contrà, quando effectus sunt directè voliti & causati, necessariò imputantur voluntati, etiam nullâ interveniente obligatione; sicut nostra bona opera imputantur DEO *tanquam authori & primariæ causæ morali, licet nullâ obligatione teneatur illa producere, vel non producere.*

Respondeo 1. Falsum est illud, *non potest voluntas amplecti illud objectum, cujus effectus consequentes evitare tenetur, nisi illud objectum amet majore appretiatione, quam observantiam suæ obligationis.* Non potest Judex vitare bonas leges, etsi teneatur odisse homicidia quæ ex iis legibus sequuntur; nec sequitur Judicem magis velle & majore pretio habere leges, quam obligationem suam, quâ tenetur odisse homicidia quæ tales leges sequuntur. Possumus pacis fœderis ineundi gratiâ accipere à Turcis juramentum, etsi sciamus eos Idololatricè juraturos per falsos *Deos* & tamen non sequitur nos majore pretio habere pacem, quam obligationem detestandi juramentum Idololatricum; potest *Deus* velle & amplecti actum materialem odii *Dei*, etsi malitia odii eum actum sequatur, neque inde conficitur DEUM majore pretio habere illum actum materialem, quam observantiam suæ obligationis, quâ tenetur eam malitiam vitare; nam si per τὸ *vitare*, intelligis odium, quo DEUS malitiam prosequitur, id falsissimum est, non enim odium quo DEUS prosequitur malitiam obligat DEUM ad non efficaciter volendum actum materialem. Si per τὸ vitare in DEO intelligis impedire malitiam ne unquam sit, tum falsum supponitur, nempe DEO obligationem incumbere, ubi nulla incumbit. Ideoque non sequitur DEUM efficaciter volendo actum materialem, majore pretio æstimare eum actum quam observantiam suæ obligationis, quâ obligatur impedire malitiam, nam talis obligatio est Chymera, nam nemo qui Theologiam vel a limine salutarit, dicet DEUM obligatum esse ad impediendum peccatum. 2. Bona opera imputantur DEO, etiam ea in nobis facere minimè obligato, nam obligatio non est causa imputabilitatis simpliciter, sed est causa culpabilis imputationis; longè enim differunt effectum alicui causæ imputari, Et effectum imputare causæ culpabiliter. Imputatio in bonis locum habet quidem citra omnem obligationem, ideoque DEO per gratiam suam efficienti bona opera in nobis, ea vere imputantur ad laudem eo copiosiorem quod nulla obligatione, sed ex merâ gratiâ motus ea in nobis efficiat,

Potest quis velle actum & detestari consequentiam actus.

Non obligatio non est causa simpliciter non imputati effectus, sed est causa non imputati effectus moraliter & culpabiliter.

efficiat. Sed imputabilitatem culpabilem fingere in aliquâ causâ omni obligatione, quâ quis legi est abnoxius, vel alicui quod legi proportione respondet, qualis est sancti *Israelis* sanctissima natura, est infinita contradictio. Hinc dico, uti supra, actus materiales peccati DEO imputari, citra omnem obligationem quæ DEUM constringat, ad eos producendos, uti bona opera nostra DEO, sine omni obligatione imputantur, sed quid inde conficitur contra nos? An ideo malitia actuum poterit DEO imputari, & si DEUS obligationi legali non subsit? Ah vana est consequentia. An quia DEUS facit bonum, ideo malitia per accidens annexa isti bono ei imputanda? Facilius aquam ex pumice, quam sequelam hanc extorseris, ex nostrâ doctrinâ.

Imputatio in bonis & in malis differunt.

Ruiz. *ib.* Hyero. Fasolus m. 1. tom. 2. q 14. art 13. dub. 11 sig 171. Ruiz. de volunt. Dei disp. 51 sec 3. Arriga. curs. philosophic. disp phy 10 sec. 1. subject. 5 sig 45. Pennot. prop. 11. cap. lib. 8. c. 14. sig. 12.

5. Ruiz. Obligatio primæ & generalissimæ causæ DEUM excusat, ne illi merito imputetur actio mala, quamvis ad illum pertineat præbere generalem concursum. Ratio: quoniam DEUS quantum ex se est, non vult directè & expressè producere talem speciem actionis, quæ realiter contraria est legi, sed præoptat potius, ut non produceretur, præbet concursum de se inclinantem ad bonum, qui torqueretur contra intentionem ad malum. (inquit *Fasolus*) *decernit ex se, & antecedenter concurrere ad malum, sed solum consequenter post liberam applicationem voluntatis creatæ; & ab illa determinatus & ex parte suâ paratus eodem decreto concurrere ad bonum. Concursui* (ait Ruiz.) *generalis quantum ex se habet vim præscindendi bonitatem & malitiam, determinatio non excludit malitiam, sed est causa primaria determinans, ut educatur forma realis ex qua necessario sequitur malitia. causa indifferens* (inquit *Arriga, Jesuita Hispanicus*) *si concurrit determinata ab aliquâ aliâ, non dicitur rigorose illius causa, qui gladio interimit hominem, non potest ei, à quo emit, imputare homicidium. quia* (inquit *Pennotus*) *usus gladii est indifferens ad bonum & malum, ut & concursus, voluntas abutitur concursu ex se indifferente.*

Respo. 1. At si DEUS ex obligatione primæ causæ illud objectum, puta actum materialem amat, & consequenter malitiam ex sanctâ suâ naturâ vitare tenetur; *Tuus amat tale objectum* (agnosce verba tua *Ruiz.*) *cujus consequentes effectus vitare tenetur, majore appretiatione quam observantiam suæ obligationis.* Quod absurdum. 2. Si præoptatio ut actus malus non fieret, DEUM à societate culpæ liberat, tum nostra etiam prædeterminatio eum liberat, quia eâ positâ

DEUS non nudè præoptat (quæ jejuna & morbida est voluntas) sed voluntate approbante efficaciter detestatur malitiam, ut rem abhominandam. 3. Committo inter se Jesuitas, *si homo homini* (inquit *Mæratius*) *ad malam actionem talem concursum* (indifferentem & determinabilem) *præberet, qualem præbet DEUS, peccaret & peccati causa esset* ——ut qui alium adjuvat ad intrandum per fenestras, sciens ex isto ascensu sequuturum furtum vel homicidium, cum tamen ex hoc ascensu posset sequi non furtum, esset causa furti. Et nisi hic nobiscum dixerint DEUM ideo liberari à scelere, quia est lege superior, hanc *Mæratii* rationem nunquam diluent. 4. *Si obligatio primæ causæ DEUM excusat ne illi merito imputetur actio mala tum est nostra predeterminatio* (sine quâ primæ causæ Dominium providentiæ nunquam constabit) *DEUM excusatiorem reddet, nam prædeterminatio est munus causæ primæ*, & libertatem non evertit. 5. Quando dicit *Ruiz. DEUM, quantum ex se est, non velle directè & expresse producere talem speciem actionis, quæ realiter contraria est legi DEI* satis innuit DEUM quidem quantum in se est non velle peccatum, benè tamen id velle quantum in alio, & velle id, postquam jam ad id volendum determinatus est ab actione pravæ voluntatis. Et mysterium latet in his adverbiis, *directè & expresse.* Nempe igitur *indirecte & virtualiter*, & quasi coactus & contra voluntatem optativam quæ in bonum inclinat, vult DEUS ut fiat peccatum, & id qua tale produci desiderat at certe hoc est in sententiam fere nostram ire, sed si concurrere physice ad actum faciat DEUM causam peccati, tum deterior est hic *Jesuitarum* & *Arminianorum* sententia, quam nostra, quia cogitur DEUS munere causæ universalissimè velle peccatum & peccatum causari, at servilius est cogi ad causandum peccatum, quam libere id causari. 6. Ut punctius singula hic excutiam. Quæro *quod sit obligatio causæ primæ*. Certe nihil aliud esse credo, quam libertatem decentem quâ decens & conveniens est ut DEUS tanquam prima causa concurrat cum omnibus causis secundis, adeoque cum voluntate deviante ad actum materialem peccati, sed adhuc manet quæstio, quare decens sit ut DEUS causalitate physica promoveat actum malum, unde est obligatio quâ Deus quasi tenetur concausari malum? an non adversatur sanctæ DEI naturæ hæc concausatio? nihil minus; fatentur *Jesuitæ*. At certè in homine, in Angelo obnoxiis

Mæratius tom. 1. tract. de bonit. & malit. hum act. disp. 11. sect 7. §. 4.

Munus causæ primæ cum quibuslibet secundis non involvit Deum fovere ac scelexis.

Quatenus obligatio primæ causæ nihil facit ad DEUM peccati sceleris involvendum.

noxiis legi talis concausatio esset peccatum, ut rectè dicit *Martinus*: at si homo esset prima causa superior lege, uti est DEUS, non esset peccatum; at hoc est dicere DEUM ideo concausando actum materialem non inquinari culpæ societate; quia DEUS nulli legi est obnoxius; at salve tum, *Jesuita*, optatus advenis nobis. 7. Actus materiales fiunt à DEO verâ causalitate positivâ, id non audet negare *Arminius*, nec inficiantur *Jesuitæ*. Sic *Arminius*. *Respondeo me nullo modo actum, qui sine peccato non perpetratur à creaturâ, DEI efficientiæ adimere; quin imò fateri apertè DEVM omnium actuum qui à creaturis perpetrantur, esse causam.* At assumo, quod est objectum potentiæ factivæ in DEO, est etiam objectum potentiæ volitivæ; nam quicquid DEUS facit, id vult etiam. At *Arminius* ipsum actum materialem à DEO prohiberi vult; atqui sic DEUS erit effector illius quod prohibet, id est, peccati. Videant Adversarii. 8. Dicit *Ruiz*. *Concursum indifferentem DEI esse de se inclinantem ad bonum, qui torquetur contra intentionem ad malum.* Sed concursum esse indifferentem de se ad actionem tam bonam quam malam, uti docent hi Magistri, & esse inclinantem de se ad bonum, videntur mihi *deusala*. 9. Dicit *Fasolus*. *DEVM à causâ secundâ determinatum concurrere & paratum ex parte suâ eodem decreto concurrere ad bonum.* Sed paratus est DEUS concurrere ad bonum conditionatè, tantum si voluntas creata ad bonum se determinat; at sic de se paratus est DEUS eodem decreto ad malum concurrere, si voluntas ad malum se determinet. 10. Consideret Lector an Deus eodem decreto statuat, non aliâ motione actuali Petri confessionem & Judæ proditionem promovere. 11. Concursus generalis in actu secundo est determinatus. Falsum ergo est quod dicit *Ruiz, concursum generalem ex se habere vim præjudicandi bonitatem à malitiâ.* Nec determinatio nostra magis includit malitiam ut causa effectum, quam eam includit concursus DEI generalis. Licet *prædeterminatio sit primaria causa ut educatur forma realis è subjecto, ex quâ necessariò sequitur malitia*, Non est tamen causa peccati: quia ita est hic primaria causa ut voluntati in actum constet sua libertas illibata: quia DEUS voluntatem gravidam & parturientem quasi in quatuor actus ita prædeterminat; ut DEUS voluntatem eruptuam in actum A B, C, D. Et de facto ex se eruptuam tantum in A, non in B, non in C, non in D, (etiam si supponamus voluntatem

Arminius Antiperk. pag. 731.

Concursus Dei generalis æque causalitatem confert peccato ex placitis adversariorum quam nostra prædeterminatio.

tatem acturam sine omni decreto, & concursu DEI) ut de facto in actum. A. tantum flectat, non in B, non in C, non in D. Negari enim non potest esse quosdam gradus necessitatis: nam majore necessitate DEUS est justus, quam sol orietur cras. Hinc si necessitas ex prædeterminatione sit necessitas ut 6. & necessitas exercitii, quâ necesse est voluntas agat, ex hypothesi, quod agat, sit etiam necessitas ut 6. quod necessariò dicendum puto, prædeterminatio tum non fortiore vinculo necessitatis voluntatem adigit in A, non in B, non in C, non in D, quam ipsa voluntas se adigit in A, non in B, C, D. Et sic prædeterminatio nullo modo lædit libertatem.

Prædeterminationis necessitas quomodo conspiret cum necessitate exercitii actus liberi.

12. Si verum est quod dicit *Hispanus Arriaga, causam indifferentem, si concurrat determinata ab aliquâ aliâ, non dici rigorosè illius causam.* Tum habitus fidei, amoris & resipiscentiæ non sunt in rigore causæ fidei, amoris & resipiscentiæ actuum; nam habitus est indifferens & influit determinatus ab aliâ causâ; at nec concursus DEI generalis per *Arriagæ* rationem est rigorosè causa actuum fidei & amoris. Ergo rigorosè nulla est alia causa fidei & amoris actuum, quam purum liberum arbitrium. Vivat igitur *Pelagius*; nam suasiones è verbo non sunt rigorosè causæ reales, quia moraliter tantum agunt. 13. Nec determinatio nec indeterminatio sunt de essentia causæ, ut sciunt *Arriaga* & *Pennotus*, sic enim *Saulî* Doegi nefario consilio & calumniis motus & determinatus non esset causa in rigore, occisionis sacerdotum JEHOVAÆ, nec DEI justitia determinata ab impœnitentiâ, erit rigorosè causa damnationis profligatorum hominum: & si artifex fabrefacit gladium furioso, & sciat, si hoc gladio caruerit, non esse eum occisurum hominem, & si ei tradatur certò sciat eum occisurum esse eo, si tum gladium tradit, est causa occisionis, ipsius tamen gladii usus de se indifferens: DEUS scit homines actus materiales peccati non posse elicere, si desit concursus ipsius, scit eos tales actus facturos, si detur concursus, & tamen concurrit. Ergo & si concursus sit de se indifferens, in hoc casu tamen DEUS concurrens erit causa actuum materialium.

Ariaga. *negans Dei concursum esse causam actuum cum providentiam Dei.*

Ruiz de vol. Dei d. 32. sect. 7.

6. *Ruiz. Aliud est DEVM concurrere effectivè ad actionem materialem peccati, aliud est eandem actionem operari proprie & per se. Nam hoc secundum requirit quod DEVS pro libera sua voluntate faciat nos facere materialem actionem peccati, determinando, aut certe nos impellendo*

ad

ad illum. At prior ex se potius inclinat ad bonum, nec repugnat meræ permissioni, sed potius in ea includitur, DEVS est causa efficiens per se quamlibet actionem. Per accidens (inquit *Suarez*) *autem contra intentionem DEI* (inquit *Fasolus*) *contingit ut voluntas humana determinet concursum divinum ad actionem materialem peccati. Et DEVS* (inquit *Arriaga*) *physicè specialiùs in actu primo est inclinatus in opus bonum, quam in malum. Et concursus* (inquit *Ruiz.*) *determinans & non determinans Metaphysicè differunt specie; quia licet terminus materialis utriusq; idem sit: tamen formalis non est idem. Sed Theologici termini specie differunt: nam actus respicitur à determinante quasi determinandus à DEO ut existat in rerum naturâ propter effectum quem DEVS habet ex se ipso erga totam realitatem positivam actus; at respicitur à non determinante concursu præcisè propter formalem rationem libertatis, DEO optante concursum suum determinari à nullâ tali actione. Vt annulus pedi insertus, & plures annuli ambobus pedibus inserti & ad murum affixi, sunt physicè ejusdem speciei: at quoad libertatem eundi quo velis, specie differunt.*

Suarez. in opusc. lib. 2. de concurs. c. 2. fig. 4. Fasolus in 1.to. 2. q. 14. ar. 13. dub. 17. pũ. 5. fig. 384. Arriaga ib fig. 48. Ruiz. ibid.

Respondeo 1. Non sunt aliud in ratione causandi, *DEVM effectivè concurrere ad actionem peccandi materialem, Et, DEVM propriè & per se eandem actionem operari.* Quia utrumque fit salvâ libertate; quia prædeterminatio non ponit aliquid in voluntate ipsam fortius necessitans, quam actio DEI non determinans in ea ponit. 2. Si concursus indifferens ex se potius inclinat in bonum & *DEVS quidem physicè* (ut ait *Arriaga*) *specialius in actu primo inclinatus est in actum bonum quam in malum,* Tum 1. hic concursus non est indifferens; fortè voluntas concurrendi inclinat in bonum, potiùs quam in malum: sed hoc nihil ad rem; quia voluntas DEI nihil reale ponit in concursu quo feratur in bonum, potiùs quam in malum. 2. Si DEUS concursum ponderosiorem præstat actioni bonæ quam malæ, Ergo non eodem concursu numero concurrit DEUS ad actum bonum & malum; quia concursus levior & ponderosior numero differunt. 3. Dicit *Ruiz. Permissioni non repugnare concursum indifferentem, sed potius in eâ concursum talem includi.* Hinc satis patet DEUM æquè esse permissorem in actibus credendi & diligendi DEUM, atqui in actibus blasphemandi Spiritum Sanctum, & pari efficientiâ physicâ DEUM utrosque promovere, juxta hos. 4. Si permissio sumatur pro non-coactione & non-violenta-

tione libertatis, appellamus Scripturas quæ prædeterminationem noſtram aſtruunt, an prædeterminatio non tam permiſſionem talem includat, quam concurſus indifferens, & talem permiſſionem docent illi; ideoque in cardinali differentiâ ligandi & non ligandi voluntatem à Jeſuitâ aſſignatâ, non differunt concurſus determinans & non determinans, nec eſt quod tantas lites ſerant Adverſarii de innocêtibus prepoſitionibus *pre*, & *con*, quia illi condeterminationem verè cauſalem in actibus materialibus peccati DEO tribuunt, nos prædeterminationem. Heu tantum mali commerita eſt innocens & tenuis præpoſitio *præ*, ut negotium Scholæ *Jeſuiticæ* & *Arminianæ* tantum faceſſeret. 5. Dicit *DEVM non eſſe cauſam efficientem propriè & per ſe, cur potius exiſtat actus materialis peccati, quam cur exiſtat actus honeſtus*; Si de cauſâ per ſe morali loquitur, extra oleas diſcurrit, Si de cauſâ phyſicâ loquitur, tum nec concurſus DEI erit cauſa per ſe phyſica actuum bonorum: quia eodem concurſu numero DEUS ad actus bonos & malos concurrit, et ſi DEUS eſt cauſa phyſica per accidens actus honeſti, dent illi cauſam per ſe, nempe liberum arbitrium. 6. Illud (*potius*) innuit DEUM eſſe cauſam cur exiſtat actus materialis peccati, nempe κατὰ τὶ, & DEUS aliquo modo volet fieri peccatum, licet velit *id potius* (& ſi non aliter cogeret rem evenire infortunata voluntas) non fieri. 7. *Diabolus* non eſt cauſa phyſica per ſe, ſed tantum moralis cauſa peccati, liceret ſic æquè Diabolum atque DEUM à peccati cauſalitate liberare; nam Diabolus non eſt cauſa per ſe cur exiſtat peccatum exiſtentiâ phyſicâ. Et hoc eſt egregiè patrocinari DEI ſanctitati. 8. *DEVS* (inquit) *eſt cauſa propriè & per ſe efficiens cum libertate quamlibet actionem.* Ergo (inquam ego) cauſatur materialem actionem peccati. Ergo per Adverſariorum Logicam, etiam malitiam inſeparabiliter actui adhæreſcentem. 9. Ineptè etiam ſtatuit Jeſuita determinationem eſſe formalem rationem cauſæ efficientis per ſe: quia ſic gratia DEI non erit cauſa per ſe actuum ſupernaturalium; nam gratia non eſt Jeſuitis determinatrix, nec ipſe DEUS. Determinatio eſt tantum conditio cauſandi, non formalis ratio cauſandi. 10. Falſum eſt concurſum determinantem & non determinantem differre ſpecie Theologicâ in ratione ligandi, id eſt, (ut exponunt Jeſuitæ) violentandi voluntatem. Hæc eſt petitio principii. 11. Concurſus indifferens, ex Jeſuita, concurrit ut cauſa

per

per se actus materialis, ad totam rationem genericam, specificam & numericam. Ergo talis concursus est causa cur potius existat actus materialis malitiæ, quam actus honesti; quod tamen negat Jesuita. Probatur sequi, quia efficienter dare esse numericum est dare esse determinatum: quia nihil est magis determinatum quam esse numericum. Ordine denique tantum concursus vel causandi differunt concursus determinans & non determinans, per nudum (præ) & (con) quod attinet ad necessitatem coactivam voluntatis, & jejunus est prætextus Jesuitarum asserentium DEUM concurrentem non esse causam actus materialis peccati: quia non determinatè efficit eum actum; quasi verò latro non esset homicida, quia non est paratus occidere hunc vel illum determinatum viatorem, sed omnes viatores in genere. Sed liberat nos *Smising, Hæretici* (nos intelligit orthodoxos) *in hoc non sunt reprehensione digni quod aliquando dicant DEVM velle actum peccati & non malitiam. Hoc enim dicunt omnes Theologi, sed quia dicunt DEVM suâ voluntate necessitare voluntatem nostram ad actum.* At nec necessitationem libertati inimicam asserimus Jesuitæ. Ergo nec rei ipsmus in hâc causâ judice Jesuitâ magno.

Smising tom. 1. trac. 3. disp. 3 de vol. Dei q. 3. fig. 7 §.

Ruiz. *DEVS obligatur intrinsecâ & quidditativâ lege propriæ bonitatis & justitiæ, quæ est dictamen sapientiæ de bono honesto connexum cum necessario amore sui, ne aut velit actum malitiæ, aut ad eum & actum odii sui prædeterminet.*

Ruiz. 1. de volu. Dei disp. 26. §. 6

Respondeo. Non videmus talem quidditativam legem, nisi illam, quâ DEUS sese amat, & bonum amat & justitiam detestatur: Prædeterminare creaturam ad omnes actus positivos, cum Dei naturâ sanctâ minimè pugnat. Libera Dei voluntas illi hic est pro regulâ. Ita docent magni Scholastici, *Scotus, Thomas, Gabriel.* Rectè *Meratius. DEVM suam voluntatem liberam justè facere, sicut nos secundum legem, & si aliter faceret, id quod æquè justum foret.* Sic *Curiel. Adverte, actus qui sunt peccata trifariam sumi posse sine ordine ad legem.* 1. *Fingendo causam possibilem in qua nulla esset lex.* 2. *Considerando eosdem actus secundum suam naturam & præscindendo per intellectum ordinem ad legem.* 3. *Considerando eos actus, quatenus Deus scientiâ simplicis intelligentiæ cognoscit ut possibiles tales actus, prius ordine quam actu voluntatis aut præcepto intellectus prohiberet eos.* Hinc probat *Curiel*, Omnia peccata habere quod sint peccata, quia sunt prohibita

Scotus lib. d. 38. q. unic. Thomas 1. pa. q. 21. ar. 1. Gabriel 2. dist. 42. q. vinc. Meratius tō. 1. de bonit. & mal. humā. act. disp. 11. sec. 11. fig. 6. Curiel 1 2. q. 71. art. 6. dub. 2. §. 13

prohibita aliquâ lege saltem naturali. Ideo enim aliquid est malum artificiale, quia deviat à regulis artis, & ideo aliquis actus est moraliter culpabilis, quia est legis παράβασις. Sic Philip: Faber *Faventinus. Malitia est separabilis ab omni actu, quia odium DEI qui est actus de se malus, si eliciatur à carente ratione, vel cum ignorantiâ invincibili, vel ex inadvertentiâ naturali, quamvis quis habeat actum, non est moraliter malus. Ergo malitia est separabilis ab actu, & patet DEVS velle materiale & non formale peccati.* Unde duo sequuntur necessariò. 1. DEUM velle & prædeterminare voluntatem ad actū materialem, non esse malum moraliter, ac proinde DEI naturæ sanctæ non repugnare. 2. Sequitur voluntatem Dei liberam esse ipsi in externis actionibus primariam regulam. Et rectè hic *Maratius Si è duobus lapidem moventibus alter à DEO imperatus movet, & alter vetitus movere movet, alter peccat, obedit DEO alter, & discrimen facit sola obligatio.* Hoc ipso itaque DEUS prædeterminans ad actum materialem non peccat, nec scelere implicatur; at si homo ad actum prædeterminaret, peccati causa foret, nisi per legem eximeretur.

Faber Faventinus in Patav. professor. senten. 1. dist. 39. dis. 54. q. unic. fig. 58.

Prædeterminatio voluntatis non est Manichæismus.

Ruiz. *Priscillianistæ & Manichæi huic argumento (DEVS est bonus per naturam. Ergo non est author mali) non satisfeciissent respondendo, non sequi: quia DEVS & stellæ legi non subjiciuntur.*

Respondeo. Licet Stellæ Legi non subsint, alia tamen est ratio, quâ DEUS author peccati statueretur: quia Stellæ ex ordinatione Creatoris singebantur ab illis imprimere animabus hominum qualitatem physicam fataliter determinantem voluntatem ad omnes suos actus, & sic eversâ libertate statueretur DEUS peccati causa, eo modo quo est pluviarum & nivium Author. *Priscillianus* dixit animas ex substantiâ DEI creatas esse, ut notant *Magdeburgenses*, & omnino libertatem arbitrii negavit, ut docent *Augustinus, Sulpitius Severus*, & *Origen*, & nihil vel in corpore, vel in animâ evenire nisi constitutione stellari. *Si* DEUS homini animam ex ipsius DEI substantiâ creatam, & quidem libertatis expertem indidit, DEUS omninò Author erit peccati, non obstante hâc responsione. Vide *Didac. Masium*, & *Concilium Bracharense* sub *Honorio*, Et *Leonem* in epist. Manichæi docuerunt peccata ex naturæ necessitate fluere, eo quod homines ex malâ substantiâ à malo DEO conditi essent.

Magdebur. cen. 4. c. 11. Augustin. haref. 70. li. 8. Sulpit. Severus sacr. histor. lib. 2. Origen. de hæresib. c. 70. Did. Masius in Aristl. phys. l. 2. c. ult. q. 4 Concilium Bracha. Leo. epist. 3.

Vide *August. Eusebium, & Concil. 1. Bracharens.* 2. Tale responsum talibus hæreticis aptandum non foret.

Ruiz. *Quæris ab illo* (inquit *August.*) *quid sit fatum* (quo impellente, DEUM blasphemant) *& dicit, Stellæ malæ: quæris ab illo quis fecit, quis ordinavit Stellas. Non habet quod tibi respondeat, nisi DEVS; Restat ergo ut sive per transennam longam, sive per proximam DEVM accuset. Non satisfacis* (inquit Ruiz) *dicendo influentias Cœli necessitare tantum ad actiones materiales, non ad malitiam, neq; esse efficientes sed deficientes causas & quidem solutas à legibus.* Et alibi. *Ex errore* (inquit) *Manichæorum & Priscillianistarum non inferebatur, DEVM esse causam moralem peccati, sed tantum physicam, quoniam secundum illos agebat DEVS ex necessitate.*

August in com. Manich l. 1. de civ. DEI l. 5 c. 5. De Hæres. c. 46. Eusebius de præpar. Euangel l. 6. Concilii 1. Bracha. ca. 9. & 10. Augustin. Psal. 81. Ruiz. de vol. DEI disp. 38. sec. 2. Et de vol. DEI disp. 26. sect 4. sig 6. Ammonius in 1. de interpretatione. c. ult. Concilii Bracharen. 1. c. 9. Alphon. de Castro. ad. ver. Hæres. l. 7. de fato Gregorius homil. 10. de Epipha. Hieronym l. 11. in Esa 38. Bradward. l. 1. c. 28. Augustin. de civitate Dei l. 5. c.

Respondeo 1. Non satisfaceret quidem tale responsum: quia stellæ nullo consilio, nullâ ratione, sed influentiâ merè naturali agerent in voluntatem, nec possent stellæ suas influentias & motiones contemperare congruenter genio & naturæ libertatis, uti DEUS suâ prædeterminatione facit. Ideoque stellæ sic everterent libertatem, & peccata hoc pacto à stellis forent ut â causis secundis, à DEO ut à causâ primâ. 2. Si stellæ ad *actus materiales necessitarent, & non ad malitiam*, idque illibatâ & integrâ manente libertate, optimè responderi posset, fatum aut stellas non esse peccati causas, etsi ad actum materialem malitiæ necessitarent. Et stellarum exemptio hoc casu à lege, ipsas reatu exsolveret. 3. Tolle libertatem, quod fit si stellæ & fatum dominarentur in voluntatem liberam, & peccatum causam ne quidem moralem in voluntate reperiet. Ergo vel in DEO vel in stellis, vel in utrisque. 4. Falsum est fati assertores non statuisse DEUM causam moralem peccati; nam dicunt peccantes, apud *Homerum* (ut refert *Ammonius*) *ego non sum causa, sed Jupiter & fatum. Si quis* (inquit *Concilium Bracharense*) *animas & corpora humana fatali signo credit astringi, sicut Pagani & Priscillianus dixerunt, anathema sit.* Vide *Alphonsi. de Castro. Priscillianistæ* (inquit *Gregorius*) *dicunt nasci unumquemq; sub constitutionibus stellarum.* Et fatum opponitur DEI voluntati; quia non movet fatum causas contingentes congruenter ipsorum naturis, ut DEUS eas movet. Ideo dicit *Hieronymus. Nequaquam dies mortis præstituta est fato, sed DEI voluntate.* Quid multis, hoc, secuIo *Bradwardini*, à *Pelagianis* gratiæ assertoribus objectum, ut & olim

Augustini etiam tempore. Sic *Bradwardinus* ex *Augusti.* *Fatum* (inquit) *est virtus quædam siderea necessitatem imponens secundum horam nativitatis.* Hora autem nativitatis fingitur connexionem influentiæ naturalis habere cum morali voluntatis dispositione. Quod impium est.

8. Ruiz. *Si DEVS* (inquit) *circa peccatorum actiones solummodo vult concursum quantum est ex se inclinantem ad bonum & à malo retrahentem, permittendo à liberâ actione voluntatis detorqueatur ad malum, si voluerit, inde non sequitur DEVM esse causam moralem talis vitiositatis: quia directa & primaria DEI intentio, quantum ex se, volebat ut nunquam existeret in rerum naturâ talis vitiositas, sed quasi coactus munere causæ universalis permittit sum concursum: —— At si DEVS à seipso, non à liberâ voluntate hominis determinatus vult & physicè prædeterminat materialem actionem odii DEI, & totum ipsius realem oppositionem cum DEI Lege, erit primaria causa per se, & directè determinans, ut in rerum naturâ existat materialis actio peccaminosa.*

Resp. 1. Probat sic *Jesuita* DEUM non esse causam moralem peccati, quod non est in quæstione, id enim blasphemiæ nos repudiamus. Sed non audent ipsi adimere DEO causalitatem omnem physicam in actu materiali peccati, & de hoc jam quæritur, an talis causalitas DEUM societate culpæ implicet. 2. Si quis alium nec determinat, nec suadet ad homicidium, eo nomine causa homicidii non est, si vero precibus solicitatus & coactivâ vi officii sui determinetur ab Authore cædis, ut vires, auxilium causativum & concursum collateralem præstandum, & hoc casu homicidii vere concausa est, nisi illud officium, cujus vi cogitur, supra legem sit, eumque a reatu exsolvat. Sic Jesuitæ egregie stant pro sanctitate DEI, qui docent DEUM esse concausam peccati & omnium flagitiorum. *eum id facere modo servili, non primariâ intentione, sed coactum munere causæ universalis & determinatum a causæ secundæ influentiâ.* At id munus cautæ primæ cujus vi DEUS serviliter cogitur ad causalitatem sceleri præstandum, vel DEUM à lege astringente solvit, & hoc est in nostram sententiam ire, vel est munus lege sanctæ divinæ naturæ repugnans, & sic DEUS injustè egit qui suo æterno decreto se astrinxit ad liberum hunc concursum præstandum, hoc autem absurdissimum. At si causalitatem concursivam actui tribuere DEUM

Jesuitæ eo blasphemtus Deum reatu peccati involvunt, quod fingant Sanctum illum Israelis, coactum virtute officii & munere causæ universa-

re Deum sceleris societate involvit, nihil interest sive Deus eam causalitatem præstet prædeterminando & præcausando, & à solâ suâ liberâ voluntate motus, sive condeterminando & concausando & à voluntate creatâ determinatus. Non est ulla vis in hisce innocentibus præpositionibus *præ.* & *con.* ad tam tragicas disputationes excitandas. Est non minus homicidii reus qui ex solâ alterius voluntatis detetminatione motus confert auxilium occisioni quam qui id confert determinatus à solâ suâ liberâ voluntate. gradus est in reatu, sed utrobique est reatus & vera homicidii concausatio. *Jesuitæ* & *Arminiani* bis Deum scelere implicant, imo ter. 1. Docent Deum concausalitatem collateralem tribuere, quâ existat actio contraria legi Dei. 2. Volunt Deum moveri & determinari, contra sanctam suam intentionem, ab impiâ & iceleſtissimâ peccatoris voluntate ad auxilium tale sceleri præstandum. 3. Volunt esse Dei *tanquam causæ universalis munus & officium* (cujus sanctæ naturæ omne munus impium non potest non repugnare) *ut auxilium scelerì conferat*, At ego reto quod *Ruiz* supra subjecit; *Manichæi* & *Priscillianistæ* dixerunt *malum DEUM, fatum* & stellas esse peccati causas, non, opinior, solutum fuisset eorum argumentum respondendo, *malum DEUM, fatum & stellas esse peccati causas, sed non ex se, & sui primaris intentione, sed quoniam quasi vi sui officii & muneris determinentur ab impia voluntate hominum ad causandum peccatum.* Quanto rectius & sanius dicendum homines ideo legi contravenire, quia ad obedientiam lex eos obliga-, Deum vero sceleris expertem & sanctissimè innocentem esse, quia cum sit omni lege creaturis à se latâ superior, dominio providentiæ voluntates, ad actus, non ad malitiam actus prædeterminet. *Nec ille* (inquit *Bradward.*) *dignè censetur omnipotens, qui agendo quippiam necessario egeat auxilio agentis prioris qui ipsum necessario & naturaliter præveniat in agendo, nec potest quis fingere, quod istud nequaquam sub omnipotentia continetur, istud enim* (nempe præcausatio causæ secundæ, quâ *DEUM* primam causam ad agendum determinat) *est ens vere factibile, imo & tunc homo esset potentior DEO, licet enim DEUS vellet ut homo liberè vellet, quicquid vult & facit & faceret ad hoc quantum posset ad ultimum, posset homo libere ei resistere, & non velle.* 3. *Licet DEUS à seipso determinatus velit & physicè predetermiuet materialem actionem odii, non sequitur DEUM totam*

lissime & prima. 2. *Et contra suam sanctam intentionem & voluntatem detortum, &* 3. *vi & determinatione determinationem creatæ libertatis præstet concausalitatem collateralem ad peccatum si qui blasphemia nos abhorremus toto pectore.*

Bradw. lib. 2 c 9.

physicum, sed quia est homo legi subditus, & producit actum vetitum, & est agens morale. Nam causalitatis physicæ, & moralis non est eadem ratio. 2. Falsum est malitiam esse accidens per se conveniens actui. Et illud *Arriagæ (hominem formaliter causari privationem, quia producit entitatem physicam)* est falsissimum, de privatione morali. Nam poterat *Adamus* eundem numero actum manducandi fructum arboris scientiæ produxisse, quem produxit, & quidem licitum, ex hypothesi quod Deus esum illius fructus ei imperasset suâ lege, quod Deus, si ita ei visum fuisset, fecisse poterat. Imò nec verum est de privatione physicâ. Non enim naturam producere hominem, est producere hominem claudum & cæcum; quia quâ natura producit hominem, & quâ natura læsa & imperfecta producit hominem claudum & cæcum. 4. Falsum est & illud, *ad privationem*, nempe moralem, *per se non esse actionem*. Ut & illud. *Nec malitiam amari, nisi quatenus amatur ejus fundamentum.* Et, *eum qui amat materiale amare formale.* Hæc omnia falsa sunt. Primum falsum est, quia etsi peccator non intendat peccatum quâ malum inhonestum, illud tamen intendit sub aliâ ratione, quâ bonum jucundum & utile, quod sufficit ut homo dicatur per se intendere malitiam, & non nudum actum materialem: unde magis eligit peccator deformitatem peccati, quam Deo placere. Vide *Thomam* & *Alvarem*. 2. Amari potest actus materialis complacentiâ physicâ, non morali, quando non amatur malitia nisi complacentiâ morali. Et Deus physicâ complacentiâ primæ causæ propriâ amat actum materialem, & tamen respectu complacentiæ moralis Legislatoris propriæ, moraliter odit malitiam ei annexam. 5. Hoc argumentum Adversarios premit. Si ideo *voluntas creata est causa malitiæ, quia est causa actus, cui malitia inseperabiliter annexa est*, Ergo ideo etiam Deus erit causa malitiæ, quia est causa prima actus materialis peccati, quippe Deus verâ efficientiâ & concursu causativo, licet determinato à voluntate deviante efficit actum. Ergo efficit & malitiam, & dum producit entitatem, producit privationem, nempe malitiam; & quia non potest prima causa non amare materiale peccati (est enim ens positivum, & opus Dei, & Deus non potest non amare omne quod efficit) Ergo *amabit malitiam*, secundum Adversarios. At conclusio absurda. 6. Dogmata hæc sanioribus Scholasticis sunt ignota, *Aquinas* sic,

Aquina. 3. de malo q. art. 2. ad 1. Arg. Alvarez respon. lib. ult. c. 11. fig. 5.

Saniores Scholastici docent Deum esse causam actus materialis; non vero malitiæ annexæ. Aquinas 2. dist. 37. q. 2. art. 2. solut. 2.

sic. *DEUS in actione difformitati conjunctâ, hoc quod est actionis facit, quod deformitatis est, non facit: etsi enim in aliquo effectu plura sunt inseperabiliter conjuncta, non oportet, ut quicquid sit causa ejus, quantum ad unum, sit etiam causa ejus quantum ad alterum.* Acutus Cajetanus. *Sequitur 3°.* (inquit) *quod non est idem concurrere ad actum talem, secundum id quod habet ab agente, ut sic, & secundum quod habet ab agente, ut deficiente, sicut non est idem esse agens, & esse deficiens.* Ferrariens. *DEUS dat volitioni perfectam bonitatem, quæ nata est ei convenire secundum suam entitatem: non autem illam in quantum ab humanâ voluntate procedit. Deformitas quæ convenit actui prout ab humanâ voluntate dependet, non opponitur unitati & rectitudini, quam DEUS in illo actu causat, sed rectitudini, quam causari debet humana voluntas.* Driedo. *Non oportet, quod si DEUS est causa actus, ergo peccat, sicut non rectè, DEUS est causa mortis & tristitiæ, Ergo DEUS moritur & tristatur.* Alvarez. *Non sequitur DEUM esse causam peccati, quia determinat ad actum, quia deformitas consequitur actum, non secundum quod est in genere naturæ, sed secundum quod est in genere morum, & prout causatur à libero arbitrio.* Doctores Salmanticenses. *Quantumvis objectum adæquatum attactum ab aliquâ potentiâ, vel virtute sit identificatum cum alio, quod sit extra lineam objecti talis potentiæ vel virtutis, vel sit connexum indispensabiliter cum eo, nihilominus prædicta potentia vel virtus terminatur ad suum objectum adæquatum non attingendo quodlibet aliud ibidem intentum, quod sit extra lineam sui objecti adæquati.*

Cajetanus in 12 q 79 art. 1.

Ferrarien. con. Gent. lib. 3. c. 89.

Driedo de gra. & lib. arbit. lib. 1. c 3. dit. D.

Alvarez li. resp. uic. c. 11. fig. 5.

Collegium Salmanti. cur. Theo. tract. 4. de volun. Dei dub. 7. dis. 10. sect 5.

10. *Fasolus* sic urget. *Quando duæ causæ concurrere debent ad aliquem effectum, negatio effectus causatur solum ab illâ causâ, quæ non confert id quod potest conferre, & necessarium est ad illum effectum causandum, & non ab aliâ causâ quæ quantum ex se est, confert omnia quæ in se habet, & præstare potest, & necessariò præstare potest, ut causetur ille effectus, ut negatio calefactionis ignis respectu trium puerorum in fornace Babylonis causata fuit à DEO non ab igne; non enim ignis fuit causa non calefactionis, sed DEUS qui non præbuit concursum necessarium, quem præbere poterat: sed quando quis peccat prædeterminatus à divino decreto ad actum peccati, peccat, seu non causat rectitudinem in actu, solum, & de hâc causâ tantum, quod DEUS liberè noluit facere contrarium decretum de dando concursum prædeterminantem ad actum bonum; & ideo si DEUS prædeterminet ad actum peccati, peccat*

Fasolus in 1. Thom. to. 2. q. 14. ar. 13. dub. 17. puncto 3. fig. 380.

cat quis ex defectu ipsius potentiæ proximæ & complementi prærequisiti, nempe ex defectu concursus ad actum contrarium bonum, unde sic tanquam creatura sed solus DEVS peccat. Quia peccare non est operari actum simpliciter, quia si eundem actum operamur in somno & amentiâ, non peccamus, sed est operari malum cum possimus ac teneamur operari actum rectum; at implicat contradictionem operari actum bonum, si prædeterminemur ad actum malum. Ergo non operatio recti & boni actus est à solo Deo negante concursum prædeterminantem ad bonum, quem præbere potest, & non ex voluntate creatâ quæ ex defectu & carentiâ divini concursus prædeterminantis non magis potest bonum operari, quam ignis *Babylonicus* comburere poterat, Deo negante suum concursum necessariò requisitum ad actum comburendi. Respondeo 1. Si ponamus illas duas causas esse physicas, non morales effectus causas, uti se habent Deus & ignis respectu calefactionis; tum concedo quod dicit Jesuita. At si causa altera sit physica, & lege superior, altera moralis, liberâ & legi obnoxia: certè tunc negatio effectus moralis, nempe non operatio recti actus, imputatur non quidem causæ physicæ, nempe, Deo non concurrenti; quia Deus nullo debito obligationis concurrit, nec ejus concursus legi subjicitur, sed imputatur causæ morali, puta voluntati creatæ legi obnoxiæ, licet actus bonus sit impossibilis, absque concursu prædeterminante ad actum bonum; quia voluntas creata tam liberè, tantâque internâ propensione electivâ se determinat ad actum malum, quam si in procinctu & in paratu esset Dei prædeterminatio ad actum bonum, ideo voluntati carenti etiam prædeterminatione Dei ad actum bonum, jure imputatur actus malus tanquam causæ morali; quia liberè & cum plenâ electione caret eâdem. 2. Ideoque falsum est, *voluntatem ad actum bonum conferre omnia quæ potest, solumq; actum bonum omitti ex carentiâ prædeterminationis DEI ad eum actum bonum*; quia actus bonus omittitur, non tantum quia deest Dei ad eum actum prædeterminatio, sed etiam quia ipsa voluntas interpretativè & quoad effectum vult sese carere illâ, & eliciat, cum internâ electione, actum malum. 3. Impropriè valdè actus bonus ex carentiâ prædeterminationis ad eum actum dicitur *impossibilis*, quia eo modo ille actus est impossibilis, quo actus liber quando est, impossibile est ut non sit: nam ut antea dictum, non sunt plures gradus necessitatis

Non-prædeterminatio Dei non est moralis causa culpabilis non-actus liberi, sive omissionis peccaminosæ.

Quo pacto actus est impossibilis ex carentia divinæ prædeterminationis.

necessitatis in prædeterminatione DEI, quam in actu libero prædeterminato ex hypothesi, quod actus liber jam sit, quippe DEI decretum prædeterminans, & DEI temporalis prædeterminatio non in alium libertatis & potentiæ electivæ angulum voluntatem protrudunt & impellunt, quam in illum ipsum in quem ipsa voluntas liberrimè se protrudit & impellit. Nec fortius prædeterminatio DEI flectit voluntatem liberam ad A, & non ad B. Quam ipsa voluntas sese liberè flectit ad illud idem A, non ad B. Et hic divinum fatum non trahit, sed volentem & liberum ducit. Ponamus lapidem è sphera lunæ ad centrum se moventem, naturâ gravis corporis ipsum deorsim trudente vi & velocitate ut 6. & aliud externum agens naturale eundem lapidem trudere eâdem vi & velocitate ut 6. Nemo, opinor, dicet externum illud agens majore necessitatione lapidem trudere ad centrum, quam ipse sese à naturâ internâ trudit ad centrum. DEUS prædeterminat voluntatem necessitatione ut 6. & ipsa voluntas ad eundem actum necessitatione etiam ut 6. sese prędeterminat. Unde impossibilitatio ad alium actum, puta, ad bonum, quando voluntas actum malum operatur, erit similis necessitationi; at necessitatio est impropria & optimè etiam gradibus numero paribus, puta 6. conspirat cum necessitatione ab ipsâ voluntate liberâ manante. Hoc ergo Jesuitæ (*implicat contradictionem operari actum bonum, si prædeterminemur ad actum malum*) æquipollet huic. (*implicat contradictionem non operari malum, ex hypothesi quod operemur actum malum*) At hæc impossibilitatio planè est impropria & hypothetica; ratio autem & causa hæc est: quia DEUS cum sit prima causa infinitæ, tum potentiæ, tum sapientiæ, solus potest & solus novit congruenter naturæ & genio libertatis creatæ ciere & movere voluntatem secundum eosdem gradus necessitatis non plures, non pauciores secundum quas ipsa libera voluntas movet & determinat ex hypothesi quod jam se moveat. 3. Argumento hoc Jesuitæ nihil profanius, vult enim DEUM ab æterno voluntati creaturæ decrevisse concursum tam ad actum bonum quam ad malum, ad *Petri* vel confessionem *Salvatoris* vel ad abnegationem. At futuritio confessionis, quando *Salvatorem* abnegavit, & in sese & in æterno DEI decreto est planè non ens. An ergo DEUS decrevit omnia possibilia, & tam non entia quam entia fieri ab æterno statuit? Vah fœdæ blasphemiæ!

11. Ruiz. *Munus primæ causæ non requirit prædeterminationem; quia DEUS suo muneri abundè satisfacit, quando gubernat & movet homines, qui nunquam eliciunt materialem actionem odii DEI.* — Item. *Sequitur, ex hâc positâ prædeterminatione, nullam esse hominum præ aliis fragilitatem, nisi quam DEUS vult ex absolutâ suâ libertate conferre, quando & ubi vult, & fragilitatem non obesse, si DEUS prædeterminat ad actus bonos, & vires & robur gratiæ nihil prodesse, si DEUS nec prædeterminet, nec esse pœnam, quod quis deseratur, nec beneficium, quod alius per gratiam juvetur.* Ruiz. tom. de vol. Def. disp. 29. sec. 1.

Respondeo. Docent Jesuitæ refulgere gloriam justitiæ & misericordiæ in peccatis; itaque licet gubernatio DEI aliqualis refulgeret sine eâ; ea tamen gloriosa, quæ nunc obtinet, providentia, obscura fuisset, nisi DEO constitisset illibatum hoc suum dominium in actus Angelorum bonorum & malorum, & hominum. 2. Mirum est Jesuitis displicere, quod DEUS ex absolutâ suâ libertate disponat de creaturæ suæ fragilitate. *Væ opifici cum figulo litem moventi.* 3. Quantum est ex parte voluntatis debilissimæ instructæ prædeterminatione ordinis naturalis, non valet, (quæ ipsius impotens fragilitas est) elicere actus supernaturales, nisi accedat & habitus gratiæ, & specialis ad actus assistentia. Homo ergo homine est fragilior. 4. Homines habitu gratiæ parcioris hominibus sunt fragiliores, & quis neget Cedros DEI, *Noachum, Lothum, Davidem, Petrum,* viros alioquin habitu gratiæ instructissimos, tenuibus tentationibus succumbentes fatiscere, DEO gratiam prædeterminantem & fulcientem subtrahente; Et debiliores, latronem in cruce, & fœminas etiam gravioribus illiciis & torturis ne quidem titubasse? ut homines non in sese, imò nec in creatâ gratiâ, sed in solo dominio per *Jesum Christum* gloriari discerent. Licetne dicere. *Tu vero per fidem stas, ne effertor, ne metue.* Et illud Pauli. *Libentissimè igitur potiùs gloriabor de infirmitatibus meis.* 5. Obsunt fragilitates; quia iis ut plurimum DEUS cedit, quo cadant Sancti. Sunt etiam peccata & ad peccandum pronos reddunt, etsi non erumpant in malos actus, DEO Suos fulciente. 6. Qui ad actus bonos à DEO prædeterminatur, eatenus non est desertus. 7. Confundantur Theologi qui volunt penes liberum arbitrium esse fragilitatem culpabilem, quando, & ubi velint homines, actuare, hoc est stare, vel cadere, quasi gratia DEI superflua foret. Ita enim docent communiter omnes *Antipradet eruinantes.* Ruiz.

Quatenus nostra causa prima requirit prædeterminationem Dei ad actus materiales peccati.

Rom. 11. 20. 1 Cor. 12. 9.

Ruiz, ib.

12. Ruiz. *Sequitur munus esse primæ causæ irruere in debilem hominem ad determinandum eum ad lapsum; & ad consummandam Diaboli & carnis tentationem. Debet DEVS* (inquit *Suarez*) *fragilem & ad malum properſam voluntatem ad bonum potius, quam ad malum determinare, adde, quoties DEVS non determinat ad actum malum, eum qui properſus est, toties miraculoſe ageret, negando voluntati in articulo tali constitutæ concurſum generalem debitum ei ex vi muneris causæ primæ; —— ſi vero voluntati ſic propenſæ non debeatur prædeterminatio vi muneris causæ primæ: DEVS autem pro ſuo arbitratu hanc potius, quam illam volitionem efficerit: —— tum DEVS ſummè bonus eliget potius creaturam perdere, quam conſervare, nullâ culpâ creaturæ. 2. DEVS odio haberet creaturam, qui eam ad malum determinaret. 3. In malis actibus DEVS diſcerneret peccantem à non peccante, & non eſſet volentis, neque currentis, ſed DEI odio proſequentis. 4. Perditio noſtra eſſet ex DEO.*

Suarez in opuſc. de concurſ. li. 2. c. 2. ſ. 15.

Prædeterminatio Dei non eſt tentatio, non perditio, non coactio ad peccatum.

Reſpondeo 1. Munus primæ cauſæ eſt liberum *Creatoris* decretum, quo ſtatuit prædeterminare ad actum, cum ipſe homo ſeſe determinet ad malitiam actus, nec prædeterminatio talis vel eſt *tentatio*, vel *tentationis conſummatio*. Niſi quis diceret actum phyſicum eſſe formaliter tentationem Diaboli; at hoc eſſet opus DEI appellare opus Diaboli 2. DEUS ex hoc argumento concurrens indifferenti concurſu cauſativo ad actum peccati, ut docent Adverſarii, *conſummaret tentationem Diaboli*, ſed ſalva res eſt, *DEVS conſummat tentationem Diaboli concurſu indifferente, & coactus vi muneris cauſæ univerſalis*. Id quod olim in *Pelagianis* refutavit *Bradwardinus*. *Illum* (inquit) *nolo pro DEO meo habere, quem ego peccator impello ad malum neceſſariò volendum; aut etiam permittendum, quem ego miſer peccator neceſſitò vicisſitudinaliter, ſicut malitiæ placuerit.* 3. Dum *Suarez* fragilitatem creaturæ & bonitatem DEI ſtatuat cauſas cur *Deus* peccati actus nollet prædeterminare, cum iis planè arguit, quos olim *Tertullianus* canes, *Marcionitas*, nempe indigetavit. *Si Deus* (inquiunt) *bonus & præſcius futuri, & avertendi mali potens, cur hominem & quidem imaginem ſuam —— paſſus eſt labi de obſequio legis in mortem, circumventum à Diabolo? Si enim bonus, qui evenire tale quod nollet, & præſcius, qui eventurum non ignoraret, & potens, qui depellere valeret, nullo modo eveniſſet, quod ſub his tribus conditionibus divinæ majeſtati evenire non poſſet.* Quia enim Diaboli & Reprobi homines

Bradward. lib. 3. c. 29.

Tertullia. adve. Marcion. li. 2. c. 5.

homines quibus Deum benè velle quâ bonum fingunt, sunt Dei creaturæ, misera ipsorum fragilitas & ad malum propensio necessitaret sic primam causam ad negandum suum concursum prædeterminativum vel condeterminativum pravis ipsorum actibus, quod experientiæ repugnat. 4. At solo suo beneplacito Deus efficit & velle *Eph.* 1. 11. & sanctè velle, *Philip.* 2. 13. & nullo miraculo Deus *miseretur quorum vult, quos vult, indurat.* 5. *Suarezianæ* consequentiæ sunt totidem *Marcionitarum* figmenta. Nam *DEUM prædeterminare ad actum physicum* nec est *perdere, nec odio habere creaturam, nec discernere peccantem à non peccante.* 6. Interitus, quem *Hoseas* Deo adimit, est interitus quem populus per suam Idololatriam commeritus erat: at Deum ad actum prædeterminare est actus bonus. Pudet nugas hasce refutare.

Ruiz. *Erit simpliciter homini impossibile interficere seipsum, & filios suos, eo quod DEVS pro solo arbitratu neget determinationem physicam. Et si prædeterminatio pro Dei libito posita necessario infert materialem actionem, & sublata pro DEI libito reddit impossibilem, nulla erit hominis propensio. & fragilitas nisi ad ea sola peccata, ad quæ DEVS præbet prædeterminationem suam. Ad cætera non tantum non erit propensio, sed illi ea committere erit simpliciter impossibile.* Non ergo ponenda est Dei prædeterminatio ad actus materiales peccati. De volun. Dei 29. dis. sect. 1.

Respondeo 1. Nulla actio creaturæ vel possibilis vel impossibilis dicitur in relatione ad concursum primæ causæ, quasi creatura concursum & actionem primæ causæ haberet in suâ potestate, & voluntas libera Deum ad concurrendum necessitaret, & Dei absolutam libertatem in miserendo & indurando omnino tolleret, sed actio causæ secundæ dicitur possibilis vel impossibilis in relatione ad ipsam habilitatem & potentiam ipsi causæ secundæ insitam, vel alio modo ei inhærentem, neque sequitur impossibile esse homini sese aut filios suos interficere ex solâ liberâ *Dei* ad actum interficiendi negatione prædeterminationis; quia quoties Deus negat prædeterminationem suam, negat eam homini eâ carere liberè volenti, & quoties præbet suam prædeterminationem, eam præbet homini eam habere liberè volenti. Quippe ita Deus ex suo arbitratu attemperat suam prædeterminationem genio & naturali libertatis agendi vel non agendi indoli, ut non posset non conspirare suavissimè ipsa in illum actum & eundem numero, quem ipsa

Nullus actus dicitur impossibilis in relatione ad prædeterminationem Dei, & quo pacto Deus suaviter sua prædeterminatione concurrat in idem objectum cum prædeterminatione libera creaturæ.

libera voluntas plenâ libertate & electionis judicio amplectitur. Itaque quando dicit Jesuita impossibile esse, ut voluntas ad alium actum se determinet, quam in eum, ad quem à DEO prædeterminatur, intelligit impossibilitatem ortam ab ipsâ internâ naturâ libertatis; at ea impossibilitas (ut sic loquar) est suavis & libera & electiva, quippe hæc est impossibilitas, quâ impossibile est ut ipsa voluntas ad alium actum se determinet quam in illum, ad quem se de facto libera determinet. Ponamus enim, rei enuncleandæ gratiâ, esse in voluntate liberâ tres numero distinctos fontes è quibus scaturiunt tres rivuli vel tres actus nolendi, volendi, & actum suspendendi, voluntatemque pro suâ libertate internâ posse exhaurire quemvis rivulum, vel ex primo vel ex secundo vel ex tertio fonte, non autem potest ex omnibus tribus fontibus simul elicere & velle, & nolle & suspendere actum copulativè, sed unum tantum disjunctivè ex naturâ rei necessario eliciet, jam, quia DEUS è primo fonte exhaurit τὸ nolle suâ prædeterminatione eum fontem ciendo & movendo, & præscit in suo libero decreto voluntatem liberam eum fontem & non secundum, non tertium suâ liberâ inclinatione moturam, quis diceret DEUM hic aliter impossibilitare libertatem creatam ne velit secundum aut tertium fontem ciere & movere, quam ipsa libertas sese impossibilitat, ne velit secundum & tertium fontem ciere? At dices hoc modo, non posse voluntatem liberam ciere secundum & tertium fontem, quia DEUS prius naturâ suâ prædeterminatione primum solummodo movit: ideo tollit voluntati potentiam ciendi vel secundum vel tertium & libertatem evertit. Sed respondeo. Consequentiam fore bonam, si DEUS non pro suâ infinitâ sapientiâ omnes libertatis inclinationes ad hos tres fontes ciendos exploratos haberet. At quoniam præscit in suo decreto agitationes actuales secundi & tertii fontis planè nullas esse & in perpetuum non entia fore, & voluntatem tantum primum fontem moturam, non aliter DEUS tollit potentiam exhauriendi rivulos è secundo & tertio fonte, quam ipsa libera voluntas eandem tollit. Ea autem liberè, atque adeo impropriè valdè eam tollit. Ergo DEUS eam nullo modo propriè tollit. At voluntas propriè impossibilitatur, quando non potest eum fontem ciere, in quem de facto inclinaret actu secundo ex suâ internâ inclinatione, nisi ab alio agente fortiore impedita fuisset, & ad eum fontem ciendum flectitur vi fortiore,

fortiore, in quem si sibi relicta foret, actu nunquam inclinaret. Ac hoc modo, certè à Dei prædeterminatione non est impedita vel flexa. Et quamvis nos modum conspirationis divinæ prædeterminationis & creatæ voluntatis determinationis liberæ in unum & eundem actum pro ingenii nostri imbecillitate (quam certè in tanto mysterio permagnam esse ad Dei gloriam nos confiteri par est) explicare minimè posse ingenuè agnoscamus, non tamen ferendum est ut creata voluntas statuatur regina & absoluta domina concursuum divinorum & omnium actuum liberorum, quæ doctrina preces nostras enervat, orandi fiduciam penitus evertit, consolationem & patientiam sub tot flagitiosis actibus à creatâ voluntate patratis in nos planè destruit, timorem & spem religiosam in Deum radicitus extirpat, Omnipotens Dominium Dei in actus liberos Angelorum & hominum miserè pessundat & evacuat, omnia fortunæ dominatui committit, Dei libertatem fatalis necessitatis compedibus constringit, Providentiam specialem creatæ voluntatis pedissequam constituit, & omnem gratiæ necessitatem in nihilum redigit & sacrilegè delet. 2. Nisi Deus hominem ad actum laqueo se suspendendi determinet, videat Jesuita, quomodo nollet à Sanctis Deo agi gratias, quod à Judæ proditoris tragico & luctuoso exitu per Dei gratiam indeclinabiliter liberentur. 3. Nullâ Logicâ, ex positâ prædeterminatione Dei sequitur propensionem nullam homini inesse, ad facinora patranda, ad quorum actus materiales à Deo non prædeterminantur; sed ex negatâ hâc prædeterminatione, optimè sequitur, non agendas esse Deo, sed mero libero arbitrio se soli determinanti, gratias declinatorum omnium flagitiorum ad quæ nimis, proh dolor! sumus propensi. Dices majore necessitatione prædeterminans decretum prius de actu uno determinato fixum statuit beneplacitum, quam ipsa voluntas de eo aliquid fixi statuat. Respondeo, non inde sequi majoritatem necessitationis: quia unus tantum actus erat futurus, si supponamus per impossibile tolli omne Dei decretum; nam potentia disjunctiva ad plures actus contrarios nempe vel velle vel nolle, est quoad futuritionem potestas ad unum determinatè, non ad plures copulativè. Ergo ex hoc quod decretum statuit fixi aliquid de uno actu futuro determinatè non sequitur necessitationem ex decreto majorem esse necessitatione ex ipsâ potentiâ electivâ manantem, nisi

Quomodo necessitatio nec ex decreto nec ex prædeterminatione sequatur.

decretum aut prædeterminatio DEI, fortius impellerent voluntatem in modo crumpendi in actum determinatum, quam ipsa voluntas liberè se impellit, quod non est dicendum. Promittit *Petrus* filiam Valeriam uxorem fore *Joanni*, ideoque de nuptiis determinatè & immutabiliter (ponamus enim hoc docendi causa) statuit certo die dicto, nihil interim puellæ revelatum est de ea re, scit tamen *Petrus* se posse virginis animum dotis promissione summæ, & rationibus ab *Joannis* nobilitate, robore, potentiâ, divitiis, pulchritudine, & eximiâ & spectatâ animi probitate sumptis pellicere in contensum liberrimum, & suadet & persuadet Valeriæ, & liberè ex utraque parte dicto die celebrantur nuptiæ, DEUS autem decreto determinante potest absolutè statuere de actu libero, quia multo exactiùs callet omnes liberæ voluntatis latentes angulos, vires electivas, inclinationes intimas, & potest movere, permovere & indeclinabiliter flectere voluntatem, in eum actum, in quem probè novit in suo decreto ipsam voluntatem de facto sese flexurum. Ego de hisce malim cum ignorantiâ philosophari, quam providentiam omnium actuum positivorum determinatricem negare.

Ruiz ib. disp. 30. sec. 2.

Si DEVS in seipso determinatus potest efficaciter velle & determinare actus materiales peccati, sequitur potuisse DEVM ita cum hominibus loqui, ut causaret materialem entitatem mendacii, prædeterminando voluntatem & intellectum ad totam realitatem consensus in mendacium & errorem, dummodo DEVS non intendat rationem formalem mendacii, & falsitatis, sed potius inde colligeret majorem suam gloriam: sed DEVM posse hoc facere probatur, quia potest proferre visiones & objecta sensibilia & voces formare in aere quæ ad placitum significent falsum, vel sua virtutè miracula facere, asserens illa fieri in confirmationem veritatis, & sic fidei certitudo everteretur, non minus quam si DEVS causaret mendacium, ut mendacium.

Determinatio Dei non cogit ad peccatum.

Respo. hoc argumento tam adversariorum quam nostra causa læditur, posset enim DEUS concursu universali, qui æque causativus est atqui est prædeterminatio, *causari materialem entitatem odii DEI, & mendacii*, quod non est magis absurdum, quam DEUM omnes actus entitativos peccati munere primæ causæ causari, quod à nemine vel Philosoporum vel Theologorum, (si *Durandum* excipias) negatum esse scio. DEUS enim sic non esset mendacii causa. 2. Visiones, voces & signa sensibilia quæ indifferenter se habent

bent ad verum vel falsum, quæ sunt symbola, nudâ potentiâ, non formaliter, veri vel falsi ex DEI instituto significativa, possent à DEO in aëre formari: sed si significarent falsum & DEI voluntatem significarent falsò, hoc est, id DEUM velle significarent, quod *Deus* non vellet, tum DEO talia signa non possunt adscribi, esto quod non intenderet mendacium: quia DEUS falsum loqueretur per illa signa, & se velle, quod non vult significaret, quod DEI veracitati & candori repugnaret, nec enim hypocrisi careret: debebat Jesuita hoc probasse, non dictitasse. 3. Miracula nullam veritatem confirmant, nisi accesserit Verbi Divini Authoritas ad ea miracula, ideoque non posset DEUS falsum per miracula confirmare, nisi falsum loqueretur, quod est DEO mentiri nescio indignum, neque sic periclitaretur fides eorum qui talibus signis falsis crederent, DEUS enim talia signa per se & immediatè in aëre formare non posset.

13. Ruiz. *DEVS neminem tentat, ergo neminem physicè prædeterminat ad actum materialem peccati. Conseq. prob. Quia tentatio est actio impellens arbitrium ad peccandum. Ergo quanto magis efficaciter & magis per se impulerit ad peccandum, tanto propius & perfectius obtinebit tentationis quidditatem: Sed causalitas physica (prædeterminationis) magis efficaciter & magis per se ad peccandum impellit, quam moralis causalitas: nam efficacia causalitatis physicæ realiter influit, & necessariò effectum infert, causalitas moralis neq; realiter influit, neq; necessariò infert effectum. Et magis per se influit: nam liberæ & reali volitioni concitationis divinorum præceptorum ita inest inobedientia, ut per nullam potentiam separari possit. At existentibus tentationibus fieri potest, ut non existat inobedientia tentati.* Et *Suarez. Ad rationem tentationis non requiritur intentio malitiæ, neq; Dæmon inducit ad formale peccati ut sic, seu ad amandum objectum prohibitum, quâ prohibitum, sed ad actum tantum inducit.* Et *Fasolus. Quod DEVS non necessitet non satis est ad salvandum DEVM: quia homo & Diabolus non tentant necessitando, tum ad tentandum satis est indirectè intendere malum, nempe inducendo bonum, cui annexa est malitia, quamvis inductio sit moralis & infallibilis. Deinde* (inquiunt *Ruiz & Fasolus*) *concupiscentia nihil cognoscit de malitiâ; non enim est capax intendendi formalem rationem malitiæ, sed tentat ad actum ut est entitas positiva ex cognitione sensitivâ, quæ ignorat rationes boni & mali moralis. Imò* (inquit *Ruiz*) *si DEVS suaderet & consuleret actionem materialem peccati*

Ruiz de vol. disp. 37. sect. 1.

Suarez in opus. de cõcurs. l. 2. c. 2. fig. 19.

Fasolus in 1 tom. 2. q. 14 art. 13. dub 17. pũ. 3. fi. 377.

Ruiz ib. fi. 11, 12, 13, 14.

Determinatio Dei non tentat ad peccatum, nec efficaciter influit in peccatum, nec intendendo nec suadendo, nec necessitando.

peccati, ad peccandum tentaret, quamvis intentionem procuraret præscindere à ratione formali malitiæ. Item. *Exterior suggestio Dæmonis ad actum materialem, etsi præscindatur intentio malitiæ, nihil aliud induceis directè & immediatè, nisi positivum & realem consensum delectationem & honorem contrarium legi divinæ. At nihil aliud facit DEUS ad actum prædeterminando.*

Respondeo 1. Distingui debet hoc; (*DEUM magis efficaciter & realiter influere in actum, quam influit Diabolus*) nam si loquimur de *efficacitate, fortitudine, & realitate influendi physicè*, concedo; Nam DEUS efficacius influit in actum in lineâ physicâ, quam Diabolus; quia Diabolus non influit omnino sic, efficacitate physicâ: At si loquamur de *efficacitate & realitate influendi & causandi moraliter*, tum Diabolus efficacius multò, quam DEUS influit: quia DEUS nullâ omninò efficacitate morali influit, & tam insulsa est utrobique collatio, quam si ego dicerem corvum esse cygno multò candidiorem, & cygnum esse corvo nigriorem. Hinc itaque sequitur DEUM esse primam causam actus in lineâ physicâ, non verò vel ullo modo causam malitiæ; quia *Smitus Ille Israelis* non est causa malitiæ omninò. 2. Licet prædeterminatio necessariò inferat effectum, quia illa necessitas suaviter cum libertate conspirat, non sequitur DEUM tantâ vel necessitate, vel realitate causandi causari malitiam, quantâ eam causatur Diabolus; DEUS enim nullâ necessitate omninò causatur malitiam, quia non est illius causa omninò, nec inseparabilitas malitiæ cum actu materiali facit DEUM ullâ perfectate (ut sic loquar) causari malitiam. Hoc fuit probandum, sed strenuus assertor est æger probator. 3. Falsum est Diabolum non inducere aut intendere malitiam actus, sed tantum ipsum actum. Nam *Dæmon* tentavit *Evam*, non ad actum vescendi, qua actus, sed ad actum qua vetitus. Nam scopus Diaboli tentantis non fuit simpliciter ut vescerentur, sed ut interdicto fructu vescerentur, ut protoplasti primævâ suâ dignitate dejecti DEO exosi & longè miserrimi redderentur, neque Diabolus tam insipiens fuit qui ipsos ad nullum actum materialem vescendi aliis fructibus non interdictis, solicitaret, sic enim intentum suum (quod fuit genus humanum in exitium & æternam damnationem præceps adigere) minimè sperabat. 4. Falsò & captiosè dicitur *Diabolum tentando non intendere malitiam peccati ut sic.* Est enim falla-

cia à

cia à κατα τι ad dictum ἁπλῶς. *Dæmon* tentando non intendit malum quâ malum ipsi Dæmoni, hoc verum est, quia quo inhonestius est illud ad quod Diabolus solicitat, eo Diaboli pravæ voluntati melius & jucundius apparet, ideoque est illi bonum: at quia *Dæmon* DEI & imaginis Divinæ flagranti odio æstuat, in omni tentatione vult & intendit illud quod DEO displicet: id autem quod DEO displicet est mera malitia, non actus qui est entitativè bonus. 5. Hoc argumento lepidè probatur DEUM efficaciorem & magis realem influentiam contribuere ad peccatum, quam Diabolus tribuit, sed bene est, quod Deus sit tentator ad peccandum secundum Jesuitas ex officio primæ causæ & determinatus à voluntate peccatrice. 6. Falsum est etiam concupiscentiam tentare tantum ad actum, & non ad malitiam; quia cum naturalis facultas legi subsit, hoc ipso quod inclinat in actum, cum inclinare vetatur, inclinat in malitiam licet ignoret rationes boni & mali moralis. 7. Si DEUS suaderet actionem materialem peccati, præscindendo à malitiâ, hoc est, quę à nullâ DEI Lege vetaretur, non suaderet malum, nec ad peccatum tentaret, sed intellectualis tantum præscissio à malitiâ non liberaret DEUM à tentatione culpabili; quia repugnantiam & contradictionem involveret, DEUM suadere actum materialem, qui vetatur; nam DEUM vetare actum est dissuadere actum, & sic simul vetaret & non vetaret, suaderet & non suaderet actum, vanum enim est argumentum ab hypothesi contradictionem involvente. 8. Sic respondeo ad illud *de exteriore suggestione Dæmonis in actum materialem Legi Divinæ contrarium, & si præscindatur intentio malitiæ*; quia Dæmon Lege DEI prohibetur suggerere aut suadere alicui actum lege vetitum, faceret id quod repugnat DEI Legi & formaliter tentaret; etsi actu non intenderet malitiam, non deesset tamen virtualis intentio quæ ad tentationis formalem rationem sufficit: at si solicitaret ad actum materialem nullâ DEI Lege vetitum, non tentaret ad malum: quin imò Jesuitæ hypothesis est etiam contradictoria; si enim prætcindas millies intentionem formalem malitiæ, si Diabolus induceret tentando in positivum & realem consensum in delectationem & honorem realiter contrarium Legi Divinæ, ut ait Jesuita in hypothesi expressis verbis; tum ille consensus realiter non præscissus esset à malitiâ, imo realiter esset Lege DEI vetitus & malitiam hoc ipso formaliter includeret inclu-

sione reali, & in eum inducere esset formaliter tentare, etsi mente quis præscinderet actum à malitiâ. Nam mentalis abstractio actus à malitiâ patrantem scelere non liberat, quando actum realem Legi DEI contrarium faceret; sic enim *David* stupro, *Absolom* incestu, *Chaldæi* latrocinio absolverentur, etsi tales actus stupri & latrocinii commisissent, modo mente actus materiales, non malitiam intendissent. At hoc est in re nimis seriâ Legem DEI fallere fucosis & malè concinnatis distinctiunculis? Liceret Jesuitæ sic mœchari, & responso hoc se âbsolvere, non intendo malitiam in stupro, sed merum actum. Ignorant hic Adversarii peccatum non formaliter constare ex actu & malitiâ, sed formaliter esse ens planè morale, & ipsam actus deordinationem formaliter: actum autem in definitione peccati sumi, tantum, ut loquuntur Logici, *per additamentum.*

Ib. fig. 23. *Sequitur hinc* (inquit *Ruiz*) *neq; qui plantat, puta Dæmonem esse esse aliquid, neq; hominem Dæmonis ministrum esse aliquid, quia frustra vox* (tentationum) *exterius sonat, nisi* DEUS *daret incrementum, & prædeterminaret ad positivum consensum in tentationem.*

Respondeo. Impia est objectio. Nam quia prædeterminatio non datur nisi volenti eam habere, & contemperatur libertati, sequitur tantum frustraneas esse tentationes nisi voluntas prava liberè consentiret. 2. Frustra tentari sequi fateor, nisi DEUS ad actum prædeterminaret, sed hoc non est consentire tentationi, imò bona est prædeterminatio DEI, sed consensus impius; quia Lege vetitus. 3. Hic Diabolo & libero arbitrio debebuntur gratiæ evitati peccati, ex Jesuitâ, non DEO, qui ita agit, ut possit sequi vel non sequi peccatum.

Ruiz. Ib. sec. 2. §. 17. 18, 19. Ruiz. *Si prædeterminatio independenter ab hominis libertate ad materialem consensum determinet, tum non est beneficium quod diabolus catenâ constringatur, contra* DEI *verbum Apocal.* 20. 2. *non erit majus periculum consentiendi gravissimæ tentationi, quam levissimæ; imo etiam si nulla prorsus ingruat tentatio, idem prorsus periculum erit, quod in tentatione gravissimâ, quia admissâ prædeterminatione inevitabiliter inde sequitur consensus, & nullâ potentiâ, potest sequi consensus, si absit prædeterminatio, sive ponatur tentatio gravissima, vel levissima, vel nulla. Hæc omnia sunt absurda. Ergo sequitur* CHRISTUM *non venisse ad dissolvenda opera diaboli, si prædeterminat ad ea, at qui*

non

non aliter potest dissolvere malitiam, nisi auferendo materialia operis & efficiendo muneri primæ & universalissimæ causæ, sed huic muneri ut satisfaciat, non requiritur concursus prædeterminans, qui est summæ efficaciæ, sed sufficit concursus ex se inclinans ad actiones bonas & relinquens potestatem liberam determinandi illum. Ergo. prob. Maj. Quia divina bonitate indignum est se exhibere peculiarem curam, & providentiam, ut eadem actio producatur à voluntate creata. Hoc autem præstaret, si concursum efficaciorem præberet quam satisfaciat muneri causæ primæ. Et confirmatur, quia & Scholastici & prædeterminatores (nostros intelligit) *DEVM concurrentem ad actionem materialem peccati liberant à culpâ, ea præsertim ratione, quia DEVS ex munere causæ universalis tenetur concursum præstare. Prob. Minor. Quia primæ causæ muneri DEVS abundè satisfacit, quando gubernat & movet eos homines, qui nunquam eliciunt materialem actionem odii DEI. Confirmatur. Quia munus primæ causæ non postulat necessariò, ut suâ sponte & ab intrinseco determinatus DEVS velit illud munus exercere in actibus turpibus, & quidem numero longè excedentibus actiones honestas, & non potiùs è contrario prædeterminet actiones honestas plures esse, nec in causa sunt hominum demerita, quia munus primæ causæ non postulat prædeterminare luciferum & primos parentes, ut in secundo instanti conciperent materialem actionem superbiæ, potius quam perseverantiæ in DEI amore, quia nullum demeritum culpæ illud instans præcessit.*

Resond. 1. Falsum est concursum prædeterminantem esse summæ efficaciæ & quidem tollere potestatem liberam, nam major esset efficacia purè Physica qualis est DEI cum igne ad calefaciendum concurrentis. 2. Falsum est etiam prædeterminationem esse majoris efficaciæ quam satisfaciat muneri causæ primæ & universalis; quia munus causæ primæ requirit ut DEO constet plenum dominium in actus liberos & in omnes omnino actus quoad determinatum numerum, quod non est absque prædeterminatione ullo modo possibile, nam sine tali dominio manca esset providentia imò fides nostra, spes, consolatio, patientia, precandi fervor, gratitudo & timor essent irrita omnia & vana ut supra demonstratum est. 3. Nec est magis indignum DEI bonitate exhibere curam, ut actio materialis peccati producatur à voluntate creatâ concursu prædeterminativo, quam curare ut producatur concursu universali & simultaneo,

Prædeterminatio sola non concursus indifferens satisfacit muneri & efficio causæ primæ.

neo, uti docent adversarii: qui dicunt DEUM sine curâ & speciali providentia producere actum materialem peccati, digni sunt qui è schola CHRISTI exsibilentur. 4 Si est indignum DEI bonitate producere actum materialem peccati, ratio esset quia peccatum est malum abhominandum, sed sic DEUM permittere peccatum esset indignum DEI bonitate, uterque enim actus est bonus. 5. Nec Scholastici nostri DEUM concurrentem ad actionem peccati liberant à culpâ, quia tenetur aut obligatur præstare concursum suum, sed quia cum DEUS liberè concurrat tanquam prima causa, præstat concursum sanctum, bonum & omnis caussalitatis moralis, quæ DEO notam peccati inurat, expertem, 6. *DEVS muneri causæ primæ abundè satisfaceret*, movendo & gubernando homines qui nunquam actionem materialem peccati eliciunt, ex hypothesi quod DEUS gloriam justitiæ punientis & misericordiæ parcentis declarare in hominibus non decrevisset, quod fecit in bonis Angelis, sed hypothesi talis decreti stante, *nunquam primæ causæ muneri satisfactum fuisset*, si DEUS omnes homines ad nullos alios actus quam integræ obedientiæ movisset, sic enim DEUS justitiam & misericordiam actu declarare nunquam potuisset. 7. Carnalis plane est de DEO imaginatio, quâ somniat Jesuita indignum esse *munere primæ causæ primæ, quod DEVS ab intrinseco determinatus ad actus materiales turpes determinaret & quidem ad longè plures turpes, quam honestas.* Nam si velimus imaginari DEUM defungi officio primæ causæ ex solâ bonitate & amore erga hominum salutem, tum DEUS ex officio primæ causæ nullos homines omninò ullos actus turpes committere permitteret. Nam nullus terrenus pater omnia cum filiis suis ex solo amore paterno agens, permitteret eos labi in actus qui inevitabilia sunt ad sempiternum exitium media, siquidem impedire eos posset, salvo jure & officio paterno, DEUS autem, si ex solâ bonitate & amore erga creaturarum rationalium æternam salutem ageret, eas peccare non permitteret, sed quoniam ex libero suo decreto declarandi gloriam justitiæ punientis & misericordiæ parcentis; (*omnia enim propter seipsum*, id est, propter suam gloriam liberè facit) cum creaturis rationalibus agit, quæ carnis sunt, sapit Jesuita, qui velit indignum suâ bonitate & amore erga salutem creaturarum DEUM facere, qui ex suo libero arbitrio determinatus prædeterminet ex officio primæ causæ homines *ad actiones turpes*

Quomodo Deus stante hoc, qui nunc obtinet, rerum ordine, per concursum satis facit officio primæ causæ.

Prædeterminatio Dei ad actus entitativos peccati male & falsò accusatur, quasi ex solo Dei amore erga salutem omnium fluere deberet concursus DEI cum hominibus, cum re vera fluat ex liberis voluntatibus Dei.

turpes, & quidem ad plures turpes, quam honestas; pari enim ratione Deum accusare potest audax homuncio quod cum ullis hominibus ad actus turpes concurrat, nam ex libero suo beneplacito & nullâ necessitate concurrit ad tales actus, nam tali insaniâ accusat Deum quod ulli sunt homines qui in æternum pereunt, & longè insulsius eum accusat, quod longè maxima humani generis pars æterni exitii pœnas incurrat; liberè enim & non coactus Deus ad actus turpes omnium qui pereunt contribuit concursum universalem, determinabilem & indifferentem. 8. Nec nos statuimus demerita hominum esse causam concursus divini ad actus turpes, ea tamen est aperta Adversariorum doctrina: imò id asserit *Jesuita* ibidem. Fig. 15. *Totus præcedens discursus confirmatur. Quia si concursus universalis* (inquit) *primæ causæ, quantum ex se est, uniformitatem & æqualitatem servat comparatione omnium hominum, omnium temporum & omnium actionum & ab intrinseco arbitrio creato accipit disparitatem ac dissimilitudinem, quâ flectitur ad diversas & contrarias actiones materiales peccatorum: sic rectè intelligitur quomodo debitus sit ille concursus semper & ubiq; omnibus hominibus & in omni actione sive honestâ, sive turpi: at contrà si concursus primæ & universalissimæ causæ à seipso habet esse multiplicem & applicatum ad materiales actiones peccatorum, jam non redditur ratio, propter quam DEUS non satisfaciat muneri causæ primæ, si semper, aut ferè semper, utatur concursu prædeterminante ad actiones honestas, & nunquam aut rarissimè utatur concursu prædeterminante ad materiales actiones quæ turpes sunt. Siquidem adhuc munus causæ primæ exercetur in aliis actionibus.* Hic videmus Jesuitas statuere Deum, *quantum ex se est*, nunquam declarare gloriam justitiæ punientis, & *quantum ex se* nullos reprobare, *quantum ex se* incarnationem filii sui, gratiam pœnitentiæ, & gratuitæ justificationis peccatorum non decernere: quia *quantum ex se* nec peccata permittit, nec concursum ad actus materiales peccatorum contribueret, sed id facere coactum & determinatum ab arbitrio creato. 2. Sequitur ab arbitrio creato non à *Deo* esse, quod sint tot determinati actus peccaotrum, non plures aut pauciores, & tot determinati actus honesti & supernaturales, puta, dandi eleemosynas, orandi, resipiscendi, credendi, *Deum* & proximũ diligendi, &c. non plures non pauciores. Unde 3. necessariò sequitur determinatum numerum Electorum inscriptorum libro vitæ, non ultimatè reducendum in liberam determina

Male statuunt Jesuitæ Deum nunquam ex se, sed coactum tantum à causis secundis præbere concursum suum ad causas secundas præsertim ad actiones entitativas peccati.

terminationem gratuiti DEI beneplaciti tanquam in causam primam & altissimam, sed in purum liberum arbitrium creatum à quo tanquam à causâ determinante est quod sint tot numero concursus divini ad tot actiones turpes, quot arbitrio placuerit, & tot numero cõcursus divini ad tot actiones honestas & supernaturales, quot eidem homunciõum arbitrio allibuerit. 4. Hinc sequitur declarationem gloriæ justitiæ punientis & misericordiæ parcentis, esse absolutè penes liberum arbitrium creatum, non penes DEUM, nisi quatenus flectitur ab arbitrio creato ad eam declarationem. 5. Falsum esse docemus, stante nostrâ physicâ prædeterminatione, *non satisfieri muneri primæ causæ*, si DEUS ad plures actus turpes, quam ad honestas, prædeterminet: quia causæ primæ munus est pro suo beneplacito efficere velle aut nolle in omnibus sive naturæ sive gratiæ actionibus, & concurrere vel non concurrere, pro suâ libertate, cum omni causâ secundâ, imò nec munus primæ causæ DEUM ad concurrendum cogit.

Ruiz disp. 31. sec. 2. §. 6. 7. 8.

16. Pergit Ruiz. *Quicquid DEVS permittit merâ permissione & strictè sumptâ, DEVS non facit, nec prædeterminat ut fiat a nobis: sed materialem actionem peccati DEVS permittit merâ permissione, & strictè sumptâ. Ergo materialem actionem peccati DEVS non facit, nec prædeterminat, ut fiat à nobis. Prob. Maj. Nam in sacris literis permittere strictè sumptum significat, subtrahendo protectionem & gubernationem non impedire actionem peccati. Confirmatur, quia è contrario non permittere significat, conferendo protectionem & favorem ad opus bonum, impedire non solum malitiam, sed etiam materialem actionem peccati. Et quando homines permittunt, dicuntur actiones peccatorum non impedire. Confirmatur adhuc, quia in permissione habet se DEVS tanquam removens, quod dicitur movens per accidens. Physic.* ut ait *Thomas. Proba. Miner. Formalis ratio malitiæ impediri à DEO non potest, nisi impediat materialem actionem liberam, cui fuerit annexa malitia. Unde sic. Permittere est non impedire, sed non impedire necessariò refertur ad materialem actionem peccati, & non solum ad malitiam. Et sic arguitur. Potestas impediendi quæ permittuntur, est de quidditativâ ratione permissionis, sed nulla est DEO potestas impediendi solam formalem rationem malitiæ, ne sequatur ad materialem actionem odii DEI liberè conceptam: Ergo sola formalis ratio malitiæ non est illud quod permittitur à DEO. Rursus potestas impediendi malitiam est in DEO quatenus impedire potest materialem actionem,*

§. 10. Phy. 8. tex. 32. Aquinas 1. p. q. 19. art. 12.

ex quâ

ex quâ inseperabiliter sequitur. Ergo materialis actio odii DEI est id quod magis immediatè respicitur à permissione. Si prædicta solutio satisfaceret, consequens etiam esset de hominibus rectè affirmari posse, quod permittunt solummodo & non committunt neq; causant peccatum, quando eliciunt aliquam actionem materialem peccati, non intendentes illius malitiam, sed dolentes potius quod talis actio adjunctam habeat malitiam. Tandem, si permittitur solum malitia & non actus ipse, tum permissio non respicit potentiam causæ ad utrumq; oppositorum indifferentem, sed potentiam ad unum, nempe ad malum, de facto determinatam, sed posterius est absurdum.

Respon. 1. Quamvis Major concedi possit absque nostræ causæ detrimento: attamen malè eam probat Jesuita; nam permissio, de quâ Scriptura verba facit, non est nuda non-impeditio actionis malæ, sed à Theologis & à Scholasticis ponitur ut signum divinæ voluntatis: ideoque actum positivum divinæ voluntatis connotat, neque permittere in Scripturis est formaliter non impedire nudum entitativum actum: nam licet actum permitti non negem, quatenus Deus gratiolam influentiam subtrahit, quâ datâ fieret actus: attamen malitia ipsa est potius illud quod formaliter & per se permittitur à Deo, per negationem gratiæ efficacis & actus connotativè & κατ' ἀλλο propter malitiam permitti dicitur. Nam illud, *DEVS Gentes viis suis incedere permisit*, est idem, quod Deus in malis & sceleratis suis viis incedere permisit, quæ fuit pœna Gentibus divinitùs inflicta, vel materialiter, uti est prima permissio, vel formaliter, cum Deus *Gentes* peccare cum respectu ad demerita vitæ anteactæ profligatæ permisit: at simpliciter *incedere in viis suis puræ naturæ*, & actus physicos agere non est ullo modo pœna, neque sic permitti agere est pœna, sed primæ causæ beneficium secundis causis communiter indultum. Neque in Scripturâ dicitur unquam Deus permittere peccatum nisi ratione malitiæ annexæ actui. Addo hisce, quod Deus positivâ efficientiâ efficit ut prima causa, ideoque vult voluntatis complacentiâ, quia vult ens & bonum entitativum à se effectum, illud Deus non permittit: sed Deus positivâ efficientiâ efficit ut prima causa, adeoque vult voluntatis complacentiâ, quâ vult bonum entitativum, merum actum materialem peccati. Ergo Deus non propriè permittit merum actum materialem peccati. Major est certa, quia Deus non

Quid Deus permittat formaliter in peccato, an actum, an malitiam, an utrumq;.

Quatenus Deus concurrit ad actum entitativum peccati & tamen permittit peccatum, non efficit illud.

ejusdem rei & permissor, atque adeo osor & ultor, cujus est effector. Minor patet, quia merus & nudus actus materialis peccati est actus entitativè bonus, & ens positivum. Ergo est à DEO effectum & volitum. 2. Frustrà arguit Jesuita à permissione hominum ad permissionem DEI. Nam homines non permittunt peccatum negando gratiam efficacem, per quam fieret actus obedientiæ, uti DEUS permittit peccatum. 3. Falsum est DEUM in permissione habere se tanquam *removentem prohibens*; est enim hæc otiosa permissio figmentum Sophistarum suprà refutatum, & si DEUS sit tantum hic *removens prohibens*, & causa per accidens, erit actuum materialium peccati causa per accidens & concursus universalis erit causa per accidens: atqui sic erit actuum supernaturalium causa per accidens: nam DEUS ad actus supernaturales concurrit permittendo, hoc est, liberum arbitrium non violentando, & non impediendo quo minus hunc vel contrarium actum eliciat: hæc enim est Adversariorum permissio. 4. Falsum est etiam *nullam esse Deo potestatem impediendi solum formalem rationem malitiæ ne sequatur ad materialem actionem liberè conceptam*: nam potuit DEUS actui materiali addidisse gratiam, quâ actus qualificaretur & elevaretur ad actum supernaturalem, & sic potuit solam formalem rationem malitiæ impedisse, potuit actum vescendi in *Adamo* actum bonum facisse: at mirum non est non potuisse DEUM impedisse solam malitiam formalem, ne sequatur ad actionem materialem odii DEI, quia involvit contradictionem impedire ne malitia sequatur actum odii DEI, quia actus odii DEI essentialiter includit malitiam; nam posito, quod actus materialis sit vetitus, implicat contradictionem quod DEUS posset efficere quod non sit vetitus, involvit contradictionem quod DEUS impediat ne malitia sequatur actum vescendi fructu vetito, quia actus vescendi fructu vetito includit essentialiter malitiam. Idem ergo hic dicit Jesuita ac si diceret DEO deesse potentiam impediendi ne homo sit animal rationale, & ne bis tria sint sex. At verò si DEUS actum materialem, qui substernendus erat malitiæ, qualificaret gratiâ, dando homini eam gratiam per quam efficeret actum gratiosum, uti potest, sic impedire posset solam malitiam formalem: nemo enim sanus negaret DEUM posse dare omnibus hominibus gratiam tam copiosam, quâ omnes actus ipsorum gratiosi & DEO grati redderentur. 5. Falsum est etiam

DEUS non potest impedire peccatum, impediendo quo minus malitia sequatur actum, hoc posito, quod actus sit lege Dei vetitus.

DEO

DEO potestatem esse impediendi malitiam tantum, quatenus impedire potest actum materialem ex quo malitia inseperabiliter sequitur, quia DEUS alio modo impedire potest malitiam, quam impediendo actum materialem, nam collatio gratiæ efficacis est formalis modus impediendi malitiam. At non est formalis modus impediendi actus physicos, sed eos potius promovendi & elevandi ad statum supernaturalis obedientiæ: nec valet hæc consequentia, DEUS non potest impedire malitiam inseperabiliter annexam actui, nisi quatenus impedit actum. Ergo actus materialis est id quod magis respicitur à permissione. Nam antecedens est verum de actu materiali vetito, estque huic consequentiæ similis, DEUS non potest impedire existentiam animalis rationalis, nisi quatenus impediat existentiam hominis. At non inde sequitur DEUM propriè & per se impedire existentiam hominis, & secundario & impropriè & mediatè tantum impedire existentiam animalis rationalis. 6. Et falsum est quod ex nostrâ doctrinâ deducit & planè inconsequens, nempe inde ait sequi, *hominem non committere sed permittere tantum peccatum, quando elicit actum materialem peccati, non intendens illius malitiam, sed dolens potius quod talis actio habet adjunctam malitiam.* Quia hoc ipso quod eliciat actum vetitum, esto quod non intendat malitiam, committit peccatum verâ causalitate, & non nudâ permissione; quia cum sit legi subjectus facit actum legi contrarium & efficaciter malum & vetitum actum elicit & eligit, & nuda optatio & inefficax volitio quâ velleitate optat non adjungi actui malitiam, non magis excusat patrantem eumque nudum permissorem facit, quam excusanda est mulier quæ corpus alteri quam marito prostituat, & interim optaret adulterium DEI Lege non prohiberi & marito suo non esse indignationi, quod talem actum perpetret. Scilicet optationes à scelere flagitiosos sic liberarent? 7. Negamus permissionem in actu respicere potentiam ad opposita indifferentem: nam sic quando voluntas se de facto & actu ad impiam actionem determinat, non se determinaret actu à DEO permissa. Nec actualis determinatio ad malum excludit permissionem ad malum, sed eam penitus includit. Itaque quando permissio est in actu, determinatio ad malum est in actu, & positio & actualis existentia permissionis ponit, licet non causaliter, tamen consequenter ablationem omnis indifferentiæ ad opposita, & ponit determinationem

ad malum. Hoc itaque argumento nihil infirmius, nihil falsius.

Ib. sect. 4. fig. 7. 17. Ruiz. *Materialia opera peccatorum, etiam præcisa formali ratione malitiæ, non sunt bona opera, quæ DEUS se in filiis gratiæ facturum esse præscivit. Ergo illa DEUS non prædestinavit.*

Respondeo 1. Totum conceditur; nam textus *Eph.* 2. est tantum de operibus moraliter & supernaturaliter bonis, quæ DEUS ut media electionis ordinavit. 2. Materialia opera peccatorum præcisâ ratione formali malitiæ, non sunt mala: quia sic ex Jesuitis DEUS esset author malarum actionum concursu universali verè causativo, uti docent Adversarii. Sunt bona entitativè. Ergo sunt effectus divini decreti, sed quæ DEUS fieri decrevit, ea determinatè fieri decrevit. 3. Multi actus liberi ut generatio parentum *Mariæ*, consensus in matrimonium, ex *Suarezio*, sunt absolutè à DEO decreti. At non sunt media prædestinationis secundum hunc textum.

Disp. 32. sect. 4. fi. 10. Epiphani. lib. 1. hæres. 38. Ruiz. *Cainani Hæretici apud Epiphanium, nefarias actiones aggressuri, dicebant, O tu Angele, utor tuo opere; O tu potestas ago tuam actionem. Finis aggredientem materialem actionem blasphemiæ, perjurii, homicidii, sic loqui. O DEUS utor tuo opere, O summa potestas ago tuam actionem. An hæc oratio est pietati consona, quia prima causa concurrit.*

Respondeo. Dicat aggressurus *Judens* occisionem CHRISTI, quo mundi Redemptio peracta fuit. *O DEUS actum materialem occidendi Filium tuum ago, nec tuo opere egeo, id te invito, nec volente facio, sed otiosè spectante, in te nec moveor, nec vivo; nihil in hâc actione tuum est, nihil tuæ providentiæ tribuendum, quod immaculata innocentia tam dirs & atrocia patiatur.* Nec magis absurdum est agentem actum præscissum à malitiâ uti DEI opere, quam ambulando, loquendo, scribendo, comedendo, bibendo, & eundo in civitatem & mercando, ut ait *Jacobus*, nos uti DEI opere, & ejus auxilio indigere. 2. Cainani scelera sua Angelorum opera vocabunt. Scit Jesuita nos scelera Diaboli & peccatoris, non DEI opera indigitare. Dicit etiam peccans ex Adversariis. O DEUS utor tuo opere quod verè eget influentiâ causativâ concursus tui indifferentis & universalis.

DEUS promovet physice actus materiales & non malitiam.

Jac. 4. 14 15

Ib. disc. 33. sect. 2. fig. 8, 9, 10. *Ruiz. Quod nullâ ratione potest reddi honestum, id nulla voluntas, etiam increata, propter nullum finem quantumcunque optimum, potest honestè velle. Sed materialis & realis volitio destruendi DEUM, si*

posset

posset, & blasphemandi quantum potest, nulla ratione potest reddi honesta, quantumcunque præscindatur à consequente privatione, seu formali ratione malitiæ. Ergo. Confirmatur. Quia DEVS est quidditativè charitas, ergo non potest velle, quod est contrarium charitati, quantumcunque præscindatur à formali ratione malitiæ. Confirmatur. Quoniam quicquid est contra rationem velle, divinæ voluntati repugnat, sed contra rationem est velle, ut aliquis homo sciens faciat opera justitiæ & continentiæ contraria & tamen nolle ut ille contrahat malitiam & pravum habitum injustitiæ & intemperantiæ. Sic *Thomas. Si enim* (inquit) *aliquis vult aliquam causam, ex quâ scit sequi talem effectum, consequens est quod velit talem effectum, &c. Item, quod per se & immediatissimè destinatur ad aliquem finem, nullus potest velle, nisi efficaciter velit eundem finem: sed prædeterminare materialem actionem odii DEI est aliquid per se & immediatissimè destinatum ad eandem actionem producendam, nullus poterit velle efficaciter actionem calefactionis, quin velit efficaciter calorem produci. Velle medium per se est eo ipso virtualiter velle finem.* Sec. 3. fi. 3, 4, 6, 6.

Respo. 1. tota argumentatio prima contradictionem involvit, *quia volitio destruendi & blasphemandi DEVM est volitio lege DEI prohibita,* & non nudus actus materialis, ideoque implicat contradictionem præscindere rationem formalem malitiæ ab actu malitiam formaliter includente, hæc mira & contradictoria esset præscissio. 2. Differunt longe actus physicus qui est in blasphemia, prout abstrahit ab objecto, puta Deo, (nam objectum specificat actum & eum specificè contrahit ad malum) & actus blasphemandi Deum. Actus prior potest honestari, nam quia nullus actus entitativus est essentialiter malus, & malitia & bonitas sunt actuum physicorum seu entitativorum accidentia, nullus est actus physicus qui non potest honestus reddi, at mirum non est actum formaliter inhonestum, qualis est volitio blasphemandi Deum, non posse honestè appeti, quantumcumque præscindatur à malitia, nam contradictionem involvit actum includentem malitiam considerare ut actum non includentem malitiam. 2. Fatemur id rationi repugnare, *ut DEVS velit hominem facere opera materialia injustitiæ & non contrahere malitiam seu habitum injustitiæ.* Si sermo sit de voluntate Dei beneplaciti, & etiam de volitione physicâ quæ convenit Deo quâ prima causa & mundi Gubernator, & concedimus

Deum

DEUM tali voluntate velle ut homo contrahat malitiam. At si sermo sit de voluntate signi & approbativâ, docemus DEUM non velle actus materiales peccati tali voluntate: & inde non sequitur DEUM tali voluntate velle malitiam. 3. Dico actum posse à DEO appeti, & non appeti ab eo malitiam: quia malitia non per se sed per accidens sequitur actum, quatenus peccator contra rationem & Legem DEI, abutitur actu materiali, ipsum qualificando malitiâ. Nec *Thomas* aliquid in contrarium probat. 4. Frustra sudat Jesuita in probando DEUM velle actum materialem peccati: quia ad eum efficaciter prædeterminat: quia nos id docemus, neque inde sequitur DEUM velle malitiam.

Ruiz; disp. 34. sec. 1. Aristot. 8. eth. 2. & li. 9. eth. c. 5.

18. *DEVS est amicus noster: at ratio amicitiæ postulat amico velle efficaciter bona*, ut ait *Aristot. Ergo DEVS non prædeterminat ad actum ex quo inseperabiliter sequitur amissio amicitiæ, & reatus æternæ pœnæ. Pater, Rex, Conjunx, Convivator non prædeterminaret suos ad tale malum. Sordidi est convivatoris velle ut ii, quos benignè invitat, non manducent. DEVS ergo non vult prædeterminare ad actus ducentes ad ineluctabilem interitum.* Item. *DEVS neminem deserit, nisi prius deseratur ab eo, ut docent Scripturæ & Patres. Sed si prius Deus determinat ad actum materialem peccati, quam supponatur liberam hominis voluntatem se determinare ad illam actionem, jam Deus justificatum deserit prius, quam ab illo deseratur.*

2 Paral. 15. *Quanquam Deus dicitur* Amicus, Pater, Sponsus, Rex, Convivator, *etc. non tamen lege eadem non concurrendi ad actus materiales peccati constringitur qua homines terreni qui sunt etiam amici patres, &c. tenentur, quia DEVS omnino liber & ex nullo debito legali constrictus.*

Respondeo. Omnes hi tituli, *Amici, Patris, Conjugis, Regis, Convivatoris* tribuuntur DEO, modo longè eminentiore, quam hominibus, & salvâ libertate divinâ miserendi, quorum vult: nec quia *Pater & Conjunx* est, ideo impetu naturæ filiis, & uxori benè vult. *Pater, Amicus, Conjunx, Rex, Convivator*, ex debito officii postulati lege naturæ obligantur, suis benè velle: at DEUS ex nullo debito legis, ne quidem sanctæ suæ naturæ, bene vult suis; uti patet ex Scripturis, *Esai.* 40. 14. 15. *Rom.* 11. 35. *Quis prior dedit ei, & reddetur ei.* Math. 20. 15. *An non licet mihi quod volo facere de meo?* Sed an licet matri ubera sua infanti recens nato, aut patri alimenta filiolis recusare? an licet *Regi* subditis judicium & justitiam & *Convivatori* cibos hospiti denegare? An *Pater* filiorum, quia vult miseretur, & negat bona quia vult, Pater filio, Maritus uxori, Rex subdito? *At DEVS, quorum vult, miseretur*, Rom. 9. 15. Nec DEUS peccat non miserendo, at pater terrenus non miserendo filiorum,

orum, mater lac infantulo negando detestanda ἀσοργία peccarent. 2. Defungi officio primæ causæ vel prædeterminando, vel condeterminando ad actum, non est malè velle, sed benè velle, quod verò homines prædeterminatione abutantur, id non est Dei, sed hominum culpa. 3. Si premantur hi tituli, nec pater gnatos, nec Rex subditos, nec Maritus sponsam, nec Amicus amicum permittere debent ruere in peccatum, quod est via ad æternum exitium, siquidem possent impedire, uti potest Deus. Aliud ergo hic Deo, quam Patri terrepo, Regi, Marito, liceat, necesse est. 4. Salvantur in Deo officium Patris, Regis, Sponsi, erga eos quibus est in Christo *Pater, Rex, Sponsus*, in prædeterminando eorum voluntates ad finalem perseverantiam in statu gratiæ. 5. Deus voluntate approbante vult etiam in Reprobis dapium spiritualium fruitionem, licet voluntate decernente decrevit ut nunquam fruerentur epulis, ad quas eos invitat. Invitat Deus omnes ad vitam & justificationem per opera Legis, *Rom.* 10. 5. *Qui præstiterit illa, vivet per ea.* Decrevit tamen ut nemo mortalium viveret per illa opera, *sed ut justus fide viveret*, Habak. 2. Rom. 1. 17. 6. Deum defungi officio primæ causæ concurrendo ad actum non est desertio. Nam desertio est substractio gratiæ & gratiosi concursus Dei; at collatio concursus non potest esse negatio concursus. 7. Sed benè est quod Adversarii absque omni divinæ gratiæ conscientiâ velint nos in omni actu supernaturali per actionem liberi arbitrii prævenire gratiam Dei, & influxum gratiæ efficacissimæ semper antevertere, ut libertas nostra fiat domina, gratia pedisequa. Quid est *Pelagianismus*, si vera est hæc doctrina? 8. Locus 2 *Paralip* 15. 2. est de Dei derelictione in bello, non de negatione concursus, nec iis favet locus 1 *Paral* 28. 9. *Si exquisieris eum, præsto erit tibi*; *sed si dereliqueris eum, rejiciet te in perpetuum*, id est, si Deum colueris sincerè, tibi benè erit in omnibus & beatus eris, uti fuit *David* pater tuus: si verò à Dei timore & verâ Religione defeceris ad Idololatriam, tum Deus te rejiciet, quemadmodum *Saulum* rejecit. Sed sensus minimè est hic, Si tu influxu liberi arbitrii prius cooperatus fueris gratiæ, & concursum Dei determinaveris, Deus concursum tibi præbebit; sin minus, concursum Deus tibi negabit. 9. Non diffiteor *Augustinum* dicere *DEVM non deserere, si non deseratur.* & *Prosperum* idem dicere. Sed utrique loquuntur de vitâ sancta renatorum

Quomodo DEI'S non deserat, nisi prius nos illum deseramus. Augustin. de nat. & gr. c. 26. Prosper resp. ad 7. objec. Vincentianani & ad c. 7. Gallor.

renatorum in Ecclesiâ visibili, quos vigilantes & pié viventes DEUS ulteriore gratiâ gratis remuneratur, & defectoribus ante datam gratiam merito subtrahit. Sed uterque gratiam semper prævenire liberum arbitrium docet contra *Pelagianos*. Scio etiam *Chrysostomum* & Græcos Patres in contraversiis de gratiâ minus versatos (*Augustinus* unus est mihi hîc pro omnibus, reliquis sanior, tersior, doctior) docuisse; ideo *non posse homines Deo vocanti, quia noluerunt, non ex DEI gratiæ defectu*. Quod nos sano sensu concedimus. Nam quam causalitatem non-conversionis & peccati patres hominibus attribuunt, eam DEO adimunt, atqui hominibus non conversionis & peccati causalitatem moralem tantum attribuunt. Ergo mens & scopus Patrum fuit tantum negare DEUM esse non conversionis & peccati causam moralem, & in homines contumaciæ causam culpabilem rejiciendam esse. Id quod nos obviis ulnis amplectimur.

Chrysosto. homil. 83. in Math.

Ruiz. *Est contra viscera misericordiæ, quâ DEVS vult omnes salvari, prædeterminare ad actus materiales peccati.* Respondet *Collegium Salmanticens. non sequi, quia prædefinitio (addo prædeterminatio) quæ non datur ad vitandum peccatum, nec est de numero eorum quæ requiruntur ad dandi auxilia sufficientia, nec est debita hic & nunc, & DEVS licet prædefiniat ad materiale peccati, habet simul voluntatem dandi auxilia sufficientia.* Sed rejici debet hæc solutio: quia contradictorium est DEUM velle salutem omnibus etiam Reprobis, & tamen prædefinire & prædeterminare eos ad actus materiales finalis impœnitentiæ, ex quibus positis, necessariò DEUS velit ipsos in æternum perire. Sic enim vellet iis salutem, & non vellet. 2. Prædefinitio & prædeterminatio ad vitandum actum finalis impœnitentiæ est necessaria, non quidem simpliciter, sed ex hypothesi quam ponunt *Dominicani*, nempe si DEUS velit omnes & singulos salvari & auxilia ad assequendam salutem sufficienter necessaria. 3. Dico non esse contra DEI Misericordiam liberam, quâ miseretur, quorum vult, quod DEUS ad actus materiales peccati prædeterminet. Nec prædeterminare ad actus est malum, sed primæ causæ liberæ bonitatis. Quin ipse *Suarez* ita *DEVS* (inquit) *non vult simpliciter & absolutè hæc mala* (culpæ) *fieri.* — *Quamvis non velit absolutè hos actus non fieri. At postquam prævidet esse futura complacet in iis, quatenus ab ipso sunt, quod solum est complace-*

Collegium Salmanticense trac. 4. de volu. DEI disp. 10 dub. 7. §. 12. figu. 206.

Suarez in Metaphys. tom. 1. disp. 22. sig. 27.

re

re de concursu quem ad ea præbet. At noto primo, hæsitanter eum dicere, DEVM non velle simpliciter & absolutè mala culpæ fieri. At quæ altera pars distinctionis? nempe igitur secundum quid & conditionatè vult mala culpæ fieri. At sic in nostram sententiam valdè inclinat Jesuita. 2. Dicit DEVM non velle absolutè hos actus non fieri. Ergo juxta justam Logicam, absolutè vult hos actus fieri. 3. Noto, eum velle DEUM complacere in actibus malis postquam sunt. At cur non complaceat in iis antequam sint? nam sunt tam mali postquam sunt, atqui sunt, antequam sunt.

Ruiz. *Quicunq; finis à DEO procuratus & causatus in rerum administratione, idem fuit intentus in earundem rerum creatione: sed materiales actiones peccatorum non sunt finis intentus à Deo in creatione liberi arbitrii & cæterarum rerum. Ergo materiales actiones peccatorum non sunt finis procuratus & causatus in administratione; unde si non sunt physicè prædeterminati, nec sunt efficaciter procurati; finis in creatione liberi arbitrii fuit ut homines DEVM cognoscerent & diligerent, si finis DEI fuit ut quidam eligerent materiales actiones infidelitatis & odii DEI, cum major sit numerus damnatorum, quam Electorum, debuisset affirmari ea potius DEI intentio quæ ad multitudinem hominum tanto majorem pertinet, & absolutè dicendum foret homines creatos esse ad materiales actiones Idololatriæ, hæresis, odii DEI, &c. quod repugnat Scripturæ. Confirmatur, quia faciens instrumentum intendit illum usum instrumenti, ad quem frequentius & ut plurimum eo utitur. Confirmatur sic etiam. Nullus sapiens artifex fabricatur instrumentum, intendens abusum instrumenti contrarium illius arti; sed liberum arbitrium est instrumentum & actiones materiales peccatorum sunt positivus abusus liberi arbitrii. Homo vero ad imaginem DEI conditus ad tales actiones condi non potuit à DEO.* Ruiz disp. 35. sec. 3.

Respondeo 1. Negando minorem primi syllogismi. Nam licet materiales actiones peccati non sint finis liberi arbitrii, nempe, finis operis, nam abutitur homo tam insigni conditoris opificio, quale est liberum arbitrium, cum actus peccati agit, (natura enim liberi arbitrii horsum inclinat ad actus bonos exercendos) attamen illæ actiones sunt finis *Dei* operantis *qui omnia propter seipsum condidit*; nam quarum rerum DEUS est efficiens, earum rerum est etiam causa finalis. Sed *Deus* est causa efficiens actuum materialium. Ergo est eorũ causa finalis; ac proinde DEUS illos actus intendit tanquam finem inter-

Quatenus DEUS instrumenta etiam mala eorumq; usum propter se intendit.

intermedium & seipsum & suam gloriam tanquam finem ultimum? 2. Non est mirum cognitionem & dilectionem DEI dici finem humani generis in genere, quia in eum finem institutum & conditum est humanum genus, ex naturâ & genuinâ conditione humani opificii rationalis licet plerique eum finem, ex intentione DEI permittentis eos à fine isto exorbitare, propter suam gloriam, non assequantur. Nam denominatio est à fine operis, non à fine operantis. Et audax est Jesuita qui Spiritum Sanctum loqui in Scripturis docere non verecundaretur. Nusquam autem extat in Scripturis scriptum, ne quidem per centesimam consequentiam, DEUM omnium hominum obedientiam tanquam finem intendere, notum est in Scripturis denominationem sumi à parte praestantiore, licet is sit numerus longè pauciſſimus, *Joh.* 1. 29. *Joh.* 3. 16. *Joh.* 6. 45. *Jos* 12. 31. *Rom.* 11. 12, 15. *Esai.* 40. 5. *Joel* 2. 28. 3. Audax praesumptio est carnis dicentis DEUM non esse sapientem instrumenti, id est, liberi arbitrii fabre factorem, si actiones materiales peccati, id est, abusum instrumenti intenderet; nam actiones positivae & entitativae quae malitiae subsunt, non sunt abusus liberi arbitrii, sed usus & actus entitativè bonus, qui fit malus & irregularis ab homine deviante à legis normâ. 4. Homo conditus ad DEI Imaginem non potuit condi ad actus materiales peccati, tanquam ad finem operis, verum est, tanquam ad finem operantis nego, finis solis est ut moveatur, & terram illuminet, & hic est finis ipsius operis, seu opificii solaris, quod ex suâ naturâ in motus & illuminationes tanquam in finem inclinat; at nemo, opinor, dicet intentionem DEI operantis & solem condentis, non esse ut sol ad preces *Josuae* immotus staret, & patiente *Salvatore*, terram interdiu etiam non illuminaret. Sic enim miracula contra & praeter DEI intentionem evenirent. Sic finis operis in leonibus condendis, est ut animalia devorarent; ignis ut omnia combustibilia consumeret; si jam naturam in statu lapsus respiciamus At finis DEI operantis est ut leones devorarent, & etiam à *Daniele* devorando abstinerent, & ut ignis combureret, & etiam ut actum comburendi tres pueros in fornace *Babylonicâ* suspenderet. Alius ergo est finis naturae opificii, alius DEI opificis. Finis elementi aquae est ut terrae undequaque supernataret, ut elementum levius & rarius, graviori & densiori; at finis DEI creantis aquas, est ut in alveos & mea-

Finis operis & finis operantis in Dei Creatione.

tus

tus terræ ese continerent, *oppositq; limite ne terram operirentur*, Psal. 104. 9. Jer. 5. 22. Qui ergo hic finem operis, & finem operantis, unum & eundem esse volunt, dicunt omnia miracula, & naturæ mutationes, exorbitationes, & excessus aut defectus esse præter DEI intentionem; ideoque casu evenire, quod absurdum est. Dico itaque hominis ad imaginem DEI conditi finem operis esse, ut *Creatori inserviret, eoq; in æternum frueretur.* At finis DEI operantis longè alius est, nempe ut in quibusdam patefaceret gloriam justitiæ punientis, in aliis misericordiæ parcentis.

18 Ruiz. *Si DEVS prædeterminat ad actiones materiales peccati, vera esse probaretur querela hominum dicentium DEVM ex odio & libidine puniendi cunctas eorum res disposuisse & accomodasse etiam illas quæ maximè videbantur benevolentiæ indicia, ut verè diceret populus*, Deut. 1. *Odit nos Dominus, & idcirco eduxit nos è terrâ Ægypti, ut traderet nos in manu Amorrhæi, atq; deleret nos. Et Judas ad familiaritatem Christi assumptus, in eum finem ut DEVS illum prædeterminaret ad materialem affectum avaritiæ intensissimum, quo realiter pluris pecuniam, quam Christum æstimaret; & in æternum puniretur.* Item. *DEVS id nec damnat, nec punit, quod ipse fecit, sed materiales actiones peccati DEVS damnat & punit, ut* Math. 16 *Reddet unicuiq; secundum opera.* Math. 10. *Qui negaverit me*, &c. Mat. 23. *Comeditis domos viduarum*, &c. *Probatur. Tormentum commensurari debet actioni punitæ sub eâ ratione formali sub quâ punitur, sed tormentum commensuratur glorificationi & deliciis quæ in quantum tales sunt reales & positivæ actiones. Ergo actiones reales & positivæ puniuntur, sub aliquâ ratione reali & positivâ, videlicet, delectationis & fruitionis bonorum temporalium. Punitur malitia primariò, & materialis actio ut origo & subjectum illius.* Ruiz de vol. Dei dis. 35. sec. 4. 1.

Respondeo 1. Providentiam ipsam negant, qui inficiantur DEUM ex libidine seu potius ex voluntate declarandi suam gloriam, tum puniendo, tum peccata condonando cunctas res disposuisse. *Nam omnia fecit propter seipsum.* Et DEUM, ea quæ benevolentiæ indicia sunt, in Reprobis, uti mensam ipsorum ordinare in ruinam, *Psal.* 119. *Psal.* 69. 22. & Verbum Evangelii prædicare iis ut obdurentur, *Math.* 13. 13. *Esai.* 6 9. negari non potest. 2. Nec propterea ea querela *Deut.* 1. *Odit nos Dominus* desinit esse iniqua, Quia Deus ex gratuito amore Ecclesiam suam ex

Ægypto eduxit, ut ipsis terram *Abrahamo* promissam daret, & non ex odio & animo ipsos perdendi per *Amorhæos*, uti iniquè expostulant. Nec falsum erat DEUM quosdam ex *Ægypto* liberasse, ut cadavera ipsorum in deserto prosterneret, fiebat enim eorum strages vel DEI consilio vel fortunâ, & impios hoc DEO tanquam iniquum objecisse, cum tamen injustitiæ expers esset, erat querela iniqua. Et quis negare audet, quia DEUS *Esaum* odio æterno habuit, & antequam quicquam mali fecisset, reprobavit; ideo ei vitam collatam fuisse, & permissum fuisse ut peccaret, *Rom. 9.* & *Apostolatus* dignitatem *Judæ* collatam esse, ut ipsi in ruinam cederet, idque sapiente DEI consilio, præter Atheon providentiæ DEI inimicissimum, nemo negaret: interim ruina *Judæ* finis DEI intermedius tantum fuit, plura hisce quæ supra dixi de hâc re, hic non addo. 3. Actiones materiales peccati formaliter vel à DEO puniri, vel DEO exosas esse pernego. Quod est bonum & ens positivum, id DEUS non punit aut odit, sed tales sunt actiones materiales peccati. 2. Quod DEUS formaliter non prohibet, id formaliter non punit, sed actus tales non formaliter prohiberi, supra probatum est. 3. Loci Scripturæ nihil probant. *DEVS reddit unicuique secundum opera quâ mala & sub ratione formali malitiæ*, & tormentum commensuratur glorificationi & delectationibus *Babyloniæ*, quatenus ii actus mali & illiciti erant: ideoque minor falsa est, malitia formaliter & sola damnatur & punitur, & materialis actio ne quidem ut subjectum punitur.

Dis. 36. lec. 2. 19. Ruiz. *An materiali actione peccati DEVS inchoat actionem quidem in quantum actio est abstracta & præcisa non includens positivam & realem actionem contrariam rectæ rationi & legi DEI, vel DEVS inchoat communem rationem volitionis imprimenao voluntati inclinationem ad bonum, & si quâ ratio altera reperiri potest in prædictâ volitione, quæ contra rationem & divinam legem non pugnet, eam etiam DEVS inchoat. Sed DEVS non inchoat materialem actionem peccati, secundum specificam rationem actionis, quâ realiter pugnat contra rationem & DEI Legem, quia sic inchoaret eo ipso malitiam, quæ non per accidens, sed omninò per se ac necessariò sequitur ex prædictâ reali contrarietate. Probatur. Semi pelagiani merito refutantur quia dixerunt ex viribus naturæ dari meritum, impetrationem, & dispositionem ad gratiam, sic prabentes initium prædestinationis & justificationis ex viribus*

naturæ

naturæ, & tamen non necessariò & per se, operibus subjungebant gratiam: nam aiebant non nisi propter divinam misericordiam supra dignitatem operum decretam esse consecutionem gratiæ ex operibus humanis. At ne Divina Omnipotentia impedire potest, quo minus ex actu materiali peccati sequatur malitia; præbet igitur initium peccati quicunque determinaverit voluntatem creatam ad materialem actionem odii DEI, etiam sub eâ ratione, qua realiter desiderat, quodcunq; malum contra Legem Divinam.

Respondeo 1. Nec Logicæ nec Metaphysicæ principiis convenit, quod volitio in genere, & quâ actio præcisè non repugnet Legi *Dei*, & tamen volitio illa limitata & contracta ad hanc volitionem repugnantem Legi DEI, sit Legi DEI repugnans, nempe, sic DEUS concursu suo est causa volitionis, & non hujus volitionis materialis, est causa particularis entis, & non est causa hujus entis, & causa actionis materialis peccati, & non est causa hujus actionis materialis peccati: est causa volitionis, & non hujus volitionis. DEUS ergo in actibus materialibus & positivis erit causa entis, causa actionis, non autem hujus actionis. At sic est author & Creator Petri quâ est ens & substantia, & corpus, at non est author & causa ejus quâ est homo productus & genitus per culpabilem generationem. Heu quantoperè Dominus infatuavit sapientiam hujus mundi? Sed hic actus materialis peccati est ens positivum. Ergo vel erit non minus à DEO causativè, quam actio in genere, & ens in genere, vel erit effectus aliquis positivus causæ secundæ qui non est à primâ causâ. At hoc *Manichæum* est. 2. Nemo nostrum docet *DEUM inchoare materialem actionem peccati, secundum specificam rationem, quâ realiter pugnat contra DEI Legem.* Sic enim DEUS inchoaret actum sub formali ratione malitiæ. Sed docemus nos *DEUM inchoare materialem actionem peccati, secundum specificam rationem actus positivi & entitativi:* etsi hoc neget *Jesuita, Manichæus* erit, qui malum principium illius causam primam statuat, necesse est. Sed negamus *DEUM inchoare actionem materialem peccati, secundum specificam rationem malitiæ*, & quatenus actus est contra DEI Legem, hinc tantum probat Jesuita DEUM præbere initium peccati physicum, non verò ethicum & morale, & est quod erubescant Adversarii qui sic docent. 1. Voluntatem creatam præbere initium physicum fidei, spei, & charitatis & omnium actuum supernaturalium.

DEUS praedeterminat ad actum materialem quatenus est est hic actus, & non quatenus moraliter repugnat legi Dei

2. Eandem

2. Eandem esse causam primam & initium præbere omnium actionum causæ secundæ. Et sic primam causam officio primæ causæ exautorant. 3. Non est mirum, ut supra docui, *DEVM ne per Omnipotentiam posse impedire quo minus sequatur malitia ex contrarietate realis actus & legis divinæ.* Si enim actus est contrarius Legi DEI, non potest absque contradictione non esse malus, & ex actu malo non potest non sequi malitia. *Semi-Pelagiani* jure damnantur, eodem cum *Jesuitis* crimine involuti; quia initium determinans actuum supernaturalium homini tribuebant & hi & illi. At falsissimum est vel malitiam per se & necessariò sequi actum, vel DEUM simpliciter non posse procurare actum, & malitiam actus per gratiam efficacem impedire.

Ib. sec. 7. 20. Ruiz. *Patres & Concilia inde probant omnes operationes ad Justificationem utiles esse supernaturales, & indigere supernaturali concursu & operatione DEI: quoniam de illis omnibus dicitur; sine me nihil potestis facere; sufficientiam nostram esse ex DEO, non à nobis, DEVM operari in nobis velle & perficere, trahi voluntates à DEO, DEVM prævenire, & excitare nos, nihil nos habere quod non accepimus, &c. quod si DEUS prædeterminet ad actus, tum dicere potest DEVS, sine me non potestis peccare, & DEVS operabitur velle odisse Deum, ex illis testimoniis non sumeretur efficax argumentum ad probandum necessitatem concursus supernaturalis.*

Respondeo. Illa testimonia non sunt intelligenda de DEI prædeterminatione quæ est ordinis naturalis, sed planè supernaturalis, & falsum esset, dicere, sine me, ut radice, cui vos per fidem tanquam ramos inseri necesse est, ut est *Joan. 15. Non potestis peccare.* 2. Falsum est DEUM prævenire, excitare, voluntates trahere, & efficere ut velint odisse DEUM, hoc ex DEI prædeterminatione ad actus materiales peccati minimè concluditur, nisi tali consequentiâ vanissimâ, DEUS prædeterminat ad actus materiales peccati. Ergo etiam prædeterminat ad malitiam illorum actuum. Quamvis ad actum, non ad malitiam indigeamus prædeterminatione DEI.

Ruiz disp. 38. sec. 1. 21. Ruiz. *Materialis actio odii DEI est omninò determinata ad malum usum. Ergo DEVS non est author illius. Et physica etiam prædeterminatio est etiam determinata ad malum usum. Et materialis actio odii DEI est quidditativè ipse malus usus liberi arbitrii.*

Et

Et nullus potest eam ad bonum usum convertere. Et impossibile est prædeterminatione, turpiùs & inordinatiùs abuti, quam DEVS de facto abutitur.

Respondeo 1. Materialis actus odii DEI essentialiter malus est, & DEUS ad eum actum ut sic non prædeterminat, sed prædeterminat ad actum entitativum qui odio DEI substernitur, & ille actus non est malus usus liberi arbitrii. 2. Quod dicat *materialem actum odii DEI esse quidditativè malum usum liberi arbitrii.* Argumentum penitus convellit Jesuita. Nam ad actum quidditativè malum DEUM prædeterminare non docemus. Et mirum non est actum essentialiter includentem malitiam, non posse converti in bonum; nostra autem Thesis est, *Deum* prædeterminare actum merè entitativum & physicum in lineâ physicâ, Jesuita nos consultò fallens arguit ab actu in lineâ morali. 3. DEUS non est illius rei Author, quæ ex se & suâ naturâ *est determinata ad malum usum*, hoc verum est, sed benè potest DEUS esse illius rei Author, quæ *est determinata ad malum usum* ex accidente, & ex vitio & abusu liberi arbitrii eam rem in malum convertentis. 4. Verum est etiam, ex hypothesi & necessitate modali hominem non posse *turpius abuti illâ* eâdem numero prædeterminatione, quam de facto abutitur: at simpliciter & per DEI gratiam potuit uti illâ prædeterminatione elevatâ & per DEI gratiam qualificatâ longè honestius, & blasphemia est asserere DEUM suâ prædeterminatione abuti; nam eâ ex officio primæ causæ optimè utitur promovendo actum: homo autem eâ fœdissimè abutitur promovendo actus malitiam. Et hoc argumentum obest causæ Adversariorum; nam DEUS non potest aliter uti suo concursu universali, nempe, quam ad odium sui, suique nominis blasphemiam, ex hypothesi quod prava voluntas concursum DEI ad eum abusum determinaverit.

Roderici Ariagæ, Suarezii, Theoph. Raynaudi, & Guilielmi Gibieuf *rationes contra DEI prædeterminationem ad actus materiales peccati discutiuntur.* Jaco. Arminii, Nicol. Grevinchovii, & Didaci Ruiz, *rationes, quatenus ipsum actum peccati à malitiâ non distingui contendunt, censurâ notantur.*

I.

Ariaga cursu Philoso. disp. 30. phy. sec. 2. subj. 5. fi. 50.

AUdiamus quomodo *Ariaga* nos impugnet. Præoccupat ille objectionem hic. *Habitus est simpliciter causa actus, quamvis determinetur ad agendum. Ergo concursus generalis, non minus quam determinatio Calviniana, potest esse causa peccati, quamvis DEVS actu non agat nisi determinatus à nostrâ pravâ voluntate.* Respondet ille. *Causa, prout abstrahit à causâ per se, & à causâ per accidens definitur quæ influit esse in aliquid. Causa per se definitur, quæ vel concurrit determinata in actu primo, vel quæ se determinat, habitus de se inclinat in actus, & retrahit ab oppositis actibus, & sic est causa per se: DEVS verò non inclinat suo concursu ad peccatum, sed ab eo revocat, ideoque non potest ejus concursus esse causa peccati, uti prædeterminatio quæ per se inclinat & flectit hominem in actum malum.*

Respondeo 1. Malè definit *Jesuita* causam in genere; nam esse musicum in statuario nullo modo influit esse in statuæ fabrefactionem, & tamen esse musicum est causa per accidens statuæ, & ex Jesuitâ causa per accidens in hâc definitione comprehenditur. 2. Nullam agnoscit Jesuita causam per se nisi quæ determinata sit ad effectum producendum: Sol igitur non est causa effectuum sublunarium quod absurdum; sol enim est in se causa indeterminata, & ad generationem & ad corruptionem, ad molliendum & indurandum, ut ab his inferioribus determinatur: DEI autem concursus de se inclinat ad actum; quia omnis causa per se in effectum inclinat, non dicimus concursum DEI inclinare in peccatum, sed in actum, hunc vel illum, prout DEO libitum est, uti habitus inclinat in actum hunc vel illum, prout determinatur ab eo qui habitu præditus est, & sic eo modo concursus DEI est causa actus substrati

strati malitiæ, uti habitus est causa actus. Nec Dei prædeterminatio est causa inclinans ad malitiam de se: sed prædeterminatione abutitur mala voluntas.

Ariaga ibid. *Sol est* (inquit) *verè causa inclinata ad effectus sublunares, etsi indigeat aliquo complemento: at DEVS ad actum peccati non solum dat concursum indifferentem, sed talem etiam, ut vellet ne fieret, quantum in se est, & sic non solum non concurrit cum inclinatione, sed etiam cum repugnantiâ. Imò* (inquit Ruiz) *concurrit quasi per accidens & coactus suo officio.*

DEVS non concurrit ad actus emitativos cum repugnantia, odio aut coactione, ut Jesuitæ somniant.

Respondeo. Præter Jesuitas & eorum alumnos, *Arminianos*, nemo diceret Deum concurrere ad *actus materiales cum repugnantiâ & odio.* Nam vel concurrit cum tali odio, quali prosequitur ipsam malitiam, vel minore odio, vel nullo, sed liberrimè. Si primum, tum Deus odio habet suum concursum, sicut odit peccatum, & officium erit Dei quatenus est prima causa facere actum suæ naturæ contrarium. Si secundum, tum uno odio odit actum, & alio odio malitiam; at quia Deus nihil odit nisi peccatum, sic actus ut contradistinguitur à malitiâ erit peccatum, & dabitur progressus in infinitum. At Deus non odit quod ipse efficit, nec potest odisse suum concursum. Ergo non concurrit cum repugnantiâ. At docent *Jesuitæ* Deum liberum decretum concurrendi cum omnibus causis fecisse. Nullâ ergo cum repugnantiâ concurrit. 2. Si concursus Dei est causa per accidens alicujus effectus positivi, qualis est actus materialis peccati, dent illi aliquem alium Deum præter *Jehovam*, qui est causa per se illius.

Ariaga. *DEVS vult inefficacitatem sui concursus.* Item. *Adverte Omnipotentiam ex naturâ rei esse indifferentem, ut subjiciatur quasi potestati voluntatis creatæ, sicut habitus voluntati hominis: & quia hæc subjectio pendet ab aliquo actu liberæ voluntatis Dei, nam ad dominium non requiritur ut actus sit inefficax:* —— *unde fit ut DEVS tunc suppositâ primâ voluntate non sit agens liberum, sed perinde ac si esset necessarium & nobiscum sine cognitione concurrens.*

Disp. 10. pyhs. sec. 2. subj. 3. s. 87 & 91.

Respondeo 1. Concursus Dei inefficax vel est concursus in potentiâ, vel est concursus actualis. Si primum, Concursus potentialis non est concursus sicut actio in potentiâ non est actio, embryo non est homo, deinde hic concursus est conditionatus, qui non potest non esse absolutus in eo qui ex omniscientiâ novit conditionem

Angeli & homines absolutâ libertate DEI gaudentes ferent decretum & sententiam de omnibus actibus liberis & concursibus Dei quoad numerum & specificationem, juxta Jesuitas.

tanquam completam, deinde Deus dicet sic, *volo ut tot sint actus mali, & tot boni, non plures, non pauciores, siquidem homines & Angeli boni & mali id voluerint, alioqui si illi voluerint omnes esse bonos, idem ego volo* & sic in æternum gloria justitiæ punientis & misericordiæ parcentis latebit creaturas, nec hæc vel illa unquam declarabitur, quia ita visum est creaturis rationalibus liberè agentibus, sic vilissimæ creaturæ de gloriâ infiniti Creatoris absolutè decretum sententiamque suam statuent, (*& si illæ finaliter noluerint ullos actus bonos præstare, sed finaliter peccare, idem ego volo, & meo concursu id pro creaturarum nutu præstabo*) & in æternum sepelietur gloria misericordiæ parcentis, quia ita vasa lutea, de gloriâ supremi figuli ferunt judicium & sententiam. Si verò concursus est actualis, sic erit ipsius concursus efficax, alioquì actu ponetur concursus primæ causæ, & fieri potest ut causa secunda, nempe, libera voluntas nihil agat. 2. Indignum est Deo, quod dicatur velle suum concursum ad actus bonos & supernaturales, adeoque ut declararet gloriam misericordiæ suæ in Electis ad gloriam, ex velleitate optativâ & inefficace: sic enim nunquam cor Regis quocunque voluerit, Jehovah inflectet, sed tantum instar hominis sui voti sæpè impotis, optaret cor Regis horsum inflecti, nunquam tamen actu eò inflecteretur, quo voluerit Deus. 3. Si Deus inefficaciter concurrit, tum præscito concursu voluntatis peccaturæ efficaciter concurrit, & sic vult efficacitatem sui concursus, & vellet peccatum fieri postquam existere saltem præscitur: at tam alienum est à Dei Sanctitate velle peccatum existens, quam velle peccatum extiturum. 4. Dicitur Deus omnia facere quæcunque vult, in Cœlis & in terris: at si Omnipotentia Dei subjecta est voluntatis creatæ potestati, sicut habitus voluntati subjicitur, tum homo potest velle in terris saltem quæcunque vult. 5. Si salvatur Dei Dominium in hoc, quod Deus decreverit Omnipotentiam suam & concursum suum nutui creatæ libertatis subjicere, sic Dominus non aliter est Dominus actuum nostrorum, quam quia creavit liberum arbitrium cum pleno & absoluto dominio & actuum liberorum, & actuum Omnipotentiæ & Dominii Dei in suos concursus, hoc modo Deus actuum liberorum Dominus est, quo modo qui alteri dat & alienat hæreditatem, resignato Dominio & jure Dominii in eum, adhuc dici potest Dominus, quia poterat sibi hæreditatem & dominium

Dominium Dei in liberas creaturas nomen & vanus titulus fingere, secundum Jesuitas.

dominium reservasse, & *Adamus* hodiè sic haber dominium nunquam peccandi, quia semel liberè peccavit. Et Deus inflectit cor Regis quocunque vult, quia scilicet resignavit absolutum dominium inflectendi cor suum, quocunque vult Rex ipse, & etiam attrahendi Divinæ Omnipotentiæ actus & concursus Dei ad suam operationem pro tuo libito, sive Deus velit concurrere, sive nolit, & sic Deus est actuum nostrorum Dominus, quia se servum constituit nobis, & Omnipotentiam suam servituti & necessitati concurrendi pro nutu voluntatis subjecit, Id est, Dominus est Deus, quia desiit esse Dominus, & voluntati creatæ dominium resignavit. 6. Nullum Deo constare potest dominium, si actus ipsius dominii sint inefficaces, num dominium habet, quæso, qui non potest facere quod sanctè vult. 7. Blasphemia est Scripturis repugnans Deum supposito decreto suo, non agere liberè, & ad actus caulæ secundæ concurrere quasi agens sine cognitione. Nam *omnia agit secundum consilium voluntatis suæ.* Ergo libere & ex cognitione, *Eph.* 1. 11. *Inflectit cor Regis quocunque vult.* Prov. 21. 1. *Facit in Cœlo & Terris quæcunque vult,* Psal. 135. 6. Frustra fides in Deum, frustraneæ preces, & gratiarum actio pro bono actibus creatæ libertatis procurato, si Omnipotentia Dei ejusque concursus non Dei voluntati, sed nutui creatæ voluntatis subjiciuntur.

2. Ariaga objicit sibi sic. *Si DEVS vult nostram salutem & obedientiam inefficaciter tantum & actu complacentiæ, non necesse est, ut DEVS paret concursum ad hæc procurandà, potius quam ad faciendos plures mundos, in quibus complacet. Respondeo. Voluntates* (inquit) *ineffacaces habent latitudinem.* 1. *Alia est pura complacentia in objecto.* 2. *Alia est quæ desiderat objecti existentiam; non tamen omninò ex parte suâ, quia habet alias rationes præponderantes, quare res non fierent.* 3. *Alia est, quâ DEVS vult, quantum est ex parte suâ efficaciter, sed non ideo absolutè vult, quia pendet res à libero arbitrio, cui DEVS vim inferre non vult: & talis complacentia dari non potest, nisi daretur in DEO concursus ad bonum, licet aliæ volitiones inefficaces esse possint sine tali præparatione concursus: —— hæc verò voluntas potest dici virtualiter efficax & virtualiter conditionata, quatenus ita vult cum voluntate creatâ concurrere, ac si efficaciter voluisses concurrere.* Ariaga ib. fig. 94.

Respondeo 1, In Deo fingere volitiones & complacentias mul-

to audaciæ humani ingenii proclivius est, quam pium & consonum Scripturis, extra quas de Deo sapere non est tutum. Non diffiteor Deum majore complacentiâ velle obedientiam Reproborum, quam plures mundos fieri vult; nam ad prius procurandum Deus praxi aliquâ concurrit, nempe, adhibet media externa satis sufficientia: at ad plures mundos creandos Deus nulla adhibet media omnino. Nec nego Deum complacentiam habere in multis quæ non facit. At causa cur Deus suas complacentias non impleat, est sapiens Dei Beneplacitum, *non vero rationes præponderantes à rerum naturis extra DEVM petitæ.* Omnis enim ratio præponderans est à sapiente Dei voluntate, Nam nulla ratio extra DEUM ipsum determinat aut circumscribit. Nam vel Deus plures mundos potuit creare, contra illas rationes præponderantes, vel non potest. Si primum, Dei voluntas est causa magis præponderans cur fierent plures mundi quam rationes extra Deum, cur non fierent. Nec potest *Theologus* aliquis, cui sanum est sinciput, asserere extra Deum esse ullam causam rationemve cur plures mundi non fierent. Quippe illius causa est solum Dei Beneplacitum. Si posterius; tum Deus ne per potentiam absolutam potest plura facere quam facit; nam non potest quicquam facere contra rationes præponderantes, adeoque contra suam sapientiam. At hoc esset in jus vocare Dei Omnipotentiam, si non potest plura facere quam facit. Quippe hoc Scripturis apertè repugnat, quæ omnia Deo possibilia esse asserunt. 2. Nulla est ratio præponderans, cur Deus *Judæ* potius negaret gratiam efficacem & concursum, quam *Petro* ad finalem resipiscentiam. At *noluit* (inquit *Jesuita*) *DEVS vim inferre libero arbitrio Judæ & aliorum qui finaliter DEO impœnitentes repugnant.* Sed si non potuit Deus omnes impœnitentes ad se efficaciter convertere sine omni violentiâ illatâ libero arbitrio, non potest tum Deus pluribus *dare resipiscentiam ad vitam*, quam iis qui actu resipiscunt, & determinatus numerus resipiscentium & Electorum, & non-resipiscentium & Reproborum est à rationibus præponderantibus extra Deum, non ab absolutâ Dei voluntate, & sic penes Deum non est plures salvare quam salvat, aut damnare quam damnat. 3. Tanti est apud *Jesuitas* & *Arminianos* indifferentis concursus commentum, Scripturæ, Patribus & Antiquioribus Scholasticis & Pontificiis Doctoribus ignotum, ut sine eo destrueretur libertas

Rationes præponderantes extra Deum nullæ sunt quæ DEVM circumscribunt aut movent ad non convertendos finaliter impœnitentes.

libertas creata. 4. *Si voluntas concurrendi est virtualiter conditionata*, tum DEUS vult concurrere ad parricidia, blasphemias, & flagrans illud DEI odium quo dæmones æstuant, si homines scelerati & dæmones ita voluerint, & talia scelera DEUS virtualiter velle dicendus sit, hinc DEUS nullam complacentiam habebit in obedientiâ dæmonum & hominum in irremissibilem blasphemiam adversus Spiritum Sanctum lapsorum, nisi in procinctu paretur à DEO concursus ad bonos actus ipsis dæmonibus & blasphemiæ in Spiritum Sanctum hominibus judicialiter damnatis. 5. Denique si DEUS vult concurrere, si nos velimus concurrere, vult nos velle, si nos velimus, & dicet DEUS, (*volo amorem mei, si non sit carentia amoris*) & (*volo odium mei, & carentiam amoris, modo non sit odium mei, & absit amor mei.*) Quod absurdum.

3. Respondet Ariaga. *Ridiculum est quidem velle, vel nolle objectum dependenter ab ipso objecto, ut si quis vellet hoc esse, modo hoc sit, usi est hoc. (Volo ut meus concursus sit, si sit meus concursus) At hæc conditionata (Volo actum liberum creaturæ, si non sit omissio libera) non est ridicula. Quia est medium, scilicet, nec esse actum liberum, nec esse omissionem liberam, si nimirum extiterit concursus DEI.* Ib. fig. 96.

Respondeo. Hoc est ludere in re seriâ: quia hic DEUS vult & non vult objectum dependenter ab objecto. Nam hæc (*volo actum liberum creaturæ, si non sit omissio libera*) æquipollet huic. (*volo ut sit actus liber creaturæ, si non sit actus liber creaturæ.*) Nam quid aliud est liberè omittere actum, cum urget præceptum DEI, quam non esse actum liberum creaturæ? Si enim DEUS neget concursum, oportet omittatur actus liber, & si neget DEUS concursum, cum paratus sit concursum dare, si homo voluerit, vel eum negare, si homo voluerit non agere, tum necesse est à primo ad ultimum hoc sit in DEO verum, *volo ut homo benè vellet, si benè vellet.* DEUS enim non absolutè ex Adversariis, sed conditionatè vult, ut homo benè vellet. At conditio nulla est in DEO, nec ulla est in homine conditio præter volitionem liberam ipsius hominis. Nam quæro, quâ conditione, velit DEUS amorem sui? si homo amet, vel voluerit ad amandum DEUM voluntatem suam determinare: at hoc idem est, nam me liberè determinare meam voluntatem ad amandum DEUM, est me liberè amare DEUM. Deinde non-omissio libera-

Docent Jesuitæ Deum disjunctive velle actum materialem substratum vel bonitati vel malitiæ, prout visum erit ex eorum arbitrio & quidem cum fœda Tautologia.

libera non potest esse ex defectu Divini concursus, quia Dei concursus in paratu exponitur potestati liberæ voluntatis creatæ, uti illi docent.

2. Respondet Ariaga. *Dico, aliud est velle objectum disjunctivum, aliud conditionatè, nam velle conditionatè, notat DEVM velle unam partem determinatè, exspectare tamen aliquam conditionem, quâ positâ, ponatur id quod amatur: at velle disjunctivè tantum dicit, ex se DEVM contentum fore quocunq, vel ad nullum cogere, vel nullum alteri absolutè præferre. Non est necessarium in DEO hoc (volo peccatum prævisâ determinatione creaturæ.) At si DEVM velle concurrere est Deum velle volitionem Judæ conditionatè, necessariò vera erit hæc in DEO (volo peccatum Judæ, si velit peccare.)*

Respondeo 1. Voluntas disjunctiva & conditionata non pugnant, quin utramque esse in Deo, necesse est doceant Adversarii. Deus enim vult nos velle, siquidem velimus, uti docent, & hæc conditionata est voluntas, & non vult nos velle, si non velimus, sed vel vult concurrere, vel non concurrere, prout visum est nobis, & hæc est voluntas disjunctiva. 2. Disjunctivam voluntatem hic definit *eam quæ est contenta quocunq, vel ad nullam cogit, vel nullum alteri absolutè præfert.* At contra Jesuitæ negabunt Dei voluntatem sic esse disjunctivam, quippe docent Deum concurrere ad actus malos cum summâ repugnantiâ, & Deum huc inclinare ut benè velimus, & abhorrere ab actibus peccati vel materialibus, iisque minimè contentum esse, sed bonos actus malis longè præferre. 3. Negat Jesuita, (quod & cum eo facit *Did. Ruiz*) hoc in Deo. (*Volo peccatum prævisa determinatione creaturæ.*) Quia uti docet ipse. *Voluntas illa esset DEO indecens, quia DEUS non magis potest velle peccatum, postquam est, quam antequam est, esset in nobis peccatum approbare, & gaudere de peccato, postquam est.* Hinc sequitur secundum illos Deum nec velle malitiam absolutè, nec conditionatè. At si Deum absolutè velle concurrere ad actum materialem peccati, facit Deum velle malitiam, uti illi contra nos argutantur, profecto pari ratione, quia Deus vult concurrere ad actum peccati conditionatè, faciet Deum velle malitiam peccati, conditionatè saltem, & ex hypothesi quod peccatum sit. 4. Docent *Arminiani* Deum non velle absolutè ut *Judæi* Christum crucifigerent, sed tantum prævisâ malitiâ *Judæorum*: at quæ potest, quæso, esse altera pars distinctionis

Ariaga disput. 10. physic. sec. 2. subj. 1. fig. 57.

DEVS vult peccatum conditionata voluntate ex Jesuitis.

distinctionis, nisi dicant Deum conditionatè velle ut *Judæi* Christum crucifigerent? 5. Docent officium esse primæ causæ concurrere ad actum peccati, postquam prava voluntas sese semel determinaverit ad actum. Ergo gaudet Deus de suo concursu jam à voluntate pravâ determinato, ac proinde de actu: atqui si Deus gaudet de actu, gaudet etiam de malitiâ actum consequente. Hæc enim est consequentia eorum, (*qui vult actum, vult malitiam actui inseperabiliter annexam.*)

4. Arriaga. *DEVS vult inefficaciter & concursum & peccatum, & etiam concursum ad bonum opus, ideoque DEUM velle applicare Omnipotentiam suam, nihil aliud est quam habere eam volitionem inefficacem concurrendi vel non concurrendi cum creaturâ, DEVS vult quidem bonum opus inefficaciter, sed ita ut quantum est ex se, illud optet & desideret: at ita ad peccatum vult concurrere, ut hoc non velit nisi quia aliter non potest satisfacere muneri causæ universalis, & ideo est illi simpliciter peccatum involuntarium, uti est projectio mercium in mare.* Subj. 3. ib. sig. 87.

Respondeo 1. DEUM velle inefficaciter bonum opus, est merus *Socinianismus*, eorum qui DEUM non aliter obedientiam & conversionem Electorum procurare contendunt, quam nudo desiderio & optatione jejunâ. Ita *Vorstius* & *Arminiani* in collatione Hagiensi docent *DEVM nihil in nobis per se physicè loquendo, efficere statuisse, sed tantum quid faciendum sit declarare* —— *& DEVM conversionem, pietatem & perseverantiam nostram optare potius & desiderare, quam necessariò & absolutè effectre velle.* Et hoc modo nos homunciones tam intensè & fortiter hominum conversionem volumus, nempe optationibus & votis, quam ipse DEUS. Et quid indignius Dei dominio in Electis convertendis à Pelagio olim, & hodiè ab impuro *Socino* potuit excogitari? 2. Si Deus invitus ad actus materiales peccati concurrit, tam invitè fungitur munere primæ causæ quam mercator naufragii timore perculsus merces in mare projicit. At non invitus Deus primæ causæ partes magis præstat, quam concurrit invitus cum Sole movente, mari reciprocante, herba germinascente, arboribus silvescentibus, aut igne exardente. Providentiam enim in mundo exercet Deus liberrimè non invitus. Sed finguntur sic Dei decreta laxa & lubrica. Vorsti. de DEO ad not. 6, Vorstianismus & Socinianismus est *DEVM non efficaciter velle conversionem & obedientiam Electorum.*

5. Occurrit *Suarez* qui vehementer insurgit in hanc prædeterminationem, quæ illic habet, & hactenus allata & ablata sunt non attingo. Suar. opusc. lib. 2. de concurs. c. 2. nat. 4. fo. 18.

um prohibere actum quatenus ipse suo decreto voluit eum repugnare suæ liberæ voluntati, id est, legi, est formaliter malum actum prohibere, si ergo DEUS & prohibet actum & malitiam, dicit *Jesuita* nihil aliud quam *DEUM non solum prohibere formalitatem peccati, sed etiam prohibere formalitatem peccati.* 3. Vult Jesuita prohiberi actum ut contradistinguitur à malitiâ. Ergo malitia erit in actu, prout contradistinguitur ab Anomiâ, & rursus in illo actu erit alia malitia & sic in infinitum, & si prohibeatur & actus & deformitas actus, in omni peccato etiam simplicissimo erunt duæ prohibitiones, & duæ illegalitates, & omne peccatum numericè unum erit duo peccata. 4. Nudus actus ut contradistinguitur ab Anomiâ est ens verè positivum à primo ente & in fieri & in facto esse essentialiter dependens. Actus ergo quâ talis non prohibetur à DEO, nec actus vescendi fructu arboris scientiæ à DEO vetatur, quia est in se malus ante divinam prohibitionem: sed quia DEO ita liberâ & sapiente suâ voluntate statuenti visum est eum actum prohibere. Oritur ergo malitiæ in actu omni positivo formale fundamentum ex actu DEI prohibentis eum actum, & quidem liberè, cum poterat DEUS eum actum vel non prohibuisse, vel etiam imperasse. DEUS ergo non simpliciter actum prohibet, sed prohibet actum quatenus DEI liberæ voluntati inexpediens hic & nunc visus est, & hoc modo DEUS formaliter prohibet malum actum qui à prohibitione habet quod sit malus, seu quod idem est, actum à DEO inexpedientem liberè judicatum & æstimatum. Omnis ergo ratio prohibitionis est à libero actu divinæ voluntatis: poterat enim DEUS imperasse, siquidem ita ei visum fuisset, actum vescendi fructu arboris scientiæ. Id quod fatetur Jesuita, dum asserit *ipsam actionem esse malam denominativè*, & sic eadem erit DEI prohibitio erga & actum & malitiam, quia ex actu prohibitionis divinæ resultat ipsa malitia. 5. Et falsum est itaque *DEVM conversionem ad bonum commutabile punire ratione formalis, & prohibere ipsam conversionem* DEUS aliâ ratione prohibet actum, aliâ ratione punit: prohibet actum, non formaliter quod sit ille actus malus antecedenter ad prohibitionem, imò è contra, actus est malus quia prohibetur. At punit DEUS actum quia est malus, at non est formaliter malus, quia punitur, est malus ante omnem punitionem.

7. *Sequitur* (inquit) *DEVM* (si prædeterminat ad materiale peccati Suarez ib. fig. 11.

peccati) *non solum permittere, sed velle & ordinare ut sit peccatum, sed consequens est hæreticum. Ergo,* &c. *Sequelam probo, quia* DEUS *non solum voluit permittere, ut Judas venderet Christum, sed etiam id definitè voluit priusquam præsciret Judam id voliturum, ideo enim id voluit Judas, quia* DEUS *voluit ut id vellet.*

Respondeo 1. Benè sequitur Deum velle & ordinare ut fieret peccatum, se permittente, non approbante, quid absurdi? Id enim asserit Scriptura expressè, *Act.* 4. 27, 28. 2. Si malum est Deum velle peccatum, Deus nec definitè, nec indefinitè potest velle peccatum: at quorsum nobis Jesuita impingit ut absurdum, *DEVM velle ut Judas venderet Christum, & quidem definitè, & priusquam præsciret Judam id voliturum,* nisi innueret eorum esse opinionem, *DEVM indefinitè velle ut Judas venderet Christum, & postquam præsciret Judam id volaturum.* At tam est malum Deum indefinitè quam definitè velle peccatum, si quidem est malum. 3. Si Dei præscientia est posterior venditione *Christi,* quæ venditio à *Deo* nunquam est volita & ordinata, ut ait Jesuita, tum venditio Christi est futura prius naturâ quam Deus eam vellet permittere, & antequam à Deo permittatur peccatum, jam futurum est peccatum, quia futuritio peccati omnem Dei voluntatem, ac proinde & voluntatem permittentem præcedit: sed hæc est providentia expers consolationis Christianæ, si omnes persecutiones Tyrannorum futuræ sint, ante omnem divinæ voluntatis actum. Quam miseri ergo sumus omnes, quotquot mundus persequitur & vexat? Vanum est sic quærere solatii & acquiescentiæ materiam in divinâ voluntate sapiente & justâ. 4. Consolationibus verè Christianis consonum est, mundum nos odisse, vendere, occidere, torquere, infamare, quia Pater noster Cœlestis nos talem calicem bibere voluit. At si Jesuita nolit Dei voluntatem esse causam positivæ omnis volitionis Judæ quæ Salvatorem vendere voluit, multa erunt entia positiva, quorum Deus primum ens non est author. Quod absurdum respuet & Philosophia & Theologia sana.

Deum velle indefinitè et præscientia peccatum male dicunt Adversarii.

8. *Dicunt* (inquit *Suarez*) (prædeterminatores) *DEVM præordinasse actus qui à actus, & deformitatem permisisse, & in hâc permissione cognovisse futurum esse peccatum: sed primum repugnat divinæ bonitati, secundum non est consequenter dictum. Permitti enim aliquid alicui est facultati & voluntati ejus ita committi, ut id vel oppositum*

quæat

queat suo arbitrio velle aut operari, unde permissio interdum opponitur præcepto, seu illud excludit, & tunc permitti aliquid est neque præcipi neq; prohiberi: aliquando vero permissio excludit pœnam, & tunc permitti dicitur, quod nec punitur, nec præmiatur. Respectu igitur DEI voluntatis, permitti dicitur, quod ex vi illius, nec absolutè, & efficaciter ordinatur ut fit, nec impeditur ne fiat, nec negatur ei influxus necessarius ut fit. Ergo permissio non habet locum ubi est prædeterminatio ad actum: nam non potest DEVS ne per potentiam absolutam impedire ne malitia sequatur actum ad quem voluntas à DEO prædeterminetur. Ergo non est permissio nisi valdè impropriè, sicut si diceres, eum qui aquam ad ignem applicat, permittere ut frigiditatem amittat.

Respondeo 1. Dicunt nostri Deum præordinasse ut fieret ipsa malitia, se permittente, & in hoc decreto cognovisse futurum esse peccatum. 2. Vel est bonitati Dei consonum præordinare actus quâ actus, vel non præordinare, quod fierent Deo non præordinante, est Dei providentiæ repugnans. Egregiè responso se defunctos putant Adversarii, quando dicunt *DEVM præordinare ut fierent actus conditionatè*, nempe postquam futuri sint, vel si futuri sint, Deus præordinat ut sint futuri. Hoccine est Dei bonitati consonum? 3. *Permitti aliquid est voluntati ejus ita committi, ut id vel oppositum queat suo arbitrio velle aut operari*, sed dependenter semper à Dei prædeterminatione, alioqui fortuna omnium hominum & Angelorum arbitrio committit, ut vel oppositum queat arbitrio suo velle aut operari. 4. Malè Jesuita duobus tantum modis aliquid permitti vult. 1. *Quod nec præcipitur, nec prohibetur.* 2. *Quod nec punitur, nec præmiatur.* Sic enim, omnes actiones brutorum, uti & naturales omnes actiones, quales sunt ignis calefactio, Solis illuminatio, gravium & levium motiones permittuntur; Nam nec Dei Lege præcipiuntur, nec prohibentur, sed nec puniuntur, nec præmiantur. Sed alio longè modo homines & diaboli permittuntur peccare. 5. Quod velit rem permissam, non fieri efficace Dei præordinatione, sibipsi contradicit, nam alibi dicit. *De effectibus autem posterioris generis non est inconveniens prædefiniri etiam ante præsentiam actus peccati.* At Jesuita in omnibus actibus liberis intervenire vult permissionem Dei, sine quâ credunt Adversarii libertatem satis tectam esse non posse. Contradicit veritati, nam Scriptura ait crucifixionem Filii Dei ex definito Dei consilio esse, adeoque ex

lib. cap. 4. ad obj. & fig. 15.

efficace *Dei* ordinatione & decreto, licet doceamus peccata omnia fieri ex efficace *Dei* ordinatione & decreto, attamen ex decreto effectivo peccatū promanare, ita ut *Petri* cōfessio & *Judæ* proditio divinæ volūtatis æqualiter opera sint, prout Patres *Tridentini* malâ cōscientiâ nobis iniquissimè calumniantur, tanquam execrandam blasphemiam rejicimus. Licet enim gratia efficax & effectiva, & medicina efficax & effectiva parum differant: in hoc tamen causandi genere decretum efficax & effectivum tantum differunt, quantum causa peccati & non causa peccati. Non enim decretum efficax circa peccatum, quo nempe posito infallibiliter sequetur peccatum, est peccati decretum effectivum. Si enim Dei decretum efficax non aufert libertatem, uti certè non aufert, vel fatentibus Adversariis, tum nullâ causandi necessitate peccatum ex decreto effectivo fluit, nec decretum efficax est peccati causa. 6. Quæstio non est de necessariâ resultantiâ malitiæ ex actu, hoc posito quod actus sit vetitus, quī enim quæstionem movet, *an DEVS per potentiam absolutam impedire possit ne malitia sequatur actum* in hoc casu, quæstionem eandem ac omninò parem cum hâc fingit, an Deus per potentiam absolutam possit impedire, ne idem non sit idem, ne homo sit homo, & tamen non rationalis: at gratiosa Dei impeditio peccati refulget non in impeditione talis resultantiæ malitiæ ex existentiâ actus vetiti, sed in gratiæ efficacis motione quâ actus vetitus non fieret, & ab eo sanctè abstineretur.

Decretum efficax circa peccatum & decretum peccati effectivum longe differunt prius agnoscitur, negatur posterius.

Suarez in opus. de gr. li. 1. de cōcurs. c. 3. fi. 17.

10. Suarez. *Constat per quam voluntatem DEVS conferat generalem concursum ad actum malum, nimirum non voluntate promovente, nec voluntate absolutâ, quia velit talem actum esse, sed voluntate quasi generali, quâ vult ad illum actum concurrere, & quâ vult illum actum esse, non absolutè, sed subintellectâ conditione, si liberum arbitrium ad illum efficiendum sese applicuerit, seu determinaverit.* —— *Sed sensus non est, voluntatem DEI solum confuse versari circa actus voluntatis creatæ, quasi vellet generatim concurrere ad actus ejus:* —— *sed sicut distinctissimè omnia intuetur, ita suâ voluntate universa in particulari, vel disponit, vel permittit, atq; ita ad hunc actum in particulari, & si malus futurus sit, vult DEVS concurrere, volente homine. Vocatur autem voluntas illa generalis, quia DEVS quantum est de se non limitat concursum suum ad illum actum, sed offert illum ad alios, bonos vel malos, etiam in particulari, quos in eodem momento posset voluntas*

hominis

habere, si vellet. Néq; probo quod aiunt quidam, DEVM de facto non habere voluntatem concurrendi in hoc instante cum hoc libero agente creato, nisi ad hunc actum malum, quem præscit voluntatem creatum operaturum. —— Quia si DEVS de facto non offerret suum concursum ad alios actus, absolute non esset in proximâ potestate hominis illos efficere, & ita liber non esset ad illos efficiendos.

Resp. 1. Habemus hic DEUM velle actum malum, ideoque peccatum, sed conditione subintellectâ, at si potest DEUS conditionatè velle peccatum, tum vult peccatum. 2. Vitari non potest, quin hic sit in DEO *confusa voluntas*, si sit in eo voluntas concurrendi ad actus tam bonos quam malos in uno & eodem instanti, uti autumat *Jesuita*. 3. Si ideo vocetur *voluntas illa generalis*, *quia DEVS quantum de se est, non limitat concursum suum ad illum actum, sed offert illum ad bonos & malos*, tum DEUS *quantum de se est* non limitat suum concursum magis ad actum confitendi CHRISTUM in *Petro*, *Matth.* 26. Quam ad actum non confitendi illum, nec magis suo concursu actus supernaturales, quam flagitia nequissima intendit. 4. *Si DEVS habet voluntatem concurrendi cum agente creato ad actum quem præscit voluntatem nunquam operaturam, ne lederetur* (ut ait Jesuita) *libertas*, tum præscientia DEI libertati voluntatis repugnabit, quod post *Ciceronem* docuit impurus *Socinus & Smalcius*. 5. Quam insipiens erit voluntas efficiendi, quod se nunquam effecturum novit? hoccine DEO tribuendum, quod in virum cordatum non cadit?

Cicero de nat. deorum Socinus præfect. Theolog. c. 11. §. 38. Smalcius contra Smiglecium refutatio. nov. monstr. Arian. c. 12. §. 116.

11. *Suarez* ibidem, *atque ex his facile est intelligere differentiam inter hanc voluntatem concurrendi, & voluntatem prædeterminantem, prima, quod in voluntate concurrendi modo prædicto, DEVS nihil efficiat se solo circa actum peccati. Et ex hac parte non potest ei tribui peccatum ut autori: at vero per voluntatem prædeterminantem DEVS se solo efficeret in voluntate nostrâ determinationem ad actum peccati præviam ad illum, ratione cujus merito tribueretur DEO & actus peccati, & quicquid cum illo conjunctum est. Nam si illa prædeterminatio est aliquid reale & physicum voluntati tanquam pondus inhærens, illud est tanquam gravitas quædam pertrahens voluntatem ad profundum peccati. Merito ergo tribueretur* DEO *peccatum qui talem impetum daret, uti motui gravium generanti, & motus lapidis sursum proficienti. Si vero illa prædeterminatio non est prævium aliquod inhærens voluntati, sed*

efficax-

efficax motio DEI, *& immediatius tribuendum erit* DEO *quicquid ex illa motione sequitur, sicut tribuitur voluntati, quicquid ex brachii motione sequitur, quamvis nihil pravum imprimat, sed ex naturali subjectione efficaciter moveat,*

Respond. 1. Si Deus concursu universali Jesuitico nihil efficiat se solo circa actum peccati, quo actus ei ut autori tribui posset, tum pari ratione, *nihil se solo efficit* in actibus bonis (est enim utrobique par concursus) quo ii actus ei ut autori tribui possent. Imo cum Deus præstet omnibus causis secundis hunc concursum, & *non se solo*, nec flatus ventorum, nec ortus solis, nec imbres, nives aut ulli effectus naturales possent Deo ut authori tribui. 2. Hinc homo *se solo* determinante suam voluntatem, credit & resipiscit, nam concursus Dei cum sit indifferens, *nihil efficit se solo*, in actu physico, & voluntas humana sic supernaturalitatem in actibus efficiet. 3. Si Deus nihil efficit *se solo* quo actus entitativus peccati ei tribui posset, quæro, an aliquid efficiat interventu liberi arbitrii, licet, *non se solo*, quo actus peccati ei tribui posset ut autori. Scilicet Deus non est solus author peccati sed coefficiens unâ cum libero arbitrio. Si vero Deus nihil agit hic, quorsum illa verba (*DEVS nihil agit se solo*) si *DEVS nihil se solo efficit*, nihil interventu liberi arbitrii agit, quo actus peccati ei tribui posset ut authori, nulla erit hic Dei efficientia, nullus causandi actus, at hoc est nimis impium & iniquum in providentiam. At quicquid dixerint, si stent placita Jesuitico Arminiana, Deus vel erit causa vel concausa peccati. 4. Quamvis illam quæstionem, an prædeterminatio Dei ponat aliquid reale & physicum ad modum qualitatis permanentis, vitiosâ nuce non emerem: hæc tamen consequentia Chymerica & vana est. Dei prædeterminatio ad actum peccati est pondus aut impetus inhærens voluntati. Ergo si Deus prædeterminat voluntatem ad actum peccati, erit Author peccati; quia patroni illius opinionis tale pondus fingebant, quale cum genio & naturâ libertatis contemperaretur. Illa enim consequentia. Deus est author formæ, ergo est author omnium quæ consequuntur formam, est axioma physicum in causis & effectibus per se satis validum: at in moralibus minimè obtinet. Deus est Author liberi arbitrii, at minimè hinc conficitur Deum esse authorem peccati quod ex libero arbitrio promanat. 5. Prædeterminatio est

Suarezii *commentum infert Deum esse concausam peccati, sed non efficere Deum se solum peccatum.*

est medium inter actum primum liberi agentis, & actum secundum, & quamvis modum definire mearum virium non foret, est tamen tale quid quale serra habet à movente serram, aut baculus à quatiente & levante baculum, aut penna, quæ est in potentiâ ad scribendum, habet à manu scriptoris, dum actu scribit. Et hoc Scripturis convenienter affero, *Esai.* 10 *Assur virga furoris mei.* Ideoque quamvis actus DEO principali Agenti, in genere malum triste & pœnale infligentis, tribueretur: at DEO, in genere causæ moraliter deficientis, non magis potest tribui, quam deformes & hirsutæ literulæ impressæ chartæ scito & eleganti scriptori jure imputantur. 6. Licet prædeterminatio DEI sit efficax motio ad actum, non tamen malitia consequens actum per accidens & in relatione ad Legem DEI, eo modo DEO debet tribui, *quo motio brachii voluntati tribuitur, quod ex naturali subjectione subjicitur voluntati.* 1. Quia brachium ex se rationis & libertatis expers est, & ex solo voluntatis imperio movetur: at voluntas creata ita à DEO movetur & præmovetur, ut ex internâ potentiâ electivâ liberè moveatur. 2. Quia propter eandem rationem brachium non alteri legi, & voluntas alteri subjicitur, sed utraque uni & eidem legi subjicitur, voluntas propriè, brachium impropriè; ideo mirum non est. At DEUS supra omnem legem latam creaturæ est, hominis voluntas Legi DEI subdita est. Ideoque omnis reatus in brachio est à voluntate movente brachium, reatus in voluntate humanâ est à solâ voluntate humanâ Legi obnoxiâ; ideoque nec immediatè, nec mediatè, nec immediatiùs tribuitur DEO motio voluntatis creatæ ad malum, quam voluntati creatæ quæ Legi subest; supponit enim argumentum falsum, nempe voluntatem nostram veluti instrumentum inanime & rationis & libertatis expers à DEO præmoveri, quod est falsum.

Voluntas non prædeterminatur à DEO ad actum, ut brachium ad motum a libera voluntate, ut aiunt Suarez.

12. Suarez. *Secunda differentia est, quod voluntas concurrendi non est de se determinata ad malum actum, sed indifferens; at vero voluntas prædeterminans est ex se definita ad actum malum, & ideo ex vi ejus cadit in DEI voluntatem actus malus, & virtualiter saltem & implicitè malitia ejus: quandoquidem DEVS ex solo suo arbitrio ad illum potius, quam ad bonum suum velle definivit, & per illud voluntatem humanam determinavit, ex vi autem prioris concursus non cadit in DEI voluntatem absolutam actus malus, sed sola ejus permissio.* Suarez. ib.

Respondeo 1. At quamvis voluntas Dei concurrendi non sit de se determinata ad actum, non sequitur eam non esse causam actus mali, postquam jam est determinata ad concursum effectivum, sicut nemo negaret *Saulum* esse causam interfectorum Sacerdotum Dei, licet id suasu & consilio *Doegi* incitatus & determinatus patraret, & *Absolom* verè causa fuit violatæ pudicitiæ Concubinarum Patris sui, quamvis id facinus patrarit nefario *Achitophelis* consilio pellectus & adductus. Et qui est indifferens ad facinus aliquod, fortè ad patrem occidendum, imo si animus ejus à tali flagitio abhorreat, quia nempe insurgit in patraturum aculeus & vis conscientiæ expergefactæ: si tamen Patrem trucidarit motus & adductus suasu & consilio hominis impii, verè causa est parricidii talis, jureque reus tanti flagitii. Nec definitio aut indefinitio, determinatio aut indeterminatio causæ aliquid faciunt ad veram causalitatis naturam vel impediendam vel promovendam, voluntas Dei concurrendi ad actum malum non ideo definit esse causa actus mali, quia est de se indifferens ad actum: nam determinatio causæ non est de essentiâ causæ, sed tantum conditio causandi requisita in actuali causatione. Sic etiam Sol quia est causa indifferens & universalis effectuum naturalium, de se non erit causa talium effectuum, quia actu tales effectus non producit, nisi quatenus restringitur & particularizatur ejus indifferens universalitas à naturis patientium sublunarium & horum inferiorum. Hoc autem absurdum est. 2. *Nec voluntas DEI prædeterminans est ex se definita ad malum*, quâ est malus, sed quâ est actus, & sic concursus Jesuitarum indifferens, in actuali causatione est definitus & limitatus ad actum malum, & ex vi prædeterminantis Dei voluntatis nullo modo, ne *virtualiter* & *explicitè* cadit malitia actus in Dei voluntatem, quia malitia sequitur actum per accidens, & quatenus peccans legi obnoxius est. 3. Quamvis Deus *suum velle definiat* ad actum substratum malitiæ, potius quam ad bonum, ex puro principio, sanctâ formâ, & fine justissimo, cur potius, quæso, erit causa malitiæ, quam si definiat suum velle ad actum malum, non ex solo suo arbitrio, sed quia ab impiâ voluntate motus definiat illud ad malum actum? Huc tantum res redit, Deus nostro modo erit antecedenter Author peccati, vestro modo erit subsequenter Author, hoc est (inquiunt *Jesuitæ* & *Arminiani*) *nostro modo verum est, vestro modo falsum est*, & tamen

Indeterminatio & indifferentia Dei voluntatis qua concurrere, vel non concurrere ad actum non liberat Deum vera causalitate actus ut ait Suarez.

DEI voluntas non est determinata ad actum quatenus est malus & culpabilis, sed ad actum qui est malus, ait Suarez somniat.

tamen & noster & vester concurrendi modus in Deo est verè causativus. 4. Si ex vi concursus *Jesuitici* sequatur *sola permissio*, Deus actuum supernaturalium tam verè est permissor, non effector, quam actuum malorum. At permittere actum liberum est illis desertio & pœna. Et sic Deus omnem credentem & resipiscentem deserit, sibique permittit, quoties efficit in iis velle & perficere. O gratia Jesuitica & Arminiana, quid tu es?

13. Suarez. *Tertium discrimen est, quod voluntas concurrendi de se & absolutè non est efficax, sed sufficiens, & cum cooperatione humanæ voluntatis habet effectum: voluntas autem prædeterminans esset efficax ex se, & ideo ratione illius verè diceretur DEVS facere ut faciamus malos actus, quod nullatenus dicendum est.* Suarez ib.

Respondeo. Si Jesuita intelligit concursum Dei in actu non esse efficacem, vult efficientiam non esse efficientiam, quod absurdum. Et idem intelligi velim de voluntate Dei concurrendi actu, si intelligit concursum in potentiâ vel voluntatem concurrendi conditionatam, non esse efficacem, sine cooperatione præviâ voluntatis creatæ, est profunda *Pelagianismi* Abyssus, quia sic Deus vult tot convertere & salvare, quot velint sese convertere & salvare. Nec pro suo, sed pro nostro beneplacito efficit in nobis velle & perficere. Cum verò Jesuita neget efficaciam divini concursus ad omnes actus liberos, sive bonos sive malos, neget omnem gratiæ efficaciam esse à Deo, sed totam à libero arbitrio. Quid est *Pelagianismus*, si hoc non est? 2. Voluntas prædeterminans est ita efficax ut voluntatis liberam motionem suaviter promoveat, nec Deus ratione illius verè efficit actus malos, quâ malos, sed quâ actus, & sic cooperatur una cum voluntate nostrâ actus malos concursu *Jesuitico*. Suarez negans efficaciam divini concursus omnem efficaciam gratiæ tollit.

14. Suarez. *Ratione generalis concursus non potest DEVS dici Autor peccati, quod DEI concursus de se offertur indifferenter, tum quòd tota illa actio realis, quæ est à DEO; prout ab ipso est, manere possit sine verâ ratione culpæ aut mali moralis: ut si homo cum ratione invincibili, aut inadvertentiâ naturali eundem actum realem haberet, careret malitiâ peccati, & DEVS eundem numero influxum præberet. Et hac ratione nec potest dici causa per se physica peccati, ut per se constat, nec moralis: quia ad illud non movet, neq; prædeterminat, neque enim potest dici causa moralis per accidens, vel indirectè, quia non tenetur suum concursum negare; neq; physica per accidens dici potest, quia* Ib. fig. 10.

cum ejus causalitate physicâ, ut illius est, non necessariò conjuncta est deformitas: si autem prædeterminat voluntatem ad talem actum, dicendus esset D E V S *causa moralis, utpote libere movens & pertrahens ad peccandum, & causa etiam per accidens, utpote dans motionem non necessariam ex vi generalis concursus.*

Respondeo 1. Quia concursus Dei est indifferens, non impedit, quo minus sit verè causativus, ideoque, quo minus Deus sit verè causa actus, quia sic Sol non esset causa generationis & interitus in hisce inferioribus. 2. *Sed néq; quoniam tota actio realis* D E I *manere potest, prout ab ipso est, sine verâ ratione culpæ aut mali moralis,* Rectè conficitur Deum non esse causam physicam actus peccati malitiæ substrati, sed contraria consequentia est potius ideo vera: quia tota Dei prædeterminatio potest manere sine verâ ratione culpæ, si nempe Deus legem homini non posuisset, (quod fortè non est repugnans) potuit Deus omnes prædeterminationes prævias tribuisse nostris actibus (si de generali & ordinis naturalis prædeterminatione sermo sit) quas nunc de facto præbet, quo casu nulla culpa tales prædeterminationes sequeretur. Et sic solvit & liberat Jesuitæ ratio nostram prædeterminationem omni culpâ. 3. Quod dicit Jesuita *hâc ratione nec dici* D E V M *causam per se physicam peccati,* mirum prodigium est; nam intelligit (sat scio) Deum non esse causam physicam actus peccati, quâ actus, nam sicse loqui de peccato profitetur Jesuita in exordio libri de concursu. At si Deus non est causa physica per se actus peccati, erit causa physica illius per accidens: At prima causa est nullius entis positivi causa per accidens. Si verò velit causam per se hic non opponi causæ per accidens, sed tantum causæ per aliud, stabit sic per me, salva Jesuitæ fama, salva eruditio, salva fides, si Deus dicatur causa peccati non per se, sed per liberi arbitrii interventum. 4. Et probat *D E V M non esse peccati causam moralem, quia homines néq; movet néq; prædeterminat ad peccatum,* sed nos illud lubenter accipimus, Dei enim prædeterminatio movet ad actum, non ad actus malitiam. 5. Vana est & illa ratio, *D E V S prædeterminat voluntatem ad actum, nempe entitativum. Ergo est causa moralis malitiæ.* Nam ut aliquis sit causa moralis peccati plus requiritur quam prædeterminativa influentia actus, & ea quidem quæ sit merè physica: Nam requiritur non tantum ut physicè actum producat, sed ut eum

Causa actus non est idcirco causa malitiæ.

actum

actum producat, cum obligatione legali, aut obligatione quæ ei proportione respondet, in non actum, vel in actum contrarium obnoxius sit. Hæc autem obligatio DEUM ad voluntatis creatæ non-prædeterminationem minimè constringit.

15. *Et ideo* (addit *Suarez*) *etiam non sequitur, quod voluntas concurrendi sit virtualis voluntas malitiæ, sed permissionis tantum, quia illa voluntas ex se indifferens est, & inefficax de se: at verò si esset prædeterminativa, esset virtualis volitio malitiæ, quia esset definita ex seipsâ & efficax.* Suarez ib.

Respondeo 1. Si voluntas concurrendi sit tantum *virtualis volitio* actus, voluntas concurrendi ad actus supernaturales erit tantum *voluntas virtualis* actuum supernaturalium, jejuna est illa voluntas ergo DEI quâ tam serio, tam vehementer expetit, vult, obtestatur & orat obedientiam Electorum. 2. Quid est *virtualis voluntas* permissionis peccati, nempe (ni fallor) *nihil aliud est quam Deum velle concurrere in virtute humanæ voluntatis*, hoc est, DEUM velle concurrere ad actum peccati, si humana voluntas cooperari velit: at illud nihil aliud est, quam DEUM velle peccatum conditionatè, si homo id vellet: at hoc est egregiè pro DEI sanctitate peccare seu delirare. 3. Quia voluntas concurrendi in DEO est indifferens & inefficax, non ideo eximitur DEUS à causalitate; nam si causa indifferens & inefficax non obtinet rationem causæ propter indifferentiam & inefficacitatem: tum voluntas DEI quâ DEUS omnes mortales salvari velit, non est causa salvationis & conversionis hominum, imò gratia interna *Jesuitarum* & *Arminianorum* quæ voluntatem motu planè suasorio aut saltem indifferente movet, non erit causa conversionis, imò DEI voluntas concurrendi ad actus supernaturales sic erit permissiva & virtualis tantum; nam talis voluntas est inefficax & indifferens ad conversionem vel non-conversionem, prout libero arbitrio creato allibuerit, producendam. Et sic Spiritus Sanctus non est causa nostræ conversionis, fidei, resipiscentiæ, dilectionis, &c. 4. Mirum est quomodo probet *Jesuita*, *Voluntatem DEI prædeterminativam esse virtualem malitiæ causam. Quia* (inquit) *est de se definita & efficax.* Hîc observa DEI voluntatem, quamvis sit causa efficax actus mali, non ideo esse causam efficacem malitiæ actui annexæ, sed tantum virtualem: at virtualis causa impropriè valdè causæ naturam obtinet, ideoque

Voluntas concurrendi ad omnes actus est mere permissiva & otiosa ex Jesuitis.

Quod concursus Dei sit inefficax non impedit quin sit causativus peccati ex Jesuitis.

malâ fide Adversarii probant ex nostrâ motione prædeterminativâ actuum, quam Deo tribuimus, Deum esse propriè & principalem efficientem causam peccati, homines verò mera instrumenta. Hîc conscientiam malam videmus in Adversariis. Deinde hâc ratione voluntas humana quæ est *de se definita & efficax causa* peccati, erit tantum *virtualis causa* peccati, & causa impropriè dicta.

Ibid. 16. *Rursus* (ait *Suarez*) *propter eandem causam non potest* DEUS *dici ratione concursus* (universalis & generalis) *cooperari ad malum, tum quia ejus cooperatio de se abstrahit à malitiâ, tum etiam quia non debet illam negare, sed concedere propter generalem rationem providentiæ, & propter alia majora bona. Secus verò esset de prædeterminatione; quia ex vi ejus sequeretur infallibiliter malitia, quia prædeterminaret actum moralem, ut sic, & cum omnibus circumstantiis.*

Respondeo 1. Concursus Dei ideo tantum dicitur *abstrahere à malitiâ*, quia est generalis, & ad malum actum non necessitat; at sic concursus Dei abstrahit à bonitate supernaturali actus, & Deus non cooperaretur ad bonum: nam concursus ad bonos actus est generalis etiam & non necessitans. Nec dici potest hic concursus *abstrahere à malitiâ*, quia Deus malitiam non vult, & ab eâ sanctâ suâ voluntate abhorret, & ad bonum suadet. Hoc enim probat voluntatem Dei approbantem *abstrahere à malitiâ*, quod nos piè docemus, & obviis ulnis amplectimur, sed non probat *ipsum concursum non cooperari ad malum*, ex doctrinâ Jesuiticâ. Nam etsi Deus detestetur malitiam actus, verè tamen & per actum causandi primæ causæ proprium concurrit ad actum. Alioqui daretur actio positiva & entitativa creaturæ absque cooperatione Creatoris, quod absurdum. Sic qui auxilium suasu & determinatione consulentis aut jussoris confert ad necem viri innocentis, uti fecit *Pilatus* in occisione Salvatoris, licet voluntas ipsius à nece illâ abhorreat, & ad liberandum innocentem suasu, precibus & argumentis agat cum authoribus cædis, ille tamen vere dicitur cooperari ad cædem. Et ejus concursus non abstrahit à malitiâ, licet voluntas ejus aliquo modo ab eâ abstrahat. Ita Deus verè concurrit ad actum, ut causa prima, licet malitiam actus sancta Dei voluntas detestetur. Nec nos docemus Deum concurrere ad malitiâ. Nam malitiam aliquis propriè nec operatur, nec cooperatur, sed actum tantum. Sic nostra prædeterminatio *abstrahit hoc sensu ab omni malitiâ*

Concursus Jesuiticus atque est cooperatio causativa ad malum, ex placitis Adversariorum atqui prædeterminatio & prædeterminatio atque abstrahit a malitia atqui ille concursus.

litiâ, quia sancta *Dei* prædeterminantis voluntas detestatur malitiam, sed nec concursus universalis abstrahit à malitia hoc sensu, quod nullam causelitatem ex officio primæ causæ exerceat ad actum producendum, nam sic abstrahere à malitiâ esset DEUM omninò non agere, quod alienum est à causatione primæ causæ propriâ. 2. *Si DEVS non debet negare concursum generalem propter generalem rationem providentiæ, propter alia majora bona.* Nempe propter declarationem gloriæ justitiæ vindicantis, & misericordiæ parcentis dico. 1. Nec prædeterminationem propter easdem rationes debet negare ut malitiæ existentiam impediat. Si concursus ille indifferens sit causativus, uti est, & DEUM causam actus facit, & sic ex logica Arminiana contra nos, DEUM societate sceleris involvit, nulla ratio, nullum vel bonum maximum potest esse DEO sufficiens ratio dandi talem concursum. DEUS enim sic malum faceret ut inde bonum evenirer. Quod blasphemum est. 2. Concedit *Jesuita* DEUM concursum suum cum malis actibus præbendo intendere *majora bona*, hoc est cum *Calvino*, intendere gloriam justitiæ & misericordiæ, ideoque ut talem gloriosum finem assequatur, aliquo modo nempe permissive, licet non approbativè & effectivè velle peccatum fieri. Ideoque quænam sint illa bona à DEO præintenta in permissione peccati, malunt Jesuitę silentio preterire, quam *Calvini* sententiam pro suâ proponere, 3. Nec ex vi causativâ prædeterminationis, sequitur malitia. 4. DEUS prædeterminat actus morales ut actus sunt positivi: nec id est absurdum.

17. Succedit *Theophilus Raynaudus* Jesuita sic arguens contra prædeterminationem. *Homini in bivio dubitabundo peccet ne an non, si supervenit DEI prædeterminatio ineluctabiliter impellens in volitionem rei turpis, necessario peccabit, & lapsus DEO imputabitur. Sic Suarez.*

Raynaud. distinc. 4. q 3. art. 5. fo 345. Suarez in opusc. lib. 2. de concurs. c. 2. fig. 12.

Resp: si supervenit DEI prædeterminatio vi impellens hominem contra libertatis suæ indolem ad malum, Deo quidem lapsus imputaretur. Sed quia dubitabundum prædeterminatio suaviter trahit volentem in actum, nihil mali hic DEO supra omnem legem existenti & ex libero suo beneplacito, quod ei suprema lex est, conferenti suam prædeterminationem, jure potest imputari. 2. Prædeterminatio agit tractione physica, suavi, non morali aut legali dubitantem cogit.

Raynaudus

.Raynaud. ib. *Raynaudus. DEVS ab æterno odit materiale peccati prout est fundamentum malitiæ. Ergo DEVS non prædeterminat ad actus malos.* Resp: Deus non prædeterminat ad actum quâ fundat malitiam, sed ad actum qui fundat malitiam.

Raynaud. ib. fig. 351. *Raynaudus. Non tribuo DEO conditionatam peccati volitionem quoad materiale. Nec dicit DEVS (si vis peccare, volo ut pecces) sed tantum (si vis peccare, nolo te impedire, vel, volo te non impedire) DEVS prævisâ determinatione nostrâ decernit adjungere cooperationem suam. —— Amor Dei quo amat actus physicos non terminatur ad actum prout est fundamentum malitiæ* (quia sic respicit solam creaturam) *sed prout est cooperatio, qui ratione non ad eam consequitur malitia.*

Jesuita Smising. disc. Theolog. tom. 1. trac. 3. disc. 3. de vol. divi. q. 3. fi. 91. *Theodor. Smising* sic. *DEVS concurrit ut causa ad materiale physicum peccati, sed non ad materiale morale, alias vellet per accidens positivè privationem moralem quæ est peccatum formaliter, quia privatio sicut non est formaliter causabilis nisi per accidens ratione positivi in quo fundatur, ita nec est formaliter volibilis.*

Resp. 1. Illud Deus vult fieri, quod præscit necessario fore ex sua non impeditione, hoc posito quod sit universalis Gubernator omnium rerum; Pater familias quod videt in suâ domo fieri, & not impedit, cum impedire posset, illud vult fieri, licet non culpabiliter & imputabilitatis malâ notâ velit id fieri, nisi sit malum quod impedire teneatur. 2. Illud quod Deum dicere fingit Jesuita: (*si vis peccare nolo te impedire*) innuit Deum circa peccati in mundum introitum nullum actum providentiæ habere præter eum quem habent *diaboli* in actus bonos, & boni *Angeli* in actus malos, nam habent nudam non impeditionis actum circa & bonos & malos actus, at notum est non impeditionem *Dei* versari circa non existentiam plurium mundorum pura non impeditio mera noncuratio utrum existat peccatum nec ne, & non-curatio opponitur providentiæ, estque Deo indigna nam quia Deus vult gloriam justitiæ & misericordiæ suæ positivâ volitione, & non nuda non-curatione: si positive vult finem, non potest Deus circa media habere non-curationem. 3. Materiale morale est bonum & ens ergo ad id producendum Deus concurrit, non minus quam ad materiale physicum, & quia morale resultat ex physico Deus adhuc per accidens malitiam velle dicendus esset, vel potius permissivâ voluntate & secundum quid.

Falsum est illud Smisingi *peccatum, quia est privatio moralis, non esse per se volibilem nisi ratione positivi actus quia agens legi subjectum libere peccans per se vult & elegit peccatum.*

Raynaudus

18. Raynaud. *Dicunt quidam DEVM non esse causam peccati, quia concurrit ut causa planè physica & necessaria, ac proinde ac si non esset libera, nec ut causa libertatis ac moralitatis. Sic Soto, Canus & Vasquez*: — *sed non potest* (inquit *Jesuita*) *DEVS non esse causa libera in peccato, quia posuit sibi legem liberè, per decretum liberum concurrendi. Sed parvus refert, nam oportuit DEVM non ferre talem legem necessitantem se ad concurrendum cum peccati actibus*: — *deinde quod DEVS concurrendo cum actu non transgrediatur legem, probat DEVM non peccare, sed non probat eum non esse causam peccati. Alphons. Curiel* quosdam ita arguere ait contra *Sotum & Canum. DEVS liberè concurrit ad actum peccati. Ergo concurrit per modum causæ moralis, quia liberè & deliberatè operari est moraliter operari. Confirmatur, quia vel per causam moralem intelligitur illa quæ operatur liberè, vel quæ operatur in subjectione ad regulas morum, vel illa quæ operatur medio consilio, & præcepto & hortatione. Si prima, habetur intentum. Si secundum sequitur DEVM non esse causam moralem bonarum operationum: quia nec ad has concurrit ut subjectus legi aut regulæ. Si tertiam sequitur quod voluntas creata non sit causa moralis suorum actuum, quia non concurrit ad eos consulendo aut præcipiendo. Confirmatur 2°. quia positivum reale quod est formale peccati, substratum est intrinsecè & essentialiter aliquid morale. Ergo reducitur in Deum ut in primam causam moralem.*

Ib. fig. 160.

Curiel 12. q. 79. art. 1. sec. 7.

Respondeo 1. Verissimam esse opinionem *Soti, Cani & Vasquezii* ego judico, quia licet Deus non concurrat ad actus materiales peccati, ut agens brutum & planè physicum, uti ignis calefacit, tamen habet se ut causa physica promovens & conferens quicquid physicæ entitatis est in actu materiali peccati, non quod negem Deum liberè, & sensu quodam, moraliter concurrere ad actus peccati, nec desinit Deus esse agens liberum, quia posuit sibi legem æternam concurrendi, nam liberrimè creavit mundum, & tamen liberè posuit sibi decretum creandi mundum, quo posito Deus non potest non creare mundum. 2. Si Deus tantum causativè promovet entitatem physicam actus sine omni subjectione ad legem ex solo libero sapientiæ suæ æternæ dictamine, nec peccat, nec peccati causa est; nam physicè agere in actu peccati non est ullo modo esse causam peccati imputabilitatis notâ dignam. 3. Negari non potest quin Deus sit agens naturale in concurrendo ad actus vel bones

Quatenus DEVS est causa moralis quatenus quasi physica in concurrendo cum agentibus moralibus.

malos, sed hoc sensu, quod ex dictamine infiniti sui beneplaciti quod essentialiter bonum est, agat, non cum subjectione ad legem & præcepta morum, estque Deus primum agens morale: dicitur verò agens physicum & quasi necessarium & non liberum, tribus de causis. 1. Quia ordinariè & semper influit, uti faciunt agentia physica. 2. Quia non magis subditur legi & regulæ morum, (nisi beneplacitum æternum pro lege sumatur) nec magis imputabilitatis malitiæ tenetur, quam agens physicum, quam triticum, rapinâ & furto surreptum, dum crescit in spicas dici posset furti reum. 3. Quia Deus entitatem physicam promovet per sanctam primæ causæ causationem, moralitatem malitiæ detestans, moralitatem bonitatis amans & efficaciter, sed liberè per gratiam operans.

Raynaud. dist. 4. q. 3. art. 5. Fig. 361.

19. Raynaudus. *Qui est causa actus materialis peccati, est causa peccati, sed DEVS est talis. Ergo.* Respondeo (inquit *Raynaud.*) *negando Majorem. Nam si quis causaret actum positivum in somno & amentiâ non esset causa peccati, ut aliquis sit causa peccati formaliter, necesse est ut causet actum sub eâ ratione, quatenus ab eâ germinet malitia; nam ut aliquis sit causa actus vitalis & supernaturalis, & sic denominetur vitalis & supernaturalis causa, non sufficit quod sit causa supernaturalis prædictorum actuum; nam sic habitus esset causa vitalis & intellectus causa supernaturalis, quod nemo diceret. —— Dico DEVM causare specificativè & materialiter actum malum, non formaliter & reduplicativè; nam DEVS eodem modo concurrit ad actum cum est bonus, & cum est malus —— voluntas peccat non sequendo dictamen rationis, DEVS non peccat, quia sapientia ejus dictitat eum debere cooperari* (ad actum malitiæ) *ideo cooperatio est executio juris debiti, nec debet ei vitio verti, ut patet in eo qui dat alteri ensem jure tuendæ vitæ propriæ, tunc cooperatio ad eadem non est vitiosa.*

Raynaud. Deum peccati autorem secundum Jesuitarū pluita fingit.

Respondeo 1. Quod requirit Jesuita in eo qui formaliter sit causa peccati, nempe in eo qui formaliter dominatur peccator, (nam solus ipse peccator est formaliter causa peccati) non probat *Deum* non esse causam peccati, nempe actus materialis; nam habitus fidei verè causa est actus vitalis, sed non est vitalis causa fidei. Sic licet *Deus* non sit formaliter causa peccati, inde tamen minimè conficitur hâc ratione Jesuitæ eum non esse peccati causam omninò, nam pari ratione probare posset Jesuita Diabolum & malos suasores peccati ad quod solicitant homines, non esse causas. Quare? quia non sunt formaliter

formaliter causæ. 2. Simile est *Raynaudi* contra *Sotum*. *Si servus non posset facinus aliquod exequi, nisi domino in societatem sceleris ascito, & Dominus conaretur omni ope servum à pravo consilio abducere, & tamen nihil proficiens jungeret illi suam cooperationem, Dominus erit concausa sceleris cum servo.* Jungit hîc DEUS cooperationem suam actui pravo, licet actum illum prohibeat & detestetur, & dissuadeat, si dicat Jesuita, DEUM jungere cooperationem actui *non sub eâ ratione quatenus ab eâ germinat malitia.* Inde non probatur DEUM non esse concausam actus qui est malus, uti nos docemus, sed tantum non esse causam actus qnâ est malus, quod ut impium nos detestamur, deinde nobis pari jure liceat dicere *DEVM non prædeterminare ad actum sub eâ ratione quatenus ab eâ germinat malitia.* Et nostra sic sententia DEUM societati sceleris non involvet. Raynaud. lib. fig. 360.

3. Illud jus DEI quo concurrit, est merum DEI beneplacitum, quo DEUS supra omnem legem sanctè concurrit ad pravos actus, quia si homo homini ad scelus concursum præstaret esset sceleris concausa, quia non est privilegio talis juris donatus. Ideoque immunitas à lege est ratio cur *Deus* prędeterminet ad actus pravos, & tamen nec peccet nec peccati causa vel concausa est. 4. Non persuadebit suis Sociis Jesuitis *Did. Ruiz.* & *Suarezio*, & *Grego. de Valentia* egressum actionis ut est à voluntate esse peccatum, ut est à DEO, non esse peccatum; id enim Jesuitæ ut impium Calvinistis (ut aiunt) imputant.

20. Hisce succedit *Gulielm. Gibeuf.* *Materiale* (inquit) *peccati est disconveniens naturæ rationali.* 2. *Disponit ad peccatum; DEVS vera nec disponit, nec præparat nos ad peccatum. Ergo non determinat ad actum peccati.* Gibeuf. de libert. Dei & creat. li. 1. c. 26.

Respondeo 1. Actus physicus quâ talis non est disconveniens creaturæ rationali, sed tantum malitia actus. 2. Actus est dispositio physica, seu potius fundamentum malitiæ, non dispositio ethica.

Gibeuf. *Lex & motio causa prima in unum conspirant: sed motio est inclinatio in DEVM ut in ultimum finem. Lex externa & interna inscriptio legis in corde conspirant. DEUS neminem movet aut determinat ad malum.* Ib. fig. 3.

Respondeo. Falsum est motionem DEI & legem conspirare in eandem gubernationem, lex vetat occisionem viri innocentis, DEI tamen definito consilio *Judæi* CHRISTUM occidunt. 2. Lex mo-

rali & resistibili motione inclinat homines: at primæ causæ motio est irresistibilis. 3. In Electis sæpè conspirant lex & motio Dei, non generalis illa primæ causæ inclinatio, sed specialis ea Dei Patris in Christo flexio cordis in id in quod lex cordibus divinâ gratiâ exarata inclinat, *Jer.* 31. 4. Motio Dei ducit in ultimum finem vel formaliter amatum, ut fit in Electis, estque hæc specialis motio Spiritus Sancti, vel movet in ultimum finem materialiter tantum, estque hæc motio specialis providentiæ. Nam iis, quos Deus ita movet, finis non est cognitus sub ratione finis, sic Deus *Pharaonem* liberè peccantem movet in hunc finem ut patefiat gloria justitiæ vindicantis. Et Lex Dei, & motio Dei in hunc finem minimè conspirant; nam lex urget obedientiam omnium, non ut sint vasa declarandæ justitiæ coagmentata, non est hic finis legis.

Objectio. *Primum ordinans non determinat ad actum inordinationis, primus actus non movet ad actus subjectos privationibus, puta, malitiæ. DEUS ergo non movet ad actus malos.*

Respondeo. Primum ordinans non determinat ad inordinationem formaliter, verum, si loquamur de ordinatione effectivâ & approbativâ, falsum est. si sermo sit de ordinatione permissivâ. 2. Primus ordinans sanctissimè ἀγαθύνει τὸ κακὸν, ut ait *Dionysius malum reddit bonum*, & eo fine malum permissivè vult. *Imò ita ordinat* (inquit *Boetius*) *ut si disponentem providentiam spectes, nihil usquam mali esse perpendas. Imò* (ait *Augustinus*) *sicut in cantando interpositiones silentiorum certis moderatisq; intervallis, quamvis vocum privationes sint, benè tamen ordinantur ab iis qui cantare sciunt.* Ita hîc ipsâ peccati existentia universum ordine quodam decorat. Non aliter quam umbræ ornant picturas, pausæ cantilenam, nigredo formosam imaginem, nubes diem, acetum dulce reddit sapidum. Unde mirus est ordo primi ordinantis, quod velit ipsam inordinationem fieri.

Dionysius de divi. nomim. ca. 4. Boetius de consolat. philoso. lib. 4. pros 6. Augustin. de gene. & liter. c. 5.

21. Hîc etiam contendunt Adversarii non posse Deum prædeterminare ad actus materiales, quoniam ipsi actus materiales Lege Dei prohibentur. Rem sic depingit *Jac. Arminius*. *In omni peccato* (inquit) *non potest dici, quod sit actus & inordinatio: nam aliquando ipse actus est id quod prohibetur, aliquando non ipse actus, sed ipsa circumstantia actus, sic esus ex arbore scientiæ boni & mali, erat prohibitus, non aliqua illius circumstantia; & propterea ipse esus indebitus,*

Arminius Antiperki. pag. 730.

bitus, illicitus & inordinatus, imo inordinatio ipsa, posita, nempe, lege esum vetante; secus per se, & in se esus, citra illam legem, est actus naturalis, nullam in se inordinationem habens; at positâ lege quæ esum prohibet, non potest iste esus ita naturaliter bonus considerari, ut inordinatio ipsi accedat propter quam sit omittendus: est enim per se omittendus & propter se, quia vetitus lege divinâ & quia ipsum edere est peccare. Inordinatione totâ in eo consistente quod actus ille edendi locum habeat in numero & ordine actionum humanarum. Remonstrantes ita. *Hâc ratione non puniverit DEVS primos parentes quod de fructu vetito comederint, sed quod scelerate comederint. Et Davidem —— non quod cum uxore proximi concubuerit, sed quod scelerate cum eâ concubuerit. —— Ostendant (Calviniani) ubi gentium flagitia & scelera reperiantur non scelerate facta. Grevinchovius sic. Non dissitear actui malo aliquid inesse quod citra legis latæ & violatæ respectum, secundum se consideratum DEVS velle possit, puta entitatem actus in se: at positâ lege nego DEVM ullo modo aut respectu velle actum lege prohibitum.* Sic Doctorculus *Abredonensis, Jacobus Sibbaldus,* (ita Arminianismus non ita pridem sub Antichristiano Episcopatu in *Scotiâ* invaluit) cum nostris Arminianæ sectæ asseclis currit.

Remonstr. in scrip. synod. art. 1. pag. 251. 253.

Jacobus Sibbaldus concione anglicanâ in obitum Patricii Forbesii Pseudo episcopi Abredonensis pag.

Respondeo 1. Circa famosam & sanam illam distinctionem actus & malitiæ actui annexæ nunquam litem moverint Doctores, Academiæ, Concilia, Scholastici, sed infatuavit Dominus ipsam Metaphysicam *Jesuitarum & Arminianorum.* Nam 1. si actus & inordinatio non sint distinguenda, sed sint unum & idem, tum actus esset essentialiter inordinatus, & actus esset ipsa inordinatio, quod est planè *Manichæum.* Nix est alba, sed nix non est ipsa albedo, forma vel privatio de actibus quibus inhærent, prædicantur in concreto, sed minimè in abstracto. Non est hæc prædicatio essentialis (*Esus arboris scientiæ est inordinatus*) sed planè accidentalis. Ergo aliud erit esus, aliud esus inordinatio, unde Scriptura inter opera & operum improbitatem distinguit. *Esai. 1. 6. Amoveto malignitatem actionum vestrarum.* Hos. 9. 15. *Propter malitiam actionum eorum è domo meâ expellam illos.* Unde *Esai. 65. 2. Incedunt in viâ non bonâ.* Gal. 5. 19. *Opera carnis.* Nonne aliud est igitur opus, aliud caro seu corruptio adhærescens operi? 2. Si ipse actus esset inordinatio ipsa esus esset essentialiter & per se malus: hoc vero ipsi *Arminio* falsum est, quippe fatetur *Esum in se esse actum naturalem, nullam in se*

Defenditur distinctio illa actus & malitia in omni peccato contra Ia. Arminiū.

inordinationem habentem. At verò legislatoris prohibitio non tollit naturam actus naturalis, nec eum annihilat aut transsubstantiat in ipsam inordinationem, mira esset *Nasoni* talis Metamorphosis. Si ergo manet naturalitas & entitas actus, accedente prohibitione Dei, aliud erit inordinatio, aliud ipse esus, seu edendi actus. 3. Si actus & inordinatio non essent distincta in omni peccato, non potuit Deus sine notâ inconstantiæ & mutabilitatis imperasse *Abrahamo* mactationem *Isaaci.* Si enim mactatio filii à patre sit in se & per se, inordinatio ipsa, Deus non potuit ipsam inordinationem imperasse; sic enim esset ea mactatio Deo & volita, quia eam imperavit, & non volita, quia est ipsa inordinatio. 4. Actus est ens reale & positivum, 2. & causationis primæ causæ proprius effectus & terminus, 3. & ens physicum. At inordinatio est ens privativum 2. à Deo non causatum: nam Deus non peccat, nec peccati causa est. 3. Inordinatio est essentialiter ens morale & violatio Legis Divinæ. Deus indifferente influxu ex *Jesuitis* & *Arminianis* causatus est ex officio primæ causæ actum manus, labiorum, palati & gulæ *Adami* tangentis & manducantis fructum illum: erant enim hæ actiones entitativæ & physicæ. At Deus ex nullo officio primæ causæ causatus est inordinationem & malitiam horum actuum. 5. Si actus ipse esset vetitus per se, Ergo etiam actus contrarius qui bonitati supernaturali substratus est, esset per se imperatus, & esset per se ipsa obedientia, & actus vitalis in actu credendi, & supernaturalitas & bonitas supernaturalis in illo actu essent etiam idem. At hoc communi sensui repugnat, ratio connexionis est omninò clara à lege contrariorum.

2. Ad rationes *Arminii* respondeo. 1. Quamvis ipse actus vetetur, nullo modo sequitur actum & inordinationem non distingui, ipsa nix est alba, An hinc sequitur nivem esse albedinem, aut nivem & albedinem non distingui? 2. Verum est actum physicum & entitativum formaliter à Deo vetari, & fateor vitandum actum physicum quia prohibetur à Deo, sed non sequitur non distingui, sed contrarium sequitur. 3. Falsum est quod ait *Arminius inordinationem totam in eo consistere quod actus ille edendi locum habeat in numero & ordine actionum humanarum nam non fuit inordinatio formaliter in eo, quod actus physicus edendi fuerit in numero actionum humanarum.* Nam posito quod Deus talem legem non tulisset, *non comedes de hoc fructu arboris scientiæ.* Ille actus physicus *locum*

ficus *locum habuisset in numero actionum humanarum*, & tamen nulla omnino inordinatio fuisset *in numero actionum humanarum*. At tota inordinatio in eo fuit quod actus ille existeret non simpliciter & quatenus est in lineâ physicâ sed quod existeret cum jam DEUS se eam actionem moraliter detestari & improbare Adamo testatus fuisset. Hoc est quod existeret in lineâ morali & cum prohibitus jam esset à legislatore. 4. Quod ait *Arminius, actum non fuisse omittendum propter inordinationem accedentem, sed omittendum fuisse per se & propter se quia fuit vetitus lege divina.* Nugas vendit, nam actum omittendum esse propter inordinationem est illud ipsum & idem quod est actum omittendum esse quia lege vetitus est, & quia in lineâ morali inordinatus est, & sic nobis favet, nam hoc probat actum vetari & ipsam inordinationem accedentem actui in relatione ad legem DEI vetantem, formaliter & primariò prohiberi quia ipse actus prohibetur, actum ipsum & inordinationem, seu entitatem physicam & entitatem moralem ab Arminio inscio & invito distingui. Nam quid est quæso esum omittendum esse quia lege vetitus est, Certe nil aliud est quam esum omittendum esse, quia evadit moraliter inordinatus, & quia legislator dicit, ego beneplacito meo sapienti judico esum illum esse inexpedientem & moraliter malum & inordinatum. 5. *Remonstrantes* an ignorantiam an contradicendi libidinem prodant puerili hoc argumento, nescio. Dicunt *scelera semper scelerate fieri.* At quid tum postea? Ergo in omni peccato non distinguuntur actus & inordinatio actus, si syllogismo usi fuissent hic, fuisset proculdubiò syllogismus in quartâ figura & mente captus. Nam ipsam malitiam in abstracto aptant actui entitativo adulterandi in *David* in concreto, quod est aptare quadrata rotundis. Ipsa malitia non potest non fieri malitiosè: at actus amandi uxorem proximi habet tamen in se actum physicum contradistinctum ab inordinatione, alioquì omnis inordinatio non fundaretur in aliquo actu entitativo, privatio non esset in subjecto privato, nec malum bono inhæreret, nec *Deus* per limitationem legalem circumscripsisset actus entitativos. At hoc est principia ἀμετανόητα convellere, libidinem nó fieri libidinosè, & scelus nó scelerate innuerit aliam libidinem fieri libidinosè aliam non libidinosè. 6. Quod vero *Sibbaldus* ex *Arminio* & *Grevinchovio* in concionem suam Jejunam tale sufflatus sit, Ex nostrâ sententiâ sequi DEUM dicere, *vide ne dum macharis*,

mœcharis, occidis, mentiris, malè facias & Legem DEI violes. Id ineptè objicit: nam quoad sensum dum Deus adulterium prohibet, dicit, vide ne actio physica generandi sit alia quam casta & matrimonialem torum decens: non autem incestu aut adulterio conspurcata. Nam Deus Lege sua actus nostros in se naturales & indifferentes circumscribit, determinat, limitat, ut Sancti & Legi suæ convenientes sint. Ideoque actum ab inordinatione immunem fieri jubet Deus. 7. Supponit hæc ratiuncula *Arminianorum* malitiam consistere in modo & fine indebito, & obtinere tantum hanc distinctionem *actus* & *inordinationis*, in circumstantiis actuum vetitis. At nos non tam fungi sumus, ut dicamus malitiam in esu arboris scientiæ consistere tantum in indebito modo, & fine edendi, circumstantiis prohibitis, imo malitia edendi est in actu ipso quoad substantiam actus prout actus dicit moralem ad DEI legem habitudinem, imo volumus nos distinctionem hanc obtinere in omnibus peccatis quibuscunque. 7. Falsum etiam est illud *Grevinchovii*, *posita lege DEVM nullo modo aut respectu velle actum prohibitum.* Nam si sermo sit de volitione DEI morali & ethicâ quæ in malitiam actûi adhærescentem terminetur, id quidem concedimus. Nam Deus nullo modo approbare potest malitiam, non potest *Sanctus ille Israelis* non odisse omnem impietatem, ut abundè testantur Scripturæ. Sed si loquamur de volitione DEI physicâ qua Deo placet ens physicum, complacentiâ physicâ, quâ omnia entia physica prosequitur, omnino falso falsius est Deum actus physicos in lineâ physicâ & in sphærâ entium positivorum consistentes nullo modo aut respectu velle, nam tali volitione vult omnes actus physicos, quali vult cœlum, solem, lunam, mare, terram, aves, & pisces esse in rerum naturâ.

Grevinch. contra Amesiû pag. 386.

Sed neque moramur quod ait *Grevinchovius id lex immediatè prohibet & mandat quod est in hominis potestate: bonitas autem & malitia non sunt in hominis potestate nisi ratione actuum, ergo ipsi actus immediate à DEO prohibentur & mandantur & citat illud Apoc. 2, Opera Nicolaitarum detestor. Ergo opera positiva prohibentur.*

Resp. valebit totum, nam totum hoc agregatum ex actu & bonitate vel ex actu & malitiâ est formaliter in nostrâ potestate & prohibere actum docemus quod in nostrâ potestate est, non agere possumus, vel agere. 2, Deus detestatur opera *Nicolaitarum* quia

prohibita

prohibita : ideoquo propter malitiam. Præscinde & tolle ab actibus malitiam, & nihil remanet quod Deus odit, punit, nihil pro quo Christus sanguinem suam expendit. Nec Christus aliud quam peccata nostra, non opera nostra physica in arâ crucis portavit, *Esai. 53. 1.* Sed quia vetita sunt Lege Dei eadem expiavit & pro iisdem passus est.

23. *Did. Ruiz* similia habet. *Quamvis formalissima & primaria ratio prohibendi sit malitia, nihilominus id quod prohibetur, ut quod, est actionis substantia, cui necessariò & inseperabiliter adjuncta est malitia. Et si non foret prohibita materialis actio, non teneremur eam vitare. Confirmatur. Quando præcipiuntur virtutum actus, eo ipso prohibetur quicquid attulerit ipsius actus impossibilitatem: sed materiales actiones peccatorum, quantumcunq; præscindantur à formali ratione malitiæ, impossibilitatem afferunt contrarii actui præcepti. Ergo quando præcipiuntur virtutum actus, eo ipso prohibentur materiales actus peccatorum. Ut præceptum diligendi DEVM prohibet materialem actionem odii DEI.* Ruiz de vol. Dei disp. 33. S. 4. fig. 13. & 22.

Respondeo 1. Actus malus est & quo & quod prohibitum : quia enim vetatur actus entitativus inde formaliter resultat malitia & vetita ἀνομία: non enim formaliter pecco producendo actum ut pertinet ad lineam physicam, sed quoniam ita Deo visum est ut actus vetetur, inde est malitia, neque malitia est ratio formalis prohibendi, sed contra, prohibitio est formalis ratio malitiæ. 2. Quoties præcipitur virtutum actus, non necesse est ut actus contrarius & cum actu virtutum incompossibilis prohibeatur formaliter, vel ut *quo* vel *quod*, sufficit quod ille actus contrarius sit vitandus ex obligatione physicâ quâ tenemur vitare quicquid infallibiliter ad actum formaliter prohibitum ducit. Nec quia tenemur vitare actum materialem in lineâ morali, inde benè concluditur actum materialem in lineâ physicâ vitandum esse, obligatione morali, nisi ex hypothesi datæ Legis Divinæ, adeoque nec sequitur esse sic id quod prohibetur, vel ut quo vel ut quod. Materialis actio odii Dei essentialiter includit & actum entitativum & malitiam, nempe ab objecto Deo exoso, ideoque instantia non est ad rem. Falsumque est actus merè entitativos impossibilitatem afferre actus contrarii. Hoc non probatur, nisi sermo sit de impossibilitate secundum quid, ex hypothesi quod jam sit actus vescendi fructu arboris scientiæ, non

potest esse abstinentia ab eo actu, stante hâc hypothesi, quia omne quod est, quando est, necesse est esse : at simpliciter *Adamus* potuit abstinuisse, neque actus vescendi *incompossibilitatem affert actus* non vescendi vel abstinendi, nisi quando actus vescendi jam est.

Ruiz ib. sig. 20. 21.

Ruiz. ib. *In prohibitionibus non est sensus, Cave, ne dum actionem prodictis, quâ DEVM in testem adhibes propositionis quam scis esse falsam, cave, inquam, ne ad illam actionem sequatur malitia moralis, fieri enim nullâ ratione potest, ut malitia non sequatur ad hujusmodi actum. Ergo ipsa materialis actio prohibetur.* Item. *Euangelium prohibet actiones vitales ad quas animalis homo propendet.* Rom. 8. *Facta carnis sunt mortificanda.*

Respondeo 1. Quia illæ prohibitiones feruntur hominibus legis obligationi subjectis, talis sensus est fictitius, nam habet hunc sensum, *Cave ne dum pejeras, sequetur perjurium ad actum pejerandi.* Nam posito quod homo legi subsit, hoc ipso quod actionem producat, quâ Deum in testem adhibet propositionis quam scit esse falsam, foræ maliter pejerat : sed pone aliquem legi non obnoxium, tum talis homo satis caveret, ne ad orationem materialiter falsam sequeretur malitia. 2. Consequentia est itaque nulla, nam non concluditur negatum, nam tantum sequitur materialem actionem in lineâ morali prohiberi, quod nos docemus. Et probat hoc optimè ipsum actum prohiberi, quia ita Deo visum est, ex prohibitione verò resultat malitia. 3. Euangelium prohibet actiones vitales, quis neget ? Sed actiones in lineâ merè physicâ prohiberi fuit probandum.

CAPUT

CAPUT XXVIII.

Refulgere specialem DEI providentiam determinatricem actuum peccati, eosq; individuantem. 2. Arminianorum & Jesuitarum concursum generalem ex ipsorum doctrinâ DEUM scelerum nexu implicare. 3. Defenditur distinctio quâ actionum malitia à voluntate creatâ, non à DEO ortum habere ostenditur.

ARgumentum vicesimum est. Si DEUS specialiter decernit & determinat hunc actum entitativum peccati quoad individuationem actus, non potest otiosè sic permittere peccatum; implicat enim mihi manifestam contradictionem, talis individuatio & indifferens permissio. Sed 1. actum peccati à DEO determinatè individuari certum est. 1. Quia si non cadit in terram passer, non capillus de capite, non fors hæc potius quam illa è gremio egreditur, absque determinatrice DEI voluntate, nec sine eâ homo in hanc peccati, potius quam in illam foveam cadit. 2. DEUS omnia creavit numero, pondere & mensurâ. Ergo ab æterno determinavit tot actus liberos, non plures, non pauciores. Miserum est Adversariorum hic refugium, DEUM non absolutè, sed ex hypothesi liberæ determinationis creatæ voluntatis determinasse numerum actuum liberorum. 1. Quia sic antecedenter & primariò creata voluntas determinat numerum actuum liberorum, eosq; individuat, DEUS tantum more Scribæ consequenter approbat quod jam est à creaturâ statutum. 2. Quia sic DEUS non posset facere 28, aut 24. actus liberos, quia jam ante voluntas determinavit 25. 3. Scriptura hanc numero bonorum ablationem DEO refert, non aliam, *Job.* 1. Non ergo id determinationi liberæ *Chaldæorum* aut *Sabæorum* imputandum. Sancti illam eandem numero afflictionem, quam patiuntur hic & nunc à liberis agentibus DEO referunt: *Eli* in occisione filiorum à *Philistheis* sanctè acquievit voluntati DEI. *David Shimei* maledicentissimam linguam DEO refert Author. 4. Si actuum liberorum individuatio non esset Arg. XX.

Actus entitativos peccati a DEO determinari in individuo a cura et speciali DEI providentia in minutissima et maxime particularia demonstratur.

à Deo, nec à Deo esset copia liberorum, frugum, Armentorum, pecuniarum, aut inopia, cujus contrarium habetur, *Deut.* 28. Nam ista hominibus obveniunt actuum liberorum ministerio. 5. Nec esset à Deo determinante, quod *Achitophelis* consilium repudiaretur quod *Salomon*, non *Adoniah* Regni *Davidici* hæres esset, quod *Josephus* venderetur, non occideretur à Patriarchis in eum invidiâ æstuantibus, quod *Jaakobus*, non *Esaus* potiretur benedictione, quod milites latronum, non autem crura Christi frangerent. 6. Nec Deo constaret dominium in actus liberos, si individuatio actuum non esset à Deo, si enim à Deo determinante non est, quod hic actus liber exerceatur, hic & nunc, non ille, non dominatur Deus in actus liberos. 7. Si ipsa voluntas suos actus individuaret, non autem Deus, sequeretur Deum non tantum dependere à voluntate creatâ, sed etiam ab eâ ita dependere, ut non posset Deus hos, non illos actus producere, nisi voluntas prius suffragata fuerit Deo volenti, nec posset Deus hanc sortem, potius quam illam è gremio educere, nisi ipsâ sorte, vel potius fortunâ Deo prius annuente, nec esset à Deo quod hostes hi potius quam illi, hanc potius, quam illam eladem sanctis Dei servis inferrent.

Raynaud. Theo. natur. dist. 8. ar. 5. q. uni. fig. 369. Dist. 8. q 5 art. 5. figu. 370.

2. Respondet *Raynaudus*. *Quantum spectat ad simultatem rationis, verum est causam secundam prius ratione efficere determinationem illam formalem, quam DEVM; quia ratio propter quam hæc actio exerceatur hic & nunc, non petitur ex parte DEI, sed ex parte liberæ causæ.* Et alibi dicit, *non esse dependentiam, sed suavem dispositionem & accommodationem causæ primæ ad exigentiam causæ secundæ.*

Fasolus in 1. Tho. tō. 2. q. 14. art. 13. dub. 17. punct. 7. fi. 417.

Fasolus sic. *Dico quod primæ causæ voluntas & operatio, ut parata concurrere ad plura opposita, & ut conditionatè & physicè decernens concurrere & concurrens ad hoc præcisè consideratum, ad quod de facto concurrit est prior voluntate humanâ, & ejus operatione; ut vero absoluta & determinata moraliter, hoc est, ut ita decernens producere hoc & producens hoc, ut non decernat producere, nec producat aliud, est consequens & posterior, non posterioritate realis causalitatis ac intrinsecæ dependentiæ, sed solius extrinsecæ dependentiæ* (alibi simplicem præsuppositionem vocat) *ac proinde voluntas non est dicenda pedissequa, quia hâc voce significatur dependentia ac indigentia.*

Alpho. Curiel. 12. q. 79. art. 3. sec 4.

Alphonsus Curiel ita etiam loquitur. *Ratio quare DEVS se determinet ad concurrendum in executione ad actum peccati est volitio sua interna quâ DEVS statuit concurrere cum voluntate creatâ*

juxta

juxta ejus exigentiam, tamen conditio requisita ut ita se determinet, est concursus voluntatis creatæ vel ejus visio. Ita & *Duvallius. Causa* (inquit) *secunda determinat primam non in ratione causæ efficientis sed tantum in ratione objecti motivi.* Duvallius in 2. Thó. de gra. q. 5. de concur. art. 2.

Respondeo. Ita conantur *Sophistæ* dependentiam DEI à voluntate creatâ, quam manifestè satis adstruunt, eludere distinctiunculatum nebulis, sed nemo non videt *Raynaudum* sibi contradicere, nam unitatem numericam actus materialis peccati DEO tribuit. Sed si ratio *propter quam hæc actio libera exerceatur hic & nunc, non petatur ex parte DEI, sed ex parte liberæ causæ,* tum individuatio actus liberi est à voluntate creatâ, non à DEO. At sic corruit dominium Divinæ Providentiæ in actus. Et consolatio Christiana Ecclesiæ oppressæ à liberis agentibus vana est, fiducia in DEUM, qui actus liberos tales & tales, nec procurat nec impedit, nulla est, & nuda vox, prætereaque nihil. 2. Non est suavis sed acerba dispositio providentiæ quod penes voluntatem creatam sit, quicquid JEHOVAH noster in contrarium velit, aut decernat, quod hi actus liberi mali, non alii, hi boni, non alii exerceantur hic & nunc. 3. Non impugno quod voluntas DEI ejusque concursus non possint esse sine liberæ voluntatis creatæ operatione, sed è diametro cum speciali DEI providentiâ pugnat, quod à voluntate creatâ primario sit quod hic actus liber exerceatur, potius quam ille, à DEO verò tantum secundariò & subordinatè & dependenter à nutu creatæ voluntatis. Hæc vero est mera dependentia Creatoris à creaturâ. Si enim prius est nolle potius quam velle, & nolle A potius quam nolle B, & quidem à creatâ voluntate determinante, non à DEO determinante, tum physicè prius influit voluntas creata & moraliter determinata, quam DEUS influit. Vana ergo est illa *Fasoli* distinctio. 4. Nec valet *Duvallii* distinctio, causam, nempe, *secundam in genere objecti motivi determinare DEVM.* Nam sic voluntas creata est sola causa movens DEUM ad omnes concursus contribuendos causis secundis quos actu contribuit. In hoc ergo cardine, in determinatione labili creatæ voluntatis, vertitur numerus actuum liberorum & omnium pœnarum quas infligit DEUS per libera agentia omnium Electorum, Reproborum, conversorum, non conversorum, perseverantium in fide, deficientium à fide determinata multitudo aut paucitas. Creata itaque voluntas exara- Rayna. ib.

Jesuitæ distinctionibus obfuscant providentiæ specialis concursum determinatum ad actionem liberam hanc non illam.

bit librum vitæ & nomina primario inscribet, Deus secundariò tantum & approbativè.

Raynaud. in discuss. nova libertatis. part. 2. c. 2. fi. 7. & natur. Theolo. dis. 8. q. 5. art. 5. fig. 370.

3. *Raynaudus quamvis* (inquit) *DEVS sit absolute independens à creaturis, tamen si præcisè spectetur ut causa prima efficiens cum secundâ, dici potest in eo efficientiæ modo pendere à causâ secundâ, quia tunc verbum dependendi non aliud sonat, quam DEVM, suam potentiam ad agendum non applicat, plus quam applicat, ad influendum cum causa secunda, non posse hujusmodi actionem producere absque causâ secundâ. Quod verissimè dicitur. Sic ei astipulatur Sirenius qui ait intervenire subdependentiam vel contradependentiam divinæ voluntatis ab humanâ, sicut princeps quoad aliqua obsequia sibi à coquo suo exhibita dependet à coquo, licet coquus multis aliis titulis longè aliter pendet à principe. Bellarmin. consultius ducit abstinendum esse à voce dependentiæ ad declinandam invidiam.*

Sirenius de fato. lib. 8. c. 21. Bellarmin. lib. 4. de grat. c. 15. ad arg. 2.

Respondeo 1. Jesuita quæstionis statum pervertit, non negamus dependentiam relationis, inter causam primam & secundam in agendo, observat *Francisc. de Arriba Jesuitarum* & *Dominicanorum* de contraversiis divinæ gratiæ Reconciliator, hoc sensu dependet Deus à causis vitalibus, quod repugnet Deum producere effectus vitales nisi per causas vitales, sed quæstio est de dependentiâ causalitatis, docent enim illi Deum non posse producere actum liberum nisi voluntas creata prius naturâ determinarit concursum primæ causæ. 2. Princeps non pendet a coquo, quod sint vel non sint talia obsequia, potest enim princeps in hoc genere impedire quæ coquus facit, eique talia obsequia præstanda imperare, suamque voluntatem per coquum effectam dare, at Deus hos potius, quam illos actus liberos vel procurare, vel impedire per voluntatem creatam non potest, quia penes voluntatem creatam, nullo vero modo penes Deum est ut tales, & non alii sint actus liberi. Sed est hæc *Pelagii* causa quam olim refutavit *Bradwardinus*. *Si voluntas creata prius naturaliter agit, quam DEVS, quia illa agit, ut tu (Pelagiane) dicis, ideo DEVS vult eam agere, alioqui voluntas creata illiberè ageret, ergo DEVS illiberè causat suum actum.*

DEVM dependere à creata voluntate fingunt Jesuitæ.

Bradward. de caus. Dei lib. ca. 31.

Raynaud. discuss. novæ libertat. par. 2. c. 3. fig. 34.

4. S. Si *individuatio* actus liberi est à voluntate creatâ, non à Deo tum voluntas creata erit primum operans & primum determinans, id quod fatetur *Raynaudus*. *Dico* (inquit) *determinationem ad exercitium actus liberi erit à causâ secundâ, quæ eatenus potest dici primum principium actionis,*

um actionis, quatenus nulla assignare potest causa alia, cur hic actus exerceatur, quod maximè patet in actu peccati. Nulla ergo alia causa erit ne quidem Dei providentia, nec divina gratia cur exerceatur actus potius conversionis ad Deum, quam non conversionis, imo nulla, inquam alia causa dari potest, præter solum liberum arbitrium. 2. Dicit hoc *maximè patere in actu peccati.* At subdolè, cur non id maximè patet in actu credendi, resipiscendi & Deum supra omnia diligendi, nam voluntas æquè libera est libertate contradictionis in actibus bonis & supernaturalibus atqui est in actibus peccati, & tanto quidem liberior, quanto sanctior, et senior.

Voluntas Creata erit primum determinans ex Jesuitis.

Ib.

Addit *Raynaud. divinus concursus, priusquam voluntas se ad agendum determinet, non est actualis, sed tantum in preparatione.* —— *dico DEVM determinari suo modo, id est objectivè & materialiter, quia quamvis sit actio prævisa, tamen non est exercita, ideoque actio* (libera) *non aget concursu DEI reipsa exhibito, nec habet esse absolutum in rerum naturâ, nec ad modum impressionis, sed ad modum objecti movet DEVM, & è conditionato transit in absolutum, cum primum conditio ponatur ex parte voluntatis creatæ, & hoc non est creaturam præcesse DEO, sed est DEI bonitas quæ sequitur suum factum, & relinquit meritum creaturæ.*

Respo. 1. Licet Divinus concursus *priusquam voluntas se ad agendum determinet, non sit actualis sed tantum in præparatione* & potentiâ ad agendum, tamen determinatio creatæ voluntatis verè præscitur ut realiter & infallibiliter futura, & tamen fieri potest ut Dei concursus tam non ponatur quam ponatur. Et voluntas sic est primum agens sine Deo. 2. Egregiè sane distinguitur *voluntas* (inquit) *determinat DEVM* ad agendum & concurrendum *materialiter tantum & objectivè, non ad modum impressionis*, sed nec diabolus homines in flagitia atrocissima, nec in Tartara solicitat & impellit, *nisi objectivè tantum* & suasoriè, *non ad modum impressionis* aut *efficacis physicæ* tractionis; voluntas ergo creata eo modo determinat voluntatem Dei ad concurrendum cum peccato, & tali causatione objectivâ & materiali ad omnes actus positivos impellit, quali *diabolus* ad peccata impellit, diabolus autem verè causativè ad peccata concurrit. Quo modo servus à domino, ancilla ab hera ut hoc agat non illud quod Dominus aut hera faciendum imperant, eodem modo Deus.

modo Deus à causâ liberâ pendet, Deus enim cogitur ratione officii causæ primæ præstare concursum ad actus finalis inobedientiæ, ubi ipse cupit & summopere desiderat tribuere suum concursum ad actus finalis inobedientiæ. 3. Voluntas præscitur operatura, non *egens concursu DEI reipsa exhibito*, sed tamen in hoc signo Deus nondum decrevit dare suum concursum qui est principium essentialiter prærequisitum ad voluntatis operationem, ac hoc est Deum prescire operationem tanquam futuram, & tamen ea operatio est non ens, quia concursus ad eam operationem necessarius est non ens 4. Quomodo *Deus* præsciat eam operationem ut futuram, & tamen quasi nondum excercitam, est ἀμαλαληπτον. 5. Parum refert quo modo voluntas creata Deum ad concurrendum determinet, sive objectivè, sive effectivâ impressione, ex sententia tamen Adversariorum, individuatio actus liberi est à voluntate creatâ, non à Deo. 6. Bonitas Dei in concurrendo duplex est. Alia dependentiam causativam præsupponens & subjectiva, quo modo bonus est servus qui hero obsequitur, & talem bonitatem Deo affingunt adversarii quod absurdum est: Alia est bonitas liberi beneplaciti qua Deus concurrit cum nullâ dependentiâ subjectivâ à voluntate creata, sed quia ita vult concurrere juxta æternum suum decretum, & talem bonitatem in Deo conurrendo cum causis secundis nos agnoscimus, eam vero adversarii non ferunt, quod est Deum servum dependentem à nutu nostrę voluntatis, & nostram volũtatem *Dominum* fingere.

Ruiz tom. de scient. Dei disp. 50. sect. 2.

9. Ruiz. *Ex suppositione quod DEVS videat fore, ut voluntas creata se determinet ad materialem actionem peccati, adhuc divina voliti*o, *quoad totum suum intrinsecum & realem modum volendi manet prorsus indifferens & solâ denominatione extrinsecâ est determinata, quia solummodo vult concurrere ad actionem omnem quatenus participat communem rationem actionis, nihil aliud volendo, nisi quod prædictâ præcisione significetur. Probatur. Si DEVS vellet particularem actionem peccati, ex suppositione quod videat illam futuram esse, sequitur actionem illam absolutè amari à DEO & placere DEI voluntati, & sic DEO etiam placeret turpitudo inseperabiliter annexa: —— hinc DEVS non locat voluntatem in talibus circumstantiis, quia vult ut eas actiones eliciat, sed tantum quia vult permittere illas, licet DEVS complaceat in suo concursu generali sanctè dato & in effecto inde sequuto.*

Deus vult actionem liberam in communi & hanc actionem in individuo.

Respondeo 1. Quod Deus velit ens & actionem in communi &

non

non hanc actionem, refutatur à *Raynaudo*, qui invehitur in *Alvarem* & *Vestonum*, quod *Molinæ* tribuerint omnes gradus Metaphysicos concursus non esse à Deo, sed tantum generalem. 2. Contradictio est quod Dei voluntas sit ad hunc actum indifferens & determinatè velit communem rationem actus. 3. Si Deus vult ens in communi & entitarem generalem in actibus peccati, & eam causatur ut Author naturæ, Ergo etiam ut author naturæ causatur hoc ens determinatum & actum materialem hunc positivum qui hic & nunc exercetur, sed posterius Adversariis est absurdum. Ergo etiam prius. Probatur Major. Deus non potest velle actum odii Dei in particulari, quin etiam vellet malitiam ei inseperabiliter annexam, uti ex pio contra nos argutantur Adversarii. Assumo. Atquì ens in communi, & actio in communi multò inseperabilius habet sibi connexum hoc ens & hanc actionem materialem odii Dei, quam actus habet annexam sibi malitiam. Deus ergo non potest velle actionem in communi, quin necessariò velit hanc actionem materialem, puta, odii Dei. Ratio est quia genus quamvis non purè æquivocum, cujusmodi est ens, inseperabilius coexistit cum speciebus quam subjectum cum suo accidenti. Nec possibile est genus seperatim subsistere extra suas species. Licet subjectum subsistere possit sine hoc vel illo accidente communi. 4. Si Deus, prævia determinatione voluntatis, vult tantum concurrere ad actionem quatenus participat communem rationem entis & actionis, tum Deus non vult concurrere ad hanc actionem hic & nunc positivam. Ergo vel actio hæc positiva à Deo omninò non fit, quod absurdum, vel Deus facit actum entitativum, quem nec absolutè, nec conditionatè vult facere, quod est Deum ens positivum facere planè nolentem, quod absurdum. Nec hanc sententiam ferret *Suarez*, qui ait, *DEVM determinatè & definitè velle cum voluntate concurrere ad actum in particulari & in individuo.* 5. Ipse *Ruiz* alibi dicit. *DEUM Sauli peccata permisisse ut populum puniret per ejus peccata in regimine commissa. Ergo* (inquit) *intentio inefficax permittendi Sauli peccata fuit prior, quam provideretur Sauli peccata absolutè futura.* Mirum igitur est Deum concurrentem cum actibus peccati *Sauli* velle tantum communem rationem actionis, cum efficaciter voluerit ut *Sauli* peccata populi rebellis supplicia essent, nec enim actio in communi sed quâ injusta, populi fuit justum supplicium,

Raynaud. discip. moral. dist. 4. q 3. art. 5. sig. 358.

Suerez. de auxil. lib. c. 15. num. 3.

plicium. 6. Si concursus est sanctè datus ad actionem quatenus paritcipat communem rationem actionis. Ergo est sanctè etiam datus ad actionem quatenus est hæc actio. Ergo voluntas sanctè velle potest actum hunc quâ actum: nam æquè sancta est DEI voluntas, atqui est illius concursus, & æquè sanctus est concursus, atqui est voluntas, alioqui posset DEUS esse Author peccati concurrendo, & non esse Author illius volendo, quod absurdum. 8. Si actio in communi abstrahit à malitiâ, & DEUS velit illum actum sub illâ abstractione, Ergo quia hæc actio materialis abstrahit à malitiâ, DEUS velle potest hanc actionem, etsi non vellet malitiam ei annexam. 9. Si DEUS non locat voluntatem in his circumstantiis quia vult ut eliciat actum materialem peccati, sed tantum quia permittit, tum DEUS vult hunc actum quâ ens in communi, & permittit quatenus est hoc ens, & pari ratione potest velle actum hunc quâ est hic actus & permittere malitiam illius, uti nos docemus.

Ibid. 10. Ruiz. *Ad actum determinatum requiritur concursus determinatus & imperium determinatum ad hunc actum. Ergo non sufficit DEUM velle actum quâ est ens in communi.* Ita objicit in se Ruiz. Respondet Ruiz. *Alium esse concursum DEI in actu primo, qui est concursus ad intra & præparatio ad concurrendum, alium ad extra, qui est actus externus receptus in voluntate. Dicit ad concursum ad extra sufficere volitionem indifferentem & indifferens imperium inclinans ad bonum magis quam ad malum, quia concursus DEI ad extra procedit à divinâ voluntate non tanquam à causâ determinante, sed ut à causâ indifferente, sed magis inclinante ad bonum, ideoque non esse necesse ut divina voluntas sit determinata, satis esse quod divina voluntas universaliter decreverit concurrere, ex hypothesi quod creatura velit.*

Disp. 50. sec. 3.

Respondeo. Non solvit Jesuita sic argumentum: nam voluntas interna ut venit ad actum externum est determinata ad externum concursum, alioqui DEUS concurrit & non determinatè decrevit concursum suum ab æterno, quod absurdum. 2. Nec possibile est determinatum actum fluere à causâ indifferente: nam ab eo quâ tali non magis fluit actus, quam non actus. 3. Adhuc manet dubitatum, nempe, DEUM causari actum hunc, & non velle actum hunc. Erit ergo sic aliquod ens positivum à DEO effectum quod nec cadit sub DEI voluntatem absolutam, nec conditionatam. 4. Decretum

generale

generale Dei concurrendi in nullum actum determinatum facit Deum inscium, dubium & confusum, secundum Jesuitarum placita.

11. Ruiz. ibid. objectio. *Concursus determinatus ad materialem actionem divinæ legi contrariam est malus, sed concursus DEI est hujusmodi. Ergo.* Respondeo (inquit Ruiz.) *distinguendo Majorem, concursus qui ad tales actiones determinatur à seipso, est essentialiter malus. At vero concursus qui essentialiter prius movet ad bonum, & non determinatur ad tales actiones nisi per concursum creaturæ non est malus, realis identificatio DEI concursus in se boni & DEO digni cum actione quidditativè Legi DEI contrariâ, propter munus primi entis, non maculat, sed potius commendat puritatem concursus illius.*

Respondeo 1. Si volitio humana vel Angelica in se pura velit id quod quidditativè malum, fieret polluta per accidens, uti arguunt Adversarii, cur non idem dicendum de Dei concursu, nisi immunitas à lege (uti nos docemus) concursum Dei salvaret? 2. Si identificatio concursus Dei cum actione malâ non maculat concursum, propter munus primæ causæ, nec Dei volitio maculabitur ab hoc quod Deus vellet actum materialem peccati; nam si Dei munus est tanquam primæ causæ concurrere ad omnes actus physicos, ejusdem etiam munus est velle eosdem; nam impium est Deum non velle quod efficit, & non æquè sanctas esse omnes Dei volitiones, atqui sunt illius concursus & coefficientiæ cum causis secundis. 3. Ratio *Jesuitæ* vana est & distinctio nulla, tam concausa est sceleris qui auxilium sceleri præstat determinatus tussu alterius, quam is qui ex se solo opem contribuit sceleri. 4. Nisi munus primæ causæ idem sit quod immunitas à lege & beneplacitum Dei quo concurrit cum malis actibus, & innocens maneat eo quod lege superior sit, fœdè hic petitur principium; nam quæstio est an munus sit primæ causæ malos actus concausari, id enim negarent, qui concursum Dei immediatum cum causis secundis, cum *Durando* non sustinent, ne fortè Deus fieret peccati concausa. 5. Huc refero quæ habet super hâc re *Hurtado de Mendoza*. Quia fortè liber non est lectori ad manus. *Dices* (objicit sibi sic) *ergo DEVS est causa peccati quia ipse est causa cur oriatur hoc peccatum, potius quam illud, —— estque hæc bona causalis. Hæc malitia oritur nunc quia DEVS vult eam, nego* (inquit) *consequentiam: ad probationem respondeo à DEO ex lege causæ liberæ creatæ parari concursum*

Ruiz *male Deum societate sceleris eximit quia concurrit ab alio determinatus.*

Hurtado de Mendo. disp. phys. 10 sec. 4 n. 42.

generalem ad aliquam actionem malam hujus speciei, quo posito quod refert eam parari ad hanc potius quam illam, semper enim parabitur ad illam indifferenter : —— malitia verò sumitur per ordinem ad nostram voluntatem. Et quare, quæso, per ordinem ad nostram voluntatem? certè quoniam nostra voluntas legi subditur; at nec Dei voluntas nec concursus ullis legum cancellis circumscribuntur. Id tameu indignè ferri ab Adversariis satis liquet. 2. Si Deus in paratu habet *generalem concursum* ad aliquam actionem in specie malam, vel hanc vel illam, est causa hujus mali actus eo modo quo est hujus boni actus. Qui est causa hujus mali actus, est causa mali actus.

Pennottus in propugnat. lib. huma. lib. 8. c. 4. fig. 6.

Ariaga curs. philosoph. dis. 10. sect 1. subj. 4. fig. 38.

12. Dicunt Adversarii *DEVM lege suæ bonitatis teneri non prædeterminare ad actus malos.* Et *Pennottus* & *Ariaga* dicunt *odium DEI respectu DEI non esse prohibitum, & creaturæ esse prohibitum, & ita probare quidem DEVM non peccare, at non probare DEVM non esse peccati causam. Deinde si carentia prohibitionis sufficeret ad liberandum DEVM à causalitate odii DEI. Ergo etiamsi malitia esset ipsa entitas positiva odii DEI, DEVS non esset causa illius. Si vero non sufficit, ergo sicut non obstante carentiâ prohibitionis, DEVS est propriè causa actus odii DEI, erit etiam causa privationis, nempe, malitiæ.*

Medina 12. d. q. 79. art. 2.

Respondeo 1. *Barth. Medina* ait *DEVM esse causam actus, hominem privationis, quia privatio non sequitur ex modo operandi DEI, sed ex modo operandi creaturæ, nam DEVS concurrit ut regula sibiipsi.* 2. Dei bonitatem essentialem esse Deo legem æternam nemo dubitat, sed an prædeterminare ad actus materiales peccati in eam legem impingat, quæstio est. Id nos negamus. 3. Vana est & ea distinctio inter *ad peccare* & *peccati causam esse*, qui enim est ullo modo causa peccati moralis (nam aliam causam non habet) is aliquo modo peccat, nam ei eatenus imputatur peccatum. 4. *Carentiam prohibitionis sufficere ad liberandum DEVM à causalitate odii DEI* habet duplicem sensum; nam carentia prohibitionis liberat Deum à causalitate morali & culpabili ipsius actus, id verum est; & tamen si homo concurrere physicè ad actum prohiberetur, & tamen concurreret verè esset causa moralis peccati & culpabilis causa. 2. Alius est verò sensus; nempe quod *carentia prohibitionis sufficiat ad liberandum DEVM à causalitate culpabili odii sui, si causaretur malitiam ipsam.* Hunc sensum nobis affingit *Ariaga*,

sed immeritò: nam odium Dei est formaliter quid à Deo prohitum, ideoque non sequitur, quod si malitia esset ens positivum (hoc est si malitia non esset malitia est enim formaliter ens privativum) quod Deus posset malitiam causari ex hoc quod legi non subjiceretur. Si enim maneret malitia & formaliter sic prohibita, repugnaret Dei constantiæ & immutabilitati eam causari, sic enim malitia esset à Deo vetita, & non vetita; si verò malitia esset ens positivum & non peccatum, nihil absurdi esset, si Deus esset illius causa. Notandæ itaque sunt hæ propositiones, (*quia DEVS supra legem est, potest sua jure concurrere ad actum peccati, & efficere ut actus sint in rerum naturâ*) hoc verum est. Et (*quia DEVS est supra legem, potest esse concausa peccati.*) Hoc est falsum, ab Adversariis tamen traditum; docent enim Deum causari actum peccati, esse causari malitiam annexam actui. *Alpho. Curiel* rem sic illustrat. *Æger manducans carnes in quadrigesimâ non peccat, sanus peccat manducando; sic submersio navis imputatur nauclero, non vectoribus.* Et hoc est in nostram sententiam ire, nempe obligatio ad legem vera causa est cur imputetur moraliter actus.

Curiel. 12. q 79. art. 1. sec. 5.

13. Ruiz. *Nec valet, si dicatur actionem ut à voluntate egreditur, esse à creaturâ deficiente, non à DEO, quia non tantum actio est à voluntate & à DEO, sed etiam ille ordo ad voluntatem creatam, quæ est formalissima ratio actionis, per quam illa qualitas quæ est odium DEI, suum esse recipit à voluntate creatâ; iste verò modus causatur à DEO tanquam ab Authore determinante & applicante voluntatem creatam, ut proprio ipsius voluntatis concursu producat talem qualitatem odii DEI. Ergo odium ut est à creatâ voluntate est à DEO, positâ prædeterminatione.*

Ruiz de volu. Dei disp. 37. §. 7.

Respondeo. Aliter visum est *Salmanticensibus* qui volunt actum materialem considerari ut *est formale fundamentum malitiæ*; & sic quidem *agens attingens fundamentum malitiæ quatenus est fundamentum non potest suâ malitiâ non attingere malitiam.* At si voluntas creata præcisè vellet id (in odio Dei) ad quod Deus prædefinit & prædeterminat, nempe actum in lineâ tantum physicâ, non peccaret, quod si peccat, ideo est, quia ultra se extendit, nempe quia elicit illud odium ut est dissonum Legi Dei. Sic ordo actus ad voluntatem duplex est physicus & ille est à Deo, & moralis & ille est à creaturâ deviante.

Iibd. Ruiz. *Formalis ratio meriti naturalis, non consequitur actum nisi prout est à voluntate creatâ: nihilominus DEVS est Author & Causa cur homo per sua merita naturalia lucretur. Ergo etsi malitia consequatur actum ut est à voluntate creatâ, non impediet quo minus DEVS sit Autor malitiæ, nisi discrimen aliunde ostendatur.*

Respondeo. Meritum (si vox ut à Patribus usurpatur, sano sensu sumatur) est per se bonum & à Deo effectivè procuratum & ab ejus gratiâ determinante voluntatem & ad opus & ad operis meritum: at malitia consequitur actum non ut actus est à Deo, sed ut à nobis deviantibus à regulis morum. Ideoque meriti & malitiæ nullo modo est par ratio. Nobiscum sentit *Pesantius. DEVS concurrit volendo non voluntate complacentiæ & approbationis, quod peccatum fiat, sed voluntate, quâ vult se concurrere ad illam entitatem, & illa entitas ut procedens à DEO tanquam à causâ primâ non est mala, sed est mala prout liberè procedit à voluntate creata.* Ita *Curiel, Soto, Vega, Duvallius.* Curiel in 12. q. 79. art. 1. sec. 7. Soto lib. 1. de natu. & grat. c. 18. Vega lib. 2. in Concil. Trident. c. 15.

Pesantius in 1. Thō. q. 19. art. 9. disp. 1.

CAPUT XXIX.

Calvinum, Bezam & *Nostros loquendi formulas Scripturis consentaneas usurpare & sensu orthodoxo nec cum Libertinis conspirare.* 2. *Objectionibus* Jac. Arminii & Jesuitarum *occurritur.*

I.

Calvin: li. 2. justit. c. 4.

Calvini & Bezæ expressiones eadem cum Scriptura.

Alvinus sic. *Ad hæc quoties in populi transgressiones vindicare illi placuit, quomodo opus suum in Reprobis implevit? ut videas efficaciam agendi penes ipsum (DEUM) illis duntaxat ministerium præbuisse.* Efficacia agendi in malis actionibus duplex est. Alia sanctæ providentiæ, judicialis, pœnalis, & hæc est Dei; Alia scelerata & injusta & hæc principalis est in suo genere, & peccantium propria. Nec aliter Scripturæ, quæ malos homines, dum peccant, vocant *DEI servos, virgas, baculos, malleos, securis, manus, retia, milites, nuncios, piscatores, aucupes, venatores,*

tores. Hoc sensu *Calvinus, impios arcanâ providentiâ impelli, quo visum est DEO.* Item. *Arcano instinctu concitari ad perdendum DEI Populum.* Item. *Pravos Chaldæorum animos ad perpetrandum flagitium* (in Jobum) *instigari.* Item. *Ad obsequia præstanda, quasi fræno cogi. Interea* (inquit) *tenendum radicem malitiæ fuisse in ipsis Ægyptiis, ut culpa in DEVM transcribi nequeat, dico sponte & intrinsecè malos fuisse, non alieno impulsu coactos.* Nonne Scriptura ait *DEVM Satanam concitare in Davidem, DEVM decipere Prophetam, jubere Shimeïum maledicere Vnto Domini, convertere cor in odium Populi sui?* *Bezæ* unus esto locus pro multis. *Sic autem per illa instrumenta DEVS agit ut ut non tantum sinat illa agere, nec tantum moderetur eventum, sed etiam excitet, impelleat, moveat, regat, atque adeo, quod omnium maximum est, etiam erect, ut per illa agat, quod constituit.* Duplicia sunt instrumenta, Alia moralia, & sic peccatores respectu finis à DEO constituti sunt instrumenta passiva, non quod merè passivè se habent in malè agendo, ut Adversarii *Lutheri* verba iniquè exponunt, sed quia dum DEI judicia exequuntur, in scii sunt, *non cognoscunt cogitationes Jehovæ, neque ejus consilium intelligunt.* Nec idem cum DEO intendunt. *Ipse verò non ita sibi proponit, & animus ejus non ita cogitat, sed perdere ei est in animo.* Imò nec formaliter libera sunt instrumenta respectu finis DEO constituti, quia ex cognitione non agunt, nihil enim, *Herodes, Pilatus & Judæi* de redemptione perditi mundi norant, dum necem Filii DEI molirentur. Alia sunt instrumenta naturalia. De prioribus instrumentis non de posterioris generis organis Nostri loquuntur. Elegânter *Augustinus. Est ergo in malorum potestate peccare ut autem peccando hoc vel illud faciant, non est in eorum potestate, sed DEI dividentis tenebras, &c.* *Zuinglius* tropo duriore ait *homines ad maleficia à DEO rogi.* Et verbo cogendi utitur Scriptura ubi voluntas libera manet, sed non sine *vaticinio.*

Joan. Calvin. comẽ. in Psa. 5. v. 5.
In Esai. 10. 5.
Justit li. 2. cap. 4. §. 2.
Justit li. 1. c. 17. §. 1.
Comen. in Psal. 105. v. 25.
Beza resp. ad Castel. aphor. 22.
Qualia instrumenta DEI sunt homines peccantes.
Micæ c. 4. v. 12.
Esai. 10 7.
Augustin. de prædest. sanctor. c. 16.
Protestantes nihil commune cum Libertinis *docere*
Genes. 33. 12.
1 Sam. 28. 23.
Mat. 6. 47.
Act. 16. 15.
2 Cor. 12. 15.

2. Quid? Nostrine hic cum *Libertinis* conspirant? minimè verò. Nec *Libertini* nostram sententiam orthodoxam, nec nos *Libertinorum* propugnamus. Nam 1. *Quintinus* libidinosus ille porcus docuit DEUM ipsum esse, *qui in sure formaliter furetur, in sorto sortetur, in perjuro mentiatur, & pejeret.* Nobis talia dogmata ipsa invidia non est ausa objectare, docemus, coram DEO, & Angelis sanctè asserimus, testamur, palam dicimus, DEUM nec peccare nec

nec peccati causam esse, *quin Sanctum illum Israelis* peccata execrari, detestari, improbare, vetare, punire. 2. *Quintinus* docuit, furta, mendacia, perjuria, homicidia, non tantum esse sancta & laudabilia Dei opera, sed nec esse citra blasphemiam vituperanda, nam furta & homicidia vituperare, dixit esse blasphemè Dei sancta opera vituperare, ideoque peccatores ne quidem vituperandos, nisi quis *Deum* vituperare non verecundaretur: nam sciscitanti cuidam quis interfecisset hominem in viâ jacentem, respondet, *ego, ego is fum, imò ego admisi, Deus admisit*, inquit *Quintinus*. Ipse Diabolus non est ausus nobis talia imputare, nec *Jesuita*, nec *Arminianus*. 3. *Libertini* Dei & hominum opera mala per omnia esse eadem & similia docuerunt, & quidem similia non tantum physicè & materialiter, sed etiam moraliter, quasi Deus tam vituperio, quam peccator dignus foret si modo reprehensio hic locum haberet, & quasi nos tam a lege Dei soluti fuissemus, atqui ipse Deus. Nos contrarium docere omnibus liquet qui scripta nostra vel leviter recoluerunt, & hic adversariorum conscientias obtestamur. Deo enim in malis operibus puram punitionem & providentiæ sanctæ sanctum actum utpote omni lege superiori tribuimus, homini vero legi obnoxio actus pravos vituperio & pœnâ dignos, & quod ad operis moralitatem attinet omnibus quatuor causis, Dei actioni tam contrarium, quam sunt ignis & aqua, & lux & tenebræ. 4. *Libertini* docuerunt perperam homines judicari aut pro malis condemnari, quia Deus ipsos suâ providentia regat, & peccatum ipsis peccatoribus bonum esse, & cedere in bonum, ideoque hypocritas esse qui alios judicant peccative condemnant, abutentes dicto illo *Salvatoris*. *Matt.* 7, 5. *Hypocrita, erue prius trabem ex oculo tuo* &c. Nemo nobis tale quidquam affingit. 5. *Libertini* neminem ex conscientiæ officio à peccato absterreri tradiderunt, nam volunt Dei voluntatem irresistibilem omnibus pro conscientiâ esse, nihilque Deo displicere quod homines Dei voluntate (omnia autem bona juxta & mala illius voluntate faciunt) omnia mala patrent. Nos conscientiam peccatorum tanquam unicum religionis fulcrum urgemus, premimus, inculcamus. 6. *Florentini* dixerunt peccatum esse meram opinionem & imaginationem, & Deo nihil esse; nos peccatores esse, quia peccant, iræ Dei, & æternæ condemnationi subjicere docemus. 7. *Libertini* sapientiæ esse professi sunt

carni &

carni & genio indulgere, & lautè & genialiter, omni peccati, conscientiæ, & extremi judicii abjectâ curâ vivere, absit ut nobis quicquam tale in mentem veniret. Videat lector plura de hisce apud *Eusebium*, *Calvinum*, *Theo. Bezam*. 8. Incidi in quendam nebulonem dum *Abredoniæ* manerem hæresi Antinomianâ fœdissimè conspurcatum, is regenitos peccare non posse, legi nulli subesse, conscientiâ peccati non amplius teneri, justitiâ Christi imputatâ rectos asseruit, soloque veros protestantes, & genuinos *Lutheri* Discipulos esse qui talia credunt. Episcopi tamen utriusque regni, quamvis omnes purioris Religionis Assertores atrociter persequantur carcere, exilio, & exautoratione, in tales ipsis satis notos nunquam in hunc diem animadverterunt. Quin audio apud Anglicanos Episcopos & Arminianæ sectæ sectatores, omnes nostros qui pro providentiâ Dei actuolâ in peccatis cum *Calvino* & *Beza* stamus, audire *Antinomianos* & *Libertinos*.

Eusebius li. 5. histor. c. 19. Calvinus adver. libe. lib. 3. & 4. Beza cont. Seb. Castel. lionem 3. calum. ca. 13, 14, 15.

3. Qui nec à nobis nec ab Adversariis stant, arguunt. *Qui est causa causæ, est etiam causa causati: sed* DEVS *est causa causæ*, juxta nostram doctrinam. *Ergo est causa causati, nempe, peccati.* Majorem dicunt esse Maximam Logicam. Probant Minorem. *Quia qui sciens & volens est causa actionis, cui annexa est malitia, est causa malitiæ ab actione illâ causatæ, sed* DEVS *sciens & volens est causa actionis, nempe prima. Ergo est causa malitiæ.* Huic argumento non una adhibetur responsio. Nam illud sic corroborat *Theo. Smising.* *Qui est causa alicujus, est etiam causa annexi sive per se (annexum sit) sive per accidens, licet illud non intendat, sed præter intentionem & casualiter causet, verbi gratiâ, fodiens verè est causa per accidens inventionis Thesauri, quem ignorabat ibi latere. Alphons. Curiel* sic. *DEVM non posse deficere in agendo dicitur.* 1. *Quod non possit deficere in actu secundo.* 2. *Quod non potest habere defectum, quasi in actu primo, ratione cujus tribuatur ipsi defectus actus secundi, sicut universaliter dici solet, defectum actionis præsupponere aliquem defectum in suo principio; ideo peccatum præsupponit semper defectum in intellectu. Ex his quamvis posterior sensus sufficiat ad colligendum Deum non esse causam per se defectus, quia non habet defectum in virtute activâ, & defectus solum reducitur in defectum principii, tamen non videtur satis ad probandum* DEVM *non esse causam per accidens peccati. Claudicatio non reducitur in* DEVM *ne in causam per se, id est,*

Qui est causa causæ est causa causati. Deus est causa causæ peccati, &c. disquiritur.

Smising. tom. 1. trac. 3. dis. 3. de vol. div. fig. 62. Curiel in 12. q. 79. art. 1. sec. 7.

est, in se habentem virtutem deficiendi, benè tamen ut in causam per accidens, quia est causa actionis positivæ ad quam consequitur defectus.

Duvallius in 2. Thō. q. 10. art. 1. tractat. de peccatis.

Duvallius. *Si* DEVS (inquit) *crearet hominem cæcum, defectus cæcitatis referretur in* DEVM, *quamvis ipse non sit deficiens. Ergo ratio cur defectus peccati non posset in* DEVM *referri, non est præcisè quia non est defectibilis.* Sed Responderi possit Jesuitæ *Smising*, Deum laxè sumptâ voce esse causam peccati fatuam, ut dicunt, & sine quâ non: Non est in quæstione inter nos, nec negarent, credo, Adversarii Deum esse hoc sensu admodum improprio causam peccati, quia nisi Deus hominem qui peccat, creasset, peccatum nunquam fuisset inter homines. 2. Ad *Cuielem* & *And. Duvallium* respondetur, ab unâ specie ad aliam non valere consequentiam. Nempe probant eorum rationes Deum esse causam physicæ privationis, uti claudicationis & cæcitatis, sed hinc minimè concluditur eum esse causam privationis moralis, id enim Deo indignum foret.

Richard. 2. d. 37. art. 3. q. 1. art. 2. Gabriel ib. q unic. art. 3. dub. 3.

2. *Richardus* & *Gabriel* dicunt. *Qui est causa causæ seu actus, est causa causati ab eo, si causa potest esse sine causato, non tenere axioma, quia* DEVS *potest producere actum entitativum odii sui sine malitiâ.* Non malè, si aliud exemplum quam odium adhibitum foret, meo judicio, sic respondetur, qui enim est causa causæ seu actus per influentiam & causationem physicam, est etiam causa, nempe, moralis causati, putà malitiæ, quæ nullam causam nisi moralem habet, hoc modo axioma non obtinet, alioquì qui est causa physicè influens causæ, est etiam causa physicè influens causati, nempe privationis physicæ, neque jure meritò *Mæratius* & *Vasquez* in hoc responsum involant. *Quia etsi* (inquiunt) *nulla sint opera peccati, quæ aliquo modo fieri non possint, sine malitiâ, tamen si* DEVS *est causa hic & nunc actus odii quando non potest non ex illo oriri malitia, cur non erit causa malitiæ?*

Mæratius tom. 1. trac. de peccato disp. 11. sec. 3. Vasquez in 12. tō. 1. dis. 129. c. 5.

Respondeo. Facile illud (cur non) tollitur, quia physica causatio actus ab eo qui lege superior est, non est statim causatio entis moralis & privationis quæ actum sequitur.

Scotus 2. dist. 37. q. 2. sec. 1.

4. Respondet etiam *Scotus, ideo malitiam peccati non esse à* DEO, *quia non astrictus est ad dandum actui rectitudinem; malitiam verò homini ascribi quia debet rectitudinem actui.* Hæc nostra est responsio. Deus concurrendo non est causa peccati, quia est omni lege superior: homo verò est causa peccati quia abstinere tenetur. Et

relatio

relatio subjectionis ad legem facit hic hominem causam moralem culpabilem, & carentia hujus relationis causa est cur Deus hoc sensu non sit causa moralis, sed à *Soto*, *Cano* & *Vasquezio* dicatur quasi *causa physica, quasi non necessaria & non libera.* Nec Deus omnem rectitudinem actui negat; quia (ut ait *Faber Faventinus*) *DEVS dat rectitudinem debitam actui privativè, quia nollet illum esse, sed voluntas creata non dat hanc rectitudinem privativè, quia vult elicere illum actum etiam si sciat esse contrarium DEI voluntati.* Neque jurè carpit *Vasquez* hoc responsum: *quia* (inquit) *homo non ideo peccat, quia debet rectitudinem tribuere actui, quia ille actus* (puta odii Dei) *non est capax rectitudinis, sed ideo quia sit contra rationis regulam.*

Faber Faventinus l. 1. sent. distinct. 39. disp. 54 q. unic. fi. 61. Vasque. ib.

Respondeo. Actus entitativus qui est in odio Dei est actus verè humanus & de se indifferens. Ergo est capax rectitudinis. 2. Si homo ideo peccat in actu odii Dei, quia ille actus est contra regulam rationis, obtinemus institutum, *homo* ideo peccat quia actui entitativo qui subest odio Dei, negat eam rectitudinem quam regula rationis isti actui inesse flagitat, & hoc est, quod nos dicimus.

5. 3. Respondet *Occam.* & cum eo *Cameracensis*, *ideo creaturam esse causam malitiæ quia actum differmem legi producit, & malitia est aliquid plus quam actus difformis: dicit enim semper inconvenientiam cum lege & supponit agentem legi subjici, sed actus quâ actus nullam subjectionem moralem dicit.* Et hoc responsum cum nostro coincidit, quia Deus producendo tantum actum, non potest censeri causa malitiæ. Nam malitia aliam causam habere non potest quam moralem: at productio nudi actus tantum requirit causationem physicam, non moralem.

Occam. sent. lib. 3. dist. 12. Cameracens. lib. 1. q. 13. art. 1

4. *Molina. Vt non* (inquit) *imputantur Fabro facinora quæ ab iis fiunt, qui gladiis non rectè utuntur, eo quod gladij indifferentes sint ad bonum & malum usum, ita cum concursus DEI sit indifferens ad bonos vel ad malos actus, non DEO sed arbitrio abutenti concursu DEI indifferenti tribuendi sunt,* estque communis Adversariorum responsio; quippe negant sic hoc axioma universaliter. *Qui est causa causæ est causa etiam causati.* Volunt enim id obtinere in causis particularibus & determinatis, non in universalibus & indifferentibus.

Molina de concord. q. 14. art. 13. disp. 32.

Respondeo. Sed quia Deus ut causa universalis levat brachium in actu homicidii, concursu quidem indifferente, hoc est, cum

scelere minimè conjuncto, verè tamen causativo, plus longe causalitatis confert ad actum peccati in genere causandi, quam Faber ad actum homicidii, quippe, qui fabrefacit tantum gladium sed occisoris manum & animum physicè non attingit causatione aliquâ: at Deus causativè ad modum causæ physicæ concurrit & cum animo & cum manu occisoris. 2. Quia causa indifferens verè est causa, ideo sicuti est causa causæ, est suo modo causa causati. Sicut Sol est causa hominis, est etiam modo causandi universali causa hominis cæci nati, aut bicipitis. Objicit *Molina* ibid. *Sicut culpa datur Fabro, cum gladium tradit ei, quem probabiliter novit eo abusurum, ita DEVS concurrens cum eo, quem certò novit abusurum concursu DEI, erit in culpâ.* Respo. *Molina. DEVS est Dominus omnium: —— at homines DEO & Legibus Divinis subjecti tenentur lege naturali impedire peccata proximorum suorum.* At quid hoc aliud est, quam ad nos confugere? Nam nisi Deus esset absolutus Dominus & omni lege superior, ejus concursus ad actus peccati ipsum sceleris causalitati implicaret. Ergo juxta hoc responsum, ideo Deus non est causa causati, nempe, peccati, licet concurrat ad actum entitativum, etiamsi sit causa causæ, quoniam legi non subjicitur. 2. Juxta doctrinam Adversariorum, hoc est petere principium, uti nobis objiciunt, nam essentialis Dei sanctitas est Deo regula quâ nec peccatum permittere, nec auxilium causativum actui peccati contribuere, teneretur, sicut lex Dei homines obligat, ne vel peccata proximorum permitterent, quatenus possunt impedire, vel cum actibus causativè concurrerent.

Molina ib.

Richardus Feildus in opere Anglicè conscripto de Eccles. lib. 3. c. 3. pag. 121. Durandus l. 2. dist. 37. q. 1. Suarezius Metaphys. tom 1. dis. 22. sec. 4 p. 522. & pa. 126.

5. Respondet *Richardus Feildus Anglus DEVM non posse velle actum, quin necesse sit ut velit deformitatem ei insepeperabiliter & necessariò annexam*: idque probare conatur contra Reformatas Ecclesias, ex *Durando* & *Suarezio* malè intellectis. Ideoque docet ibidem pag. 126. *Vniversalem motorem movere & impellere omnes creaturas, sive bonas sive malas ad actiones convenientes conditioni & statui naturæ in quo sunt, & si hic sit status aversionis à DEO, quia ipsius voluntas est, quod nihil maneat otiosum & actionis expers, qualis naturæ agentis convenit. Exemplum est equus claudicans agitatus à sessore, qui à se, non ab actore habet, quod claudicet.*

Respo.

Respondeo. *Feildus* Vir alioqui doctus in his contraversiis minimè se versatum esse prodit. Ejusque responsio contradictionem involvit, nam *si DEVS non potest velle actum, quin necesse sit, ut velit deformitatem ei inseperabiliter annexam,* DEUS nec potest velle suum impulsum & motum, quo ut motor universalis movet creaturas malas in actibus malis ipsarum naturis convenientibus, quin necesse sit ut velit deformitatem tali impulsui inseperabiliter annexam. Hoc autem *Feildus* non admitteret. Imò dicit expressè ex *Cumele*, quem etiam non satis intelligit, quippe non satis guarus contraversiarum *Arminianarum*, & scripsit dum Aulam Arminiani plus æquo faventem haberent, *implicare contradictionem quod DEVS efficiat ut voluntas nostra tales actus operetur, quoad materiale & non etiam quoad formale, inseperabilem, nempe, malitam.* Et instantiam dat in odio DEI. Sed *Cumel* eo loci non suam, sed aliarum refert sententiam. Nam *Cumel Suarezii*, & reipsâ *Bellarmini* & Jesuitarum argumenta quibus ipse minimè acquiescit, repetit & refellit. 2. Si movet DEUS physicè creaturam agentem, movet etiam eam ad malitiam, vult enim efficientiam actus & malitiæ efficientiam, ita inseperabiliter conjunctas esse, ut seperari nequeant. Sunt *Feildi* verba. Nec *Durandus* de aliis quam positivis actibus voluntatis loquitur. Non de privationibus actuum loquitur. Malè & ineptè *Feildus Suarezium* nobis Adversarium, sibi & veritati in hâc causa contradicentissimum allegat. Nam *Suarez* Jesuiticæ doctrinæ adhærens doctrinæ Orthodoxæ Protestantium hostis est.

6. 6. *Alvarez* ait quosdam respondere *DEUM influere in actum peccati, non positivè & propriè, sed negativè, quoniam non impedit peccatum, quum posset impedire, sed permittit illud.* Et hæc est *Juliani* opinio, quam refutat *Augustinus*; & certè *Jesuitæ* & *Arminiani* cum *Juliano* dicunt *homines non per DEI potentiam, sed per patientiam seu per nudam permissionem indurari:* Ideoque quia DEUS est causa causæ tantum negativè, non impediendo actum, non sequitur eum esse causam deformitatis. Sed injuriam non mediocrem in DEI providentiam infert hæc opinio de otiosâ DEI permissione. Epitom. de auxil. li. 2. c. 9. Augustin. contr. Jul. lib. 5. c. 3.

7. 7. Hoc axioma. *Qui est causa causæ, est etiam causa causati*, ait *Maratius* Jesuita non valere in causis liberis. Et ad arg. *Qui est causa* Maratius tom. 1. trac. de peccato disp. 11. S. 5.

causa causæ, est etiam causa causati, sed DEUS est causa causæ, nempe, actus peccati. Ergo est causa peccati. Dicit esse in syllogismo quatuor terminos. Qui est causa actus physica est causa actus moralis, falsum est. DEUS autem est causa actus physica. Non sequitur eum esse malitiæ seu actus mali causam moralem. *Gibeuf* ait *quod voluntas deficiat, id esse ex se, eo quod ex nihilo constet, & non reducendum esse id in DEVM. Bannes, Alvarez, Thomas, Capreolus, Ferrariesis* dicunt peccatum seu *malitiam sequi ex actu quatenus fluit à libero arbitrio, non à DEO: ideoq; axioma non esse usquequâque verum.* Quod vero *Bellarminus* ait, *ad hoc ut aliquis peccet, non requiri, ut velit malitiam quâ talem, vel malum quâ malum*, facile diluitur. Nam si reduplicatio referatur ad voluntatem peccatoris, verum est peccatorem non eligere malum quâ peccatoris voluntati malum apparet, sed quâ bonum jucundum, aut utile carni, sed si reduplicatio referatur ad ipsum peccatum, tum falsum est, quia peccator eligit potius id quod essentialiter & per se malum est, quam DEO placere. Rectè etiam *Soncinas* ait *privationem sequi actum vel per se & ex essentiâ & naturâ actus, sic qui est author formæ, est author consequentium formam, & hoc modo malitia non sequitur actum. Privatio sequitur actum non ex naturâ actus, sed ex relatione ad agens, in quantum egreditur ab agente cui præfixa est lex. Et sic quicunq; est causa actus, non est causa privationis actum consequentis.* Ita & *Raynaudus.* Ita *Canus, Sotus, Mæratius, Vasquez.* Ita Nos.

Gibeuf. de libe. hum. lib. 2. c. 25. fig. 15.
Bannes tō. 1. q. 23.
Alvar. de auxi. lib. 2. c. 9.
Thomas q 3. de malo. art. 2. ad. 2.
Capreo. 2. sentēt. dist. 37. art. 2.
Ferrarienſ. cont. Gentes lib. 3. c. 71.
Bellarmin.
Socinas capitom. in sentent. 2. dis. 37. q. 1.
Raynaud. theol. nat. dist. 1. q 3. art. 1 fi. 52.
Can. loc. l. 2. c. 4.
Sotus de nat. & grati. l. c 18.
Mæratius loc. cita. §. 12.
Vasquez. in 1 2. tom. 1. disp. 129. c 7.

8. Objiciunt Nostris. 2. *Qui efficaciter procurat peccatum fieri, is est author peccati, sed DEVS secundum dogmata Calvini, Bezæ, &c. efficaciter procurat peccatum fieri. Ergo DEVS secundum dogmata Calvini, Bezæ, &c. est Author peccati.* Ita Jesuitæ & ipsorum misera progenies, *Arminiani, Pseuda-Lutherani & Sociniani* in nos arguunt.

Respondeo 1. *Qui efficaciter procurat peccatum, est author peccati.* Vera Major hæc est de procuratione peccati per efficientiam & volitionem peccati approbativam. At sic Minor est falsa. Sed qui efficaciter procurat peccatum per determinationem voluntatis ad actum, non ad malitiam, & per infallibilem malitiæ permissionem is est author peccati, sic falsa est Major. 2. Acer Jesuita *Hurtado de Mendoza. Peccatum quâ peccatum reduplicat modum quo peccaminosè oritur à suâ causâ, ut vitalitas reduplicat modum quo peccaminosè oritur à suâ causâ vitali. At peccatum non oritur* (procuratur) à

DEO

DEO modo peccaminoso, sicut nec modo vitali, quia à DEO oritur (procuratur) *actus physicè juxta leges suæ sapientiæ & nostri liberi arbitrii petentis compleri ad liberè operandum.* 3. Nec Nostri sic loquuntur, si *Piscatorem* excipies, nempe ait *DEVM procurare ut fiant peccata*, sed sensu sano quo Scriptura ait DEUM decipere, indurare, tradere efficaciæ erroris, auferre bona *Jobi* per mera latrocinia ei surrepta.

Arminius Antiperkl. criminat. 3 pag. 694. 695.

9. 3. *Arminius* sic. *Permissio peccati secundum Calvinum, est causa peccati. Ergo si DEVS est causa permissionis erit causa peccati. Quia Perkinsius* sic. *Quod DEVS non impedit, ideo evenit, quia DEVS non impedit; & quod non est, ideo non est, quia DEVS vult non esse. Concludo. Ergo non impeditio DEI* (inquit *Arminius*) *& eventus copulantur inter se ut causa & effectus & quidem immediatè. Et sic non impeditio habet rationem energeticæ effectionis.*

Respondeo 1. Permissio est aliud formaliter quam non impeditio, ut supra docui, non enim est mera negatio. 2. Quod DEUS non impediat res fieri, non propriè infert eventum rei, nam ad existentiam rerum positivarum ponendam necesse est concurrat actio DEI positiva. 3. Particula (*ideo*) vel sumitur, *illativè*, vel *causativè*: Priore modo, quia DEUS non impedit peccatum fieri, impeditione gratiosâ quæ est efficacis gratiæ. quâ sanctè à peccato abstinetur, collatio, ideo peccatum fit, sed inde nullâ arte logicæ *Arminius*, si vel ipsa logica esset, conficit *DEI non-impeditionem* esse peccati causam, quia DEUS non obligatur non impedire peccatum. Posteriore modo falsum est *Perkinsii* mentem esse, peccatum *ideo*, id est, ex hâc causâ evenire. *quia DEVS peccatum non impedit.* 4. Si particula (*ideo*) *causativè* sumpta, sumatur negative, per viam non removentis prohibens quæ est impropriissime causa in effectibus moralibus, & ad causam physicam reducitur, sic præter *Arminianos*, nemo neget, hominem *ideo* peccare, quia gratia efficaci, quâ datâ, à peccato sanctè abstinuisset, destituitur, alioqui DEO abstinentiæ à peccato, nulla laus, & ejus gratiæ nulla gloria vel debita vel reddenda esset, hoc autem *Pelagianum* est. Sed an inde *Arminius* rectè colligit DEUM esse peccati causam? Minimè vero, quia inde tantum sequitur non existentia physica non abstinentiæ à peccato, non autem non existentia moralis, quomodo ex medico non curante morbos multorum egenorum

Quomodo peccatum ideo eveniat, quoniam Deus per efficacem gratiam id non impediat, contra Arminium.

egenorum in civitate, quos non obligatur curare. sequitur mors multorum egenorum consequentiâ quadam physicâ non morali, quia peccatum qua peccatum causam moralem reduplicat, ut rectè ait *Mendosa*, uti causa vitalis actus causam vitalem reduplicat. Sed certe sic *Arminius* Deum peccati authorem facit. Nam definit *permissionem suspensionem impedimentorum, quibus positis necessario peccatum non fieret à creaturâ.* Item *necesse est nulla argumentorum istorum persuadeatur voluntas ad nolendum* (peccatum) *secus permissio non fuerit.* At sic certe *Arminius* ait ideo peccatum Judæ esse, quia Deus suspendit impedimenta, quibus positis necessario *Judas* laqueo vitam non finiret. Secus Judas sibi necem non creat permissus à Deo.

Jac. Arminii disp. 10 thes. 4.

Armin. Antiperkinsp. 701 Bellarmin. de amiss. grat. lib. 2. c. 8.

10. 4. ob. *Quod DEVS odit, prohibet, punit, id nullo modo* (inquiunt *Arminius, Bellarmin*) *vult, atqui DEVS odit, prohibet & punit peccatum. Ergo DEVS nullo modo vult peccatum. Ps. 5.* Deus *non volens iniquitatem.* Minorem probat abundè scriptura. Probant majorem, quiâ Deum odisse peccatum est Deum nolle peccatum fieri, ergo nullo modo potest aliâ voluntate velle ut fieret peccatum: contradictoriæ enim sic in Deo forent voluntates.

Respondeo. 1. De punitione peccati, nihil dico adhuc. Quia odii Dei erga peccatum, & punitionis non est eadem ratio. Sed illud, *Quod* Deus *odit, illud nullo modo vult fieri*, simpliciter negari potest, nam cujus (*fieri*) seu existentiam odit, id Deus nullo modo vult fieri, id concedo. Assumo, atqui Deus vult fieri & existentiam peccati odit. Hoc falsum est, id quidem *Arminius* strenuè asserit, sed ægrè, imò nunquam probat. 2. Qui peccatum odit hoc est non approbat, sed moralitatem ejus improbat ut iniquum quid, is non potest velle, hoc est, decernere ut existat peccatum se permittente, creaturâ efficiente, nego sic majorem. Qui vero omninò odit, ita ut ne quidem decernente voluntate possit velle existentiam peccati propter declarationem nominis sui gloriæ, is nullo modo velle potest peccatum, concedo sic majorem. Assumo. Atqui Deus ita omninò odit peccatum, ut ejus existentiam ne quidem voluntate decernente possit decernere, hoc omninò falsum est. Malè & omninò ineptissimè exponunt *Arminiani* odium Dei erga peccatum, nam Deum odio habere peccatum, non est Deum decrevisse ut nunquam existeret peccatum in rerum naturâ.

turâ. Odit DEUS crucifixionem *Salvatoris*, at non decrevit ut illa crucifixio nunquam existeret ad redimendum genus humanum. Semper miserè erratur ab Adversariis, non intelligendo distinctionem *voluntatis signi & beneplaciti*. Nam voluntas approbans quâ talis moralitatem actuum approbat vel improbat, sive ii actus extituri sint in rerum naturâ, sive nunquam extituri sint. At verò voluntas decernens non respicit rei moralitatem bonam vel malam, sed ponit rem suo demum tempore extituram, sive non extituram, siveres eæ sint bonæ, sive malæ, ideoque primo voluntas decernens est rerum existentiæ vel non existentiæ creatrix causa, ideoque propriè dicta DEI voluntas, voluntas signi seu approbationis non est rerum existentiæ creatrix, & minus propriè est voluntas, quia non est rerum causa & creatrix. 2. Voluntati decernenti propriè opponitur permissio naturalis & efficax quæ propriè nomen permissionis meretur, quia est efficax impeditio, sicut ea voluntas DEI est propriè voluntas, quæ efficax est. Rom. 9. *Voluntati ejus quis resistit?* Psa. 115, 3. *Quodcunque DEVS voluit, id fecit.* Sed voluntati approbanti opponitur, permissio moralis quæ improprie est permissio, nam sic judex terrenus omnes suos subditos peccare impedit, hoc est non permittit peccare, id est, lege vetat ipsos peccare, & huic voluntati opponitur sic permissio impropria, quæ est relaxatio ab obligatione legali. Ideoque volnntas approbans impropria est voluntas. Inde minimè sequitur has voluntates esse contrarias.

Voluntatis signi & beneplaciti differentiæ notatu dignæ.

11. *At DEVS necessariò amat suum bonitatem & perfectionem. Necessario ergo odit omne peccatum, quod illi perfectioni repugnat, non ut forma formæ, sed ut dissonum suæ regulæ.* Ita *Lessius.*

Lessius de divin. perfecti. lib. 8. c. 1.

Respondeo. DEUM necessariò odisse peccatum voluntate approbante, Ego non inficior. Ergo voluntate decernente ut peccatum nunquam existeret? Nego Consequentiam. 2. Examen meretur an DEUS necessitate naturæ odio habeat peccatum, & an peccatum opponatur essentiali DEI bonitati, id ego, salvo eruditorum Doctorum judicio, modestè nego, donec lux clarior affulserit; nam peccatum pugnat cum liberâ *Dei* approbatione, non cum *Dei* naturâ aut naturali bonitate. Quid? an esus fructus vetiti pugnat cum naturali DEI bonitate, ita ut DEUS illum necessitate naturæ odio habeat? Id mihi falsum est, quia potuit DEUS, siquidem ita libere voluisset, esum talis arboris imperasse. Imò DEI naturæ non repugnat

Quatenus DEVS necessitate naturæ odio habeat peccatum.

pugnat omnes actus physicos prout abstrahunt à malitiâ imperasse, nam lex est libera volitio officii subditorum, & libera circumscriptio Supremi Legislatoris quâ actus omnes in se indifferentes, pro suâ liberâ voluntate, vel imperat, vel vetat, & quos imperat, vetare, & quos vetat, imperare pro suâ libera voluntate potest. DEUS Ergo ex hypothesi quod hunc libere vetet, eum necessario odio habet. Objici potest, sic ergo non *repugnare DEVM velle & amare peccatum, si peccatum non naturaliter, sed liberè odio habeat.* Respondeo id minime sequi, quia hoc posito, quod DEUS hos actus semel improbarit, jam DEI constantiæ & immutabilitati repugnat eum posse illos amare. Et hoc sensu essentiale est DEO odisse malitiam quâ talem. At objici potest, sic ergo DEUS odio habet peccatum, sive peccatum non vult, uti non-creationem mundi non vult, necnon adventum CHRISTI ad judicium, antequam reveletur *Antichristus*, nam ea DEUS non potest non velle ex hypothesi sui decreti, & tamen simpliciter non repugnat DEUM nolle non-creationem mundi, imò sic DEUS est simpliciter & sepositio decreto suo libero indifferens ad volendum peccatum, vel nolendum, uti est indifferens ad pluendum vel non pluendum. Quod absurdum. Respond. Nec hæc consequentia valet: nam malitia essentialiter & formaliter includit nolitionem & improbationem malitiæ tanquam rei moraliter iniquæ & creaturæ rationalis obligativæ, & malitia quidditativè dicit repugnantiam cum sanctâ DEI voluntate; at verò non creatio mundi, τὸ pluere, vel non pluere essentialiter non includunt vel volitionem vel nolitionem DEI, nam DEI voluntas accidentalis est utrique, ideoque longè dispar est ratio horum & pecti. At si sermo sit de actibus peccati eos DEUS eodem modo non vult quo non-creationem mundi, intelligo, pari & eâdem planè necessitate, quia ex necessitate naturæ DEUS nec vult non-creationem mundi, nec non vult eam, sed ex merâ liberâ voluntate eam vult, & ex merâ suâ libertate, nullâ vero naturali necessitate vult aut non vult omnes actus peccati. Ideo magnus *Bradwardinus*. *Non est in mundo peccatum & deformitas simpliciter, respectu primæ causæ, cum cujus sapientiâ omnia conspirant, sed tantum respectu creaturarum. Et quilibet actus respectu DEI Autoris est justus.* Nec ego absurdum esse duco, DEUM ad omnes actus terminatos ad creaturam & extra se volendum aut nolendum esse indifferentem, uti in-

Bradward. de causâ DEI lib. 1. c. 34.

differens

differens ad volendum aut nolendum non-creationem mundi aut ad pluviarum aut non-pluviarum volitionem, & hoc sensu est quo ego nego peccatum materialiter consideratum esse DEO odio & abhominationi ex necessitate naturæ, sed tantum liberè DEUM id odisse. Objecti. 3. Object. *At quia DEVS est essentialiter sanctus, ideo hos actus imperat, illos vetat. Ergo naturaliter DEVS quosdam actus amat, quosdam odit, & non liberè.* Respondeo. 1, *Naturale* bifariam sumitur. 1. Quod à naturæ principiis merè pendet, ut urere est igni *naturale*. 2. *Naturale* dicitur id ad quod natura inclinat, sed mediante libero arbitrio, hoc modo ridere est homini naturale, sed interveniente libero arbitrio. Quia DEUS est *naturaliter* sanctus; sancta ipsius natura non priore, sed posteriore modo inclinat ipsum ad hos vel illos actus imperandos vel vetandos, sed interveniente libero DEI arbitrio quòd ipsum in exercitio sapienter determinat. Sic justitia est DEO essentialis, uti misericordia. liberalitas, benignitas, at exercitium justitiæ in puniendo, misericordiæ in succurrendo, benignitatis in benignè cum creaturis suis agendo est planè liberum. *Ad nullum objectum secundarium* (inquit popularis noster *Joan. Scotus*) *ita determinatè inclinatur voluntas divina, per aliquid in ipsâ, quin sibi repugnet justè inclinari ad illius oppositum.* Scotus 4. d. 46. q. 1. Duplex etiam est DEI sanctitas, alia absoluta & interna, ut cum DEUS sese & suum bonum, justitiam, rectitudinem, ut objectum honestum amat, alia est relativa & quasi externa, ut cum DEUS amat, & sanctè agit ad extra cum creaturis rationalibus, quicquid sapienti suæ voluntati liberę bonum videtur, & si oppositum *Dei* voluntati bonum videretur, illud etiam DEUS sanctè amaret & ageret. Hujus relativæ sanctitatis quasi regula est liberrima DEI voluntas peccatum formaliter sanctitati DEI relativæ, non absolutæ opponitur, ideoque in rigore dici non potest peccatum DEI naturæ formaliter opponi. *Duplex sanctitas DEI.*

12. Obj. 5. *Calvinus* (inquit *Arminius*) *dicit DEVM velle ut malum sit, non tamen velle malum, sed distinctio nihil soliditatis habet; odit enim DEVS malum, & odit mali existentiam: quumque malum consistat in actione, ejus fieri est ejus esse, & esse ejus est natura ejus.* — *Quia DEVS odit essentiam mali, ut ita dicam abusivè, ideircò vetat ne fiat malum: & causa cur nolit existere peccatum, est quia peccatum ipsum odit: sed non ita odit mali existentiam, aut malum ipsum, quin permittat malum fieri à liberâ causâ, non quia melius est ut sint* Arminius Antiperki. pag. 791.

mala, quam ut non sint, sed quia melius est primò — ut liberam obedientiam non impediat. Secundo, ut de malo benè faciat, quam malum esse non sinat. Hæc summa est. *Malum culpæ* (inquit Jesuita Fasolus) *nullam ex se habet rationem boni honesti. Ergo neque illud fieri, neque illud esse, habere potest aliquam rationem boni honesti: quia esse & fieri rei eandem malitiam & bonitatem habent cum ipsa re, cum quâ essentialiter identificatur. Ergo voluntas DEI non potest ferri in peccatum, vel in esse, vel in fieri.* Et *Augustinus. Ut mala sint bonum est, intelligendum esse ait, non de existentiâ peccati, sed de permissione peccati, quia permissio est bona.* Et *Arminius. Qui vult evenire lapsum, vult eventum lapsus, qui vult eventum lapsus, vult lapsum: eventus enim lapsus lapsus est, ut eventus actionis ipsa actio.*

Fasolus in 1. Thō. tom. 2. q. 19. art. 9 dub. 3. fi. 9, 10.

Enchirid. 96.

Antiperki. pag. 647.

Respondeo 1. Verspellem Sophistam se prodit *Arminius* in nostris distinctionibus recitandis. Est nostræ causæ bonæ malus causidicus. Distinctionem peccati secundum essentiam & existentiam non usurpant Nostri, nisi una cum eâ adhibeatur distinctio *voluntatis signi & beneplaciti.* Quis nostrum neget DEUM odisse & improbare existentiam peccati? Quis docet DEUM amare & approbare existentiam peccati? hoc enim esset DEUM approbare peccatum existens, & sic posset DEUS nobis suadere & imperare existentiam peccati. Id vix *Florinus*, ægrè impurus canis *Quintinus* decoqueret. At nos docemus DEUM voluntate decernente velle, ut se permittente existeret peccatum ad Nominis sui gloriam illustrandam, & ipsum peccatum quoad essentiam ut malum inhonestum abhominari, detestari, improbare. 2. Falsum est, ἀτοπολόγον est, *peccatum fieri, seu existere esse peccati naturam.* Quid? estne existentia rosæ, natura & essentia rosæ? rosa igitur in hyeme, dependitâ existentiâ ipsius, essentiam etiam amittit. *Aristoteli, Platoni,* ἀλογον esset qui sic philosopharetur. Peccati certè essentia est, finitore *Joanne, legis transgressio,* sive existat peccatum, sive non, DEUS peccati nunquam existentiam sed tantum essentiam non vult. *Josephus* constuprationem Dominæ suæ, quæ nunquam actu extitit, odio habuit. *David* occisionem uncti Domini à se patrandam, nunquam verò patratam odio habuit. *Cato Major* (ut observat D. D. *Tuissus*) voluit *Carthaginem* esse, seu existere quatenus fuit cos & materia virtutis Juventutis Romanæ, & tamen non voluit, non amavit, non approbavit *Carthaginem.* Debebat *Petrus* velle ut *Salvator* sui

DEVM approbare peccatum existens vel peccati existentiam nemo dicit ex nostris Theologis.

DEVM velle ut peccatum existens non est Deum velle aut approbare peccatum.

non

non misereretur, sed ut à peccatoribus occideretur, & quia hoc nolebat, Satan à *Salvatore* audiebat non sapiens ea quæ sunt DEI, & tamen debebat nolle & improbare facinorosum & injustam occisionem *Salvatoris*. Falsum ergo est vel DEUM vel hominem peccatum quoad essentiam, & idem quoad existentiam eodem modo velle & nolle posse. *Arminio* argumentanti hæret aqua. 3. Falsum est *causam DEO cur non vult existere peccatum esse quia peccatum ipsum odit.* Debebat bonus Logicus probasse solidâ ratione aliquâ *DEVM nolle existere peccatum.* Id nusquam in totâ Scripturâ comparet: *DEVM nolle ullum in mundo peccatum existere*, scilicet *Arminii oris* halitus, aut calami litura nuda valida est probatio; DEUM vetare ne fieret peccatum, non est DEUM velle & decernere ne fieret peccatum, quod est jam in quæstione. 4. Negat *Arminius* DEUM ideo permittere peccatum, *quia melius est ut sint peccata, quam ut non sint, sed quia melius esset ut existeret libera obedientia, & melius est ut DEVS de malo benefaciat, quam ut malum esse non sinat*, id est, quia melius est ut sit peccatum, quam ut non sit; nam DEUM potius benefacere de malo, id est, DEUM declarare gloriam justitiæ vindicatricis & misericordiæ condonantis, potius quam non sinere peccatum esse, est revera DEUM potius procurare ut existat peccatum, se permittente, creatura efficiente, quam non procurare ut existat, quia sine actuali existentiâ peccati impossibilis est declaratio gloriæ justitiæ vindicantis & misericordiæ condonantis. Dicit ergo *Arminius. DEVS ideo permittit peccatum, non quia melius est ut sit peccatum, quam ut non sit*, sed ideo quia melius est ut sit peccatum, quam ut non sit peccatum. En vertigo Sophistæ. 5. Errat *Fasolus* cum *Arminio*, qui vult *Augustinum* intelligendum esse de permissione peccati, non de peccato; nam *Augustini* sensus nullus esset hoc modo. Ideo *DEVS* (nempe) *permisit peccatum esse, quia melius est ut permitteretur, quam ut non permitteretur.* At *Augustini* ipsa erat quæstio cur melius est quod permitteretur peccatum, quam ut non permitteretur, an benè solvit quæstionem idem per idem respondendo, quia nempe melius est permissio quam non permissio: at ea erat quæstio ad quam solvendam *Pelagiani* adigebant *Augustinum.* Deinde *Augustini* verbis nihil potuit fingi contradicentius, dicit enim ille, *ut mala sint bonum est*, non vero ut permissio sit bonum est. Non addam, quod etiam est verissimum, si

Quomodo verum sit illud, melius est peccatum fieri seu existere quam non fieri. & quod Augustinus non loquatur de permissione in illo dicto, sed de peccata permissa.

existentia peccati mala est & DEUS existentiam incolumi & salvâ suâ sanctitate, velle nequit, ne quidem bonum est ut permitteretur peccatum, nam ex ipsâ permissione DEUS minime *de malo benefacit*: permissio enim non est medium declarandæ gloriæ justitiæ punitivæ, sed permissum peccatum tantum est tale medium. DEUS quippe non ostendit se justum puniendo permissionem, aut condonatione gratuita permissionis, sed peccata puniendo, & peccata in CHRISTO gratiosè condonando. 6. Peccatum fieri seu existere bonum est occasionaliter, vel bonum est, licet non honestum, attamen conducibile, cum enim materia non materiet, ut loquuntur, vel actum materiandi, seu causalitatem materialem non exerceat, nisi quatenus actu existit, (peccatum enim in potentiâ & quoad essentiam spectatum nullâ justitiâ à DEO puniretur) peccatum actu existens est idonea materia DEUM glorificandi per declarationem Divinæ Potentiæ, Severitatis, Justitiæ, Longanimitatis, & gratiosæ in CHRISTO Salvatore Clementiæ; at peccatum ipsum quoad essentiam spectatum est malum inhonestum & gloriæ legislatoris dedecorosum. Si ergo peccatum quoad essentiam est malum, & quoad existentiam est bonum, optimè ergo terminare possunt in DEO diversos actus, imò interdum in homine, nempe nolle & velle. *Deus* ergo bene potest nolle peccatum quoad essentiam, & velle peccatum quoad existentiam. 7. DEUM simpliciter & sine adjecto velle peccatum, ut invidiæ conflandæ nobis animo loquuntur *Arminiani*, nobisque affingunt, sonat DEUM efficere aut approbativè velle peccatum, at DEUS hoc sensu, nec per se, nec propter gloriam suam vult peccatum, DEUS enim non malum facit, ut inde bonum eveniat, ideoque rectius dicimus DEUM velle seu decernere ut eveniat, seu existat in rerum naturâ peccatum, se permittente, non approbante, creatura efficiente. 8. DEUM odisse peccati existentiam & eventum, secundum dogma adversariorum, est DEUM decrevisse ut nunquam existeret in rerum naturâ peccatum, quod absque rubore non audent adversarii dicere. Nam scripturę contradicit, DEUM decrevisse ut nunquam crucifigeretur *Filius DEI*, ut *Josephus* nunquam venderetur, Spiritus discordiæ inter *Abimelechum* & *Shechimitas* nunquam esset, decem tribus, a familia *Davidis* nunquam deficerent, populus DEI per *Chaldæos*, *Chaldei* per Medos nunquam vastarentur. Quin & ipse *Vorstius* ait *rationem boni esse in peccatis*, non

DEVS quo modo velit peccatum quoad existentiam peccati, & nolit illud quoad essentiam peccati.

Vorstius de DEO disp. 6. thes. 6.

non tantum quâ motus ſunt, ſed etiam qua peccata ſunt. Et quis ignorat DEUM odiſſe impios, at vero impiorum exiſtentiam in æternum durare velle, ut in æternum punirentur. 9. Neque aſſentimur *Faſolo* dicenti *quia malum culpæ nullam in ſe habet rationem boni honeſti, & ideo quia eſſe & fieri rei eandem malitiam & bonitatem habent cum re cum qua eſſentialiter identificantur, non poſſe voluntatem DEI fieri vel in eſſe, vel in fieri ſeu exiſtere peccati;* Nam 1. Etſi malum culpæ nullam in ſe habet rationem boni honeſti, non eſt ea ſufficiens ratio cur Deus, qui lege honeſti creati minimè tenetur (illud enim Deo eſt honeſtum quod ipſe vult, quia id vult, non quia id ut honeſtum creaturæ ſuæ præſcribit) id minimè velle poteſt, quia ſi habet rationem boni utilis, DEUS id velle poteſt. Peccatum autem eſt bonum utile. 2. Liceet *eſſe & fieri rei eandem malitiam & bonitatem, in genere* boni honeſti & mali inhoneſti, *habeant*, attamen in genere boni utilis & mali inutilis non eandem habent bonitatem, nam exiſtentia peccati utilis eſt, quia non poteſt puniri peccatum niſi exiſtens, at peccatum quoad eſſentiam ſpectatum nunquam exiſtens nullo jure punitur, non eſt ergo peccati & peccati exiſtentis eadem bonitas. Nam cauſæ & cauſæ in actu non eſt eadem & par cauſatio. Falſò denique *Arminius* dicit *eventum lapſus eſſe lapſum, & eventum actionis eſſe ipſam actionem.* Nam ſi *eventus* ſumatur pro effectu cauſato ſeu occaſionato per peccatum, hoc omninò falſum eſt; nam punitio peccati non eſt peccatum. Redemptio mundi non eſt crucifixio Salvatoris; ſi verò *eventus lapſus* ſumatur pro lapſu eveniente & exiſtente, verum eſt peccatum exiſtens prædicari de peccato, nam *peccatum exiſtens eſt peccatum*, ſed peccati & peccati exiſtentis alia atque alia eſt bonitas, & modo diverſo terminant DEI voluntatem. 11. Ex prohibitione & punitione peccati, non ſequitur DEUM non velle voluntate ſigni ut exiſteret peccatum. Imò ex voluntate ſigni non poſſumus inferre rei vel exiſtentiam vel non-exiſtentiam, ſed tantum rei moralitatem, nempe quid noſtri ſit officii, ſive obediamus, ſive non.

Peccati & peccati exiſtentis non eſt eadem bonitas & malitia.

Eventus peccati non eſt idem cum peccato.

13. Noſtri ſic arguunt. Qui peccatum quod futurum præſcit, impedire non vult, per gratiam efficacem, cum poſſet, ille vult ut peccatum eveniat, ſe permittente: ſed DEUS peccatum impedire non vult, per gratiam efficacem, cum poſſet. Ergo, &c. Reſpon-

det

det *Arminius. At nego ex nolitione prohibendi vel impediendi rectè concludi eventus peccati. Ex negativo actu affirmativus concludi nequit.*

Armin. Antiperkip. 699.

2. *Est fallacia* (inquit *Arminius*) *à dicto secundum quid ad dictum simpliciter, vult DEVS impedire peccatum secundum quid, prout decet, nempe actione ethicâ & resistibili, at non actione Omnipotenti & physicâ* (uti alibi loquitur.) 3. *Sic ergo* (inquit) *Qui peccatum odit & per legis positionem gratiæque sufficientis dationem impedire vult, ille non vult ut peccatum eveniat, sed DEVS hoc facit. Ergo*

Respondeo 1, Ex negatione includente affirmationem sequitur affirmatio, nam Dei non impeditio efficax peccati; & certa scientia futuritionis & concursus ad actum peccati, inferunt Deum velle ut eveniat peccatum. Imo quia, ut rectè *Bradwardinus. Respectu cujuscunque est DEI permissio est ejus actualis volitio.* Scriptura ex negativo, à Deo, volito concludit affirmativum. Ut milites non fregerunt ossa CHRISTI. Ergo impleta est Scriptura adeoque decretum Dei de non frangendis ossibus CHRISTI. Sic certe *Scholastici* optimè docent tam negationes quam affirmationes esse à Deo positivè decretas. Ut Non sint tres mundi, Ergo non est voluntas DEI, imò decrevit DEUS ut non essent tres mundi. Non salvatus est *Judas*, Ergo decrevit DEUS ut non salvaretur, Plusquam duodecim legiones Angelorum non liberarunt CHRISTUM à morte, DEUS ergo decrevit ut Angeli non liberarent CHRISTUM a bibendo calice. Id quod patet ex Salvatoris oratione, *Non mea, sed tua fiat voluntas.* atrox etiam injuria ab *Arminianis* & *Jesuitis* admittitur, qui volunt DEUM negativè & planè otiosè se habere, circa ea quæ non fiunt. uti circa non obedientiam *Apostatarum Angelorum* & hominum Reproborum. Ex negativo quidem actu creaturarum non satis Logicè concluditur actus affirmativus, sed ex negativo DEI actu optimè concluditur voluntas DEI positiva circa id quod fieri negatur, ut *Achabus* non revortitur in domum in pace, ergo ipsius non reditus positivè decernitur à DEO. *Chananæi* non steterunt in bello contra Populum DEI. Ergo positivè decrevit DEUS ut non starent: nulla consolatio, fiducia nulla suppeterent fidelibus in DEO si ipsius voluntate positivâ non arcerentur mala quæ nunquam evenirunt. Si DEUS decrevit ut sint boni *Angeli* 1798459000, procul dubio decrevit ut non sint plures, si decrevit ut numerus *Apostatarum Angelorum* sit 8713785900, procul dubio decrevit positivè ut non

Bradward. de caus. Dei lib. 1. c. 33. *A voluntate DEI signi concluditur moralitas rei & æquitas vel iniquitas non rei existentia, at ex eo ex voluntate beneplaciti non concluditur moralitas bona vel mala rei, sed optime existentia rei vel non existentia.*

Arminius nullam peccati impeditionem nisi moralem Ethicam, resistibilem consistentem cum interitu æterno omnium mortalium agnoscit.

ut non essent pauciores. 2. *Arminius* tribuit DEO peccati impeditionem non aliam quam moralem & resistibilem: hanc enim solam putat ille DEUM decere. Sed planè delirat. 1. Quia impeditio peccati resistibilis stare potest cum æterno exitio omnium Electorum Angelorum & Hominum. At DEUS talem providentiam quæ cum interitu omnium creaturarum rationalium consistat, non habet, nec habere decrevit. Stare potest & hæc impeditio cum omnium creaturarum rationalium æternâ salute: at in priore casu latuisset gloria misericordiæ parcentis, in posteriore, gloriâ justitiæ punientis, utrobique abscondita fuisset in æternum gloria CHRISTI θεανθρώπου. Quia talis impeditio, cui resisti potest à libero arbitrio creato dominium DEI in actus bonos & malos penitus evertit, fervorem orandi ne DEUS sineret nos finaliter deficere tollit, fiduciam, quâ credimus fore ut DEUS pro merâ suâ gratiâ ab Apostasiâ conservet, enervat, gloriam sanctæ à peccato abstinentiæ DEO ereptam, superbæ libertati hominis sacrilegè transcribit, gratitudinem DEO propter perseverantiæ gratiam, in quâ stamus, à DEO fulti & corroborati, planè evacuat. 2. Si non decet DEUM physicâ & irresistibili actione impedire peccatum, nec deceret DEUM physicè in nobis fidem operari, præsertim irresistibiliter in *Christo*, in *B. Virgine*, in *Jo. Baptistâ*, quod non audent Adversarii asserere. 3. DEUS in suam decentiam peccasset, si omnes infallibiliter converteret & salvaret, & homines orantes ut *Deus* ipsos indeclinabiliter in obedientiâ servaret, orarent ut *Deus* in ipsius decentiam peccaret. 5. Non est alienum à DEI decentiâ quod nonnullos confirmet & *stabiliat in gratiâ usq; in diem CHRISTI*. Ergo efficaciter in illis impedit peccatum, Ergo in quibus non impedit peccatum, eorum peccata evenire vult. 4. *Argumentum Arminii* præsupponit DEUM decrevisse per legem & gratiæ sufficientis dationem omnes mortales à peccando & lapsu immunes conservare, si modo seipsos conservare vellent, quod decretum in sacris Oraculis est planè inviſibile, quasi DEUS diceret, ego decrevi ab æterno ut *Judæi Christum* non occiderent, neque per eam occisionem mundi Redemptionem unquam decrevi. Credant qui volunt tale decretum *Dei* me suffragantem non habebunt; & tota gratia mera ethica suasio est & doctrina forinsecus sonans, si tantum ethicè *Deus* impedit peccatū, en Pelagianismū.

14. *At DEUS vel non impedit peccatum, quia non vult fieri peccatum,*

catum, quod est falsum, vel quia non curat, quod est Epicureum, ... quia vult ut fiat, quod est institutum. Respondet *Arminius. Causa cur DEVS non impediat peccatum, neq; est quia velit ut fiat, nec quia velit ut non fiat: quod vult ut fiat, hoc efficaciter effi.it; quod vult ut non fiat, hoc efficaciter impedit, sed causa cur non impedit peccatum, est quia permittit creaturæ liberum velle & nolle.*

Arminius Antiperki. pag. 700. Demonstratio contra Epicuræam permissionem Adversariorum.

Respondeo 1. Non impedire peccatum est *Arminio* idem quod permittere peccatum, & quæstio est cur DEUS permittat, seu cur non impediat peccatum, & respondet *Arminius*, causa cur DEUS permittit peccatum est quia permittat peccatum. Sed argumentum strictius necto. DEUS vel non impedit efficaciter peccatum, quia non vult efficaciter fieri peccatum, vel impedit efficaciter peccatum, quia vult fieri peccatum. Nam omnis DEI impeditio peccati vel est efficax vel inefficax, opponuntur enim contradictoriè. Ergo causa cur non efficaciter impediat peccatum, vel est quia vult ut fiat peccatum, quod est institutum, vel quia vult ut non fiat, quod absurdum: nam non efficaciter impedire peccatum, juxta *Arminium* est, procurare ut fiat peccatum, & sic DEUS non impedit peccatum, quia procurat ut fiat peccatum, quod monstrosum est. Vel tertiò DEUS non impedit peccatum, quia non curat, utrum sit, nec ne, quod *Epicureum*. Addit robur argumento, quando permissio concursum DEI includit.

Antiperki. pag. 701.

15. Objectio 6. *Voluntas mala* (inquit *Arminius*) *dicitur à volitione malâ, volitio mala est quæ fertur in objectum non debitum. Objectum autem non debitum est malum. Ergo volitio mala est, quâ quis vult malum, & quâ vult malum fieri. Quare voluntatis malæ est velle mala fieri sive voluntas illa delectetur malis, sive uti iis velit ad bonum, nam non sunt facienda, imo nec volenda mala, ut eveniant bona, nam prima iniquitas est in volitione mali, secunda in perpetratione.* Sic *Bellarmin.* qui falsò ait *Calvinum scelere absolvere Deum quia bonus fine malum vult.*

Bellarmin.

Respondeo 1. Volitionem malam non dici, sine acyrologia, à volitione mali. 2. Rectè D. *D Tuissus* negat volitionem malam propriè dici, quia fertur in objectum non debitum; *non rectè dicitur objectum non debitum, sed latio & motio indebita.* Et juro Vir magnus ille hoc observat, nam propriè creaturis rationalibus leges quæ ipsas nexu & obligatione *debiti* constringant. Objectis brutis

D. Tuissus vindic. gra. con. Armini. Antipe. lib. 2. sect. 10. crim. 3.

& irra-

& irrationalibus nulla legalis debiti obligatio incumbit: lex alieno auro minimè fertur, Sed homini ne alienum aurum concupiscat vel invadat, non pomo sed *Adamo* ne pomo vesceretur, non Armentis *Amalechitarum*, sed *Saulo* Regi lex lata est, ne hic ista armenta possideret, ille eo vesceretur, neque volitio ab objecto formaliter indebito est indebita, sed quia ipsa volitio Lege DEI prohibetur. 3. Velle malum fieri ab alio committente qui legi subjiciatur, se permittenre, DEO malum non est, nec sanctæ ejus naturæ repugnat, debebat grandis Theologus, qualem *Arminium* Episcopi nostri in Scotiâ & Angliâ imaginati sunt esse, hoc probasse, fateor velle malum culpæ illud approbando pro bono honesto, aut illud vel volendo vel faciendo contra legem cui subjicitur, esse malum,& velle malum fieri à seipso legi obnoxio, est se velle & approbare malum à se iniquè volitum & factum, & hoc modo DEUS malum fieri minimè vult: at velle fieri malum non à se, sed ab alio, non est semper mala volitio etiam in homine, ne dum in DEO, legi omni creaturis latâ, superiore. Sanctè voluit *Petrus* ut Salvator à *Pilato* & *Judæis* crucifigeretur, at non poterat sanctè velle ut Salvator à seipso crucifigeretur. Sanctè, inquam, id *Petrus* voluit κατὰ τὶ quatenus erat medium Redemptionis humani generis, jure enim à Salvatore reprehensus est, quod id nollet fieri: sanctè volunt *Martyres* DEI se comburi à Tyrannis in Testimonium veritatis: at à seipsis vivicomburio cremari minimè sanctè velle poterant. *Martyres* nullâ lege DEI tenentur nolle pati comburium à Tyrannis, imo submissâ voluntate talibus injuriis tenebantur placidè acquiescere. At à seipsis fieri vivicomburium sexto decalogi mandato severè prohibentur. Ergo in hominibus velle fieri malum culpæ ab aliis non est semper illicitum, multò minus in DEO. Benè ergo hæc duo in DEO stant, permittere malum, hoc est velle & decernere ut ab aliis malum fiat, se improbante & vetante, & DEUM id malum nec committere, nec amare. Hinc sequitur non omnem volitionem malam esse quæ feratur in objectum indebitum alteri, nisi sit ipsi volenti indebitum. 4. Quod *Bellarminus* & *Arminius Calvino* objiciunt hâc ratione *DEVM fieri mali auctorem ut bonum inde eveniret*, id nos minimè terrere debet, idem *Apostolo Paulo*, ne dum *Calvino* à *Libertinis* olim objectum, *Rom.* 3. 4. 5. 6. Si nostra mendacia DEO cedant in gloriam, tum mentiendum ut DEUS

Velle malum fieri ab alio secundum quid, ne quidem in creaturis est malum.

glorificetur. Et id Sophisticè hic *Calvino* objicitur. Quasi verò idem essent (malum facere & peccare propter bonum finem) & (malum ab aliis fieri, si non coefficiente aut coapprobante permittere vel permissivè velle.) Prius est malum facere ut bonum inde eveniret, id neutiquam de DEO dicendum. Posterius nec est malum facere, nec mala volitio. Sed an *Calvinus* hic jure accusatur? id videamus. Dicit, fateor, *Calvinus* hoc. *Homines cum vel furtum, vel homicidium perpetrant, ideo peccant quia fures sunt & homicidæ, in furto enim & homicidio est sceleratum consilium — longe aliud (DEVS) spectat, qui alterum vult castigare, alterius patientiam exercere, atque ita nunquam à suâ naturâ hoc est à perfectâ rectitudine deflectit: quia verò maleficium à fine quo quisque tendit, æstimatur, palam est DEVM non esse Autorem peccati.* Ut omittam alia; dico, si ipse actus quoad substantiam, quem DEUS facit, esset malus, tum DEI intentio boni finis DEUM à sceleris societate minimè solveret, sed quia DEUM permissivè velle malum fieri ab aliis, est in se actus indifferens, à DEI voluntate liberâ habet quod sit bonus, ideo licet bona intentio actum malum nunquam reddat bonum, attamen actum indifferentem illius bonum reddere potest, vel actum bonum meliorem reddere potest intentio boni finis, & hoc sensu loquitur *Calvinus.* 2. Fateor diversitatem finium in DEO & homine non esse causam adæquatam cur DEUS non sit causa peccati, homo verò sit causa peccati. At *Calvinus* actionem homini quæ non tantum malum finem habet, sed etiam qui sit actus quoad substantiam Lege DEI vetitus, tribuit. Sæpè *Calvinus* sic se explicat. Ideoque non probant Adversarii nos docere esse in DEO malam volitionem, vel patrationem mali ut inde bonum eveniat. Multò minus unquam probabunt nos docere DEUM culpâ non involvi, quia DEUS malum facit ut eveniat bonum.

Calvinus justit. lib. 1. c. 17. sec. 5. *DEVS non facit malum ut eveniat bonum, id falsò* Calvino *imputatur.*

16. Ignorant Adversarii peccatum creaturæ, non DEO, sive non apud DEUM decernentem habere rationem mali. Imò DEUS ne quidem permittit malum quâ malum, quia permissio includit aliquam volitionem DEI. Ergo nulla DEI permissio magis quam volitio tendit in malum quâ malum; malum enim est tantum materiale, non formale objectum volitionis DEI. Imò Martyres expetentes mortem à Tyrannis, non appetunt malum quâ malum, sed quâ bonum. Insurgit in hæc *Arminius.* *Nego* (inquit) *peccatum*

Arminius Antiperki. pag. 702.

haber-

habere rationem boni apud DEVM decernentem. Actus enim DEI circa peccatum omninò declarant, DEO peccatum non sub ratione boni, sed sub mali ratione considerari. Permittit enim peccatum, bonum autem facit, punit autem peccatum, & malum punit quà malum, remittit peccatum & condonat, quod autem condonatur, id condonanti ut malum consideratur & peccatum non est bonum per se, sed per accidens. Ib. *Falsum est DEVM non permittere peccatum quà malum, proprium enim objectum permissionis divinæ est malum quà malum & quidem DEO consideratum ut malum, licet causa cur permittat peccatum non sit malum,* —— *sed quia,* ut alibi habet, *novit inde bonum elicere,* ut & dicit *Corvinus*. Ibid. pagi. 703.

Corvinus contr. Molin. c. 3. sec. 14.

Respondeo 1. Prima *Arminii* ratio quâ probat peccatum *apud DEVM decernentem non habere rationem boni*, nempe, *quia DEVS bonum facit, DEVS facere non potest peccatum, sed permittere*, est falsa. DEUS enim omne bonum etiam utile non facit, non dicerent Adversarii DEUM crucifixisse suum Filium, crucifixio tamen Filii DEI est bonum utile, nec homo licitè facere potest omne bonum quod vult. CHRISTUS jure reprehendit *Petrum* eo quod Salvatori dissuaserit, ut ipse à peccatoribus crucifigeretur; nam *Petrus* licitè voluisse tenebatur crucifixionem Salvatoris quatenus erat medium humano generi redimendo; at non potuit ipse licitè Salvatorem crucifigere. 2. Rectè dici etiam potest, à DEO esse, licet non efficientiâ propriè dictâ, bonum quod est in peccato, & tamen à DEO nec est, nec efficitur ipsum peccatum; est enim à DEO quod talis sit in peccato habitudo & relatio ad DEI gloriam: hoc enim bonum est à DEO, non enim peccatum substratum tali bonitati est à DEO. 3. Quod *DEVS punit & condonat, id DEO condonanti & punienti malum est inhonestum*, sed non est malum inhonestum punientis & condonantis, quia est malum alienum & consideratur à DEO ut malum alienum. At tamen quod punit & condonat DEUS non est malum inutile, sed bonum utile & conducens ad illustrationem divinæ gloriæ. Unde vana est consequentia à positione unius speciei ad negationem alterius, ut *Arminius* est pater. Ergo non est filius alterius. Non sequitur. Talis est hæc. Quod DEUS condonat est condonanti inhonestum. Ergo non est bonum utile, imò contraria consequentia est bona, quia peccatum non est bonum honestum DEO condonanti. Ergo est bonum utile condonantis

Peccatum quatenus Deo condonanti est & bonum utile et malum inhonestum.

gloriæ misericordiæ declarandæ. 4. Falsum est peccatum ex se & suâ naturâ non esse bonum utile, imò quo deterius & inhonestius est peccatum eo magis est punibile & condonabile, ac proinde eo magis facit ad DEI gloriam illustrandam. Unde quia est per se deterius in genere mali inhonesti, est per se utilius in genere boni utilis. 5. Dicit DEUM permittere peccatum, quia novit inde elicere bonum, quod & dicit Jesuita *Lessius*, sed *Lessio* est causa non finalis, sed tantum sine quâ non. At 1. nuda DEI scientia speculativa non est causa cur DEUS permittat peccatum. Novit enim DEUS se posse elicere bonum ex infinitorum hominum & Angelorum nunquam existentium peccatis possibilibus: at talia peccata non permittit; si verò scientia DEI practica est causa propter quam DEUS permittit peccatum, tum DEUS prius intendit & vult bonum elicere ex peccato, & quia id intendit, ideo permittit peccatum, & id evenire vult, quæ nostra est sententia. Deinde DEUS vel scit melius esse permittere peccatum, vel non permittere peccatum. Si non, tum ipsa permissio peccati erit malum comparativè saltem, vel non eligibile, quod tamen à DEO eligitur, quod absurdum. DEUS enim sciens & volens permittit peccatum, ut omnes docent, si verò est melius permittere peccatum, tum vel eligit DEUS illud sub ratione melioris, vel non. Si prius, Ergo intendit DEUS permittere *peccatum, quâ melius*, & suæ gloriæ promovendæ conducibilius. Falsò ergo dixit *Arminius. Peccatum apud DEVM decernentem habere rationem mali, non autem boni.* Et inde sequitur apud DEUM melius & utilius esse declarandæ DEI gloriæ quod existat peccatum, quam quod non existat. Si verò DEUS non eligat permittere peccatum sub ratione melioris, sequitur DEUM aliquid velle quod est comparativè malum & ineligibile voluntate physicâ sine omni electione, quod absurdum. 6. Falsum est *malum quâ malum esse objectum permissionis DEI* formale, imò quia permissio est lenta & remissa volitio, *Arminio Judice*, sequitur voluntatem DEI permittentem non velle malum quâ malum. Deinde malum quâ malum permitti à DEO dupliciter intelligitur. 1. *Logicè*, & sic malitia quâ malitia tantum permittitur, quia à DEO nec efficitur, nec probatur. Vel 2. *Physicè*, & sic malitia quâ malum à DEO non permittitur, sed quâ conducibile ad promovendam DEI gloriam, ideoque DEI volitio semper terminatur in conducibilitatem ad DEI gloriam ex peccati

Lessius de perfectionib. divin. lib. 11. c. 6. sig. 17.

Malum quâ malum est non est divinæ permissionis objectum.

cati reatu resultantem non in peccatum quâ peccatum: sed obloquentem hic subaudio *Arminium*. *Peccatum non est omninò conducibile ad DEI gloriam nisi quatenus est peccatum, quia est conducibile tantum quatenus est punibile vel condonabile. Ergo si DEVS vult peccatum quia conducibile ad gloriam suam, vult peccatum qua peccatum.* Respondeo per eandem rationem concludi posset omne medium appeti quâ medium, & sic homo appeteret sectionem venæ quatenus inimica est naturæ sanguine & humoribus abundanti, quia sic tantum est medium sanitatis, atqui hactenus semper à sanè Philosophantibus traditum fuit, sectionem venæ appeti non quâ naturâ inimicam sed qua valitudinis procreatricem. Atqui nego sic hanc sequelam, *peccatum qua peccatum est medium declarandæ gloriæ DEI. Ergo si DEVS appetit peccatum qua peccatum est medium illustrandæ gloriæ DEI necesse est appetat peccatum qua peccatum.* Nam ad fundandam rationem medii in peccato, satis est quod sit malum inhonestum, ex quo resultat ratio conducibilitatis. At vero ad fundandam reduplicationem, necesse est ut peccatum formaliter sub ratione malitiæ appetatur, & ut peccatum non ad aliud referatur sub ratione medii, at sic DEUS ne quidem vult obedientiam quatenus est obedientia, sed tantum quatenus obedientia est medium declarandæ gloriæ DEI: nec *Gamachens* rectè dicit bona peccato annexa è diametro pugnare cum naturâ peccati, & illa bona DEO tantum & nullo modo peccato tribuenda, nam bona peccato annexa puta, punitio peccati, ejusque misericors condonatio, (fateor) soli DEO in genere causæ efficientis tribuuntur, at id non impedit quo minus peccato in genere *causæ materialis*, demeritoriæ, & occasionalis recte attribuantur. Nec valet hæc sequela. Bonum è peccatò elicitur ex sapienti DEI ordinatione, Ergò illud bonum omninò per accidens peccato annectitur, nam obedientiam ex sapienti DEI ordinatione sequitur bonum. At non hinc colligitur, obedientiam esse boni eventus medium per accidens. Nâm quamvis ex sola DEI ordinatione peccatum actu puniatur & condonetur (nam per potentiam DEI absolutam potest non puniri, & non condonari,) attamen peccatum ex se & sua naturâ est punibile & condonabile, & quidem sepositio omni Dei decreto libero. Nec enim peccatum habet à decreto Dei quod sit punibile & condonabile, nam antecedenter ad omne Dei decretum, in se & per se est punibile & condonabile.

An peccatum qua peccatum sit medium a Deo volitum

Gamachetus in 1. pa. Tho. q. 19. c. 2.

Ob. 7.

Obj. 7. *Illud, quo posito, aliud necessariò sequitur, est causa cur illud sequatur: at posito* DEVM *decreuisse, quod Adamus laberetur, necessariò sequitur lapsus Adami. Ergo* DEI *decretum sic est causa peccati.* Et falsum est (inquit *Arminius*) *si nulla causa media intercedat inter antecedens, quo posito consequens sequitur, & consequentium Antecedens non causam esse consequentis istius. Neque propterea desinit Antecedens esse causa consequentis, etiamsi media aliqua causa intercedat. Satan enim est causa esus de arbore vetitâ, etiamsi homo proxima ejus sit & immediata causa. Si autem docere potes* (Perkinsi.) *hæc duo inter se consistere posse, quod* DEVS *posset velle ut peccatum eveniat, & quod homo nihilominus liberâ voluntate peccet, tum vicisti causam. Decretum est causa deficiens peccati, & principium rerum omnium energeticum. — Et* DEVS *ab æterno* (inquit *Bellarmin.*) *decrevit & voluit ex Calvino ut Adamus laberetur, non ante prævisâ prædeterminatione voluntatis humanæ, sed ex absoluto beneplacito suo, ut haberet in quo gloriam Justitiæ & misericordiæ, quam declarare decreverat, ostenderet, ne igitur frustraretur decretum* DEI, *necesse fuit quod* DEVS *efficaciter procuraret peccatum, & homini peccandi necessitatem injiceret.*

Antiperkl. pag. 704.

Pag. 705.

Bellarmin: de amiss. gra. lib. 2. c. 4.

Exponitur illud. Id quo posito, aliud necessariò sequitur, est causa illius quod consequitur. *Vel,* Quod est causa Antecedentis, est etiam causa consequentis.

Respondeo 1. *Illud quo posito, aliud necessario sequitur est causa illius quod consequitur,* si hoc de causa morali obtineat, non est conclusio contra nos, quia decretum DEI non est causa moralis peccati. Si obtineat de causa naturali, nec nostræ causæ officit. Quia peccatum qua peccatum reduplicat causandi modum moralem, quo oritur à causa morali legi subjectâ, ut rectè docet *Jesuita Mendosa.* 2. Major simpliciter negatur, nam, ut rectè ait *Perkinsius,* posita creatione mundi necessariò ponuntur tempus & locus at creatio mundi non est causa temporis & loci. Sic positâ DEI præscientiâ, necesse est *Petrus* Dominum abneget, at præscientia DEI non est causa peccati. Si ego videro te scribentem, optime sequitur consequentia logicali, Ergo tu scribis, sed mea visio tuæ scriptionis non est causa. Argumentum procedit de consequutione logicali, ut observat *clariss. vir. D. Tuissus.* At quæstio præsens est de consequutione reali. 3. Quod ait *Arminius, quod est causa antecedentis est causa consequentis,* etsi interveniat causa libera inter antecedens & consequens, non est ad rem, quia non est hic causalis connexio inter antecedens & consequens: tenet hoc axioma, ubi est realis connexio. Ut si ignis est causa ferri candentis, & ferrum candens

candens causa combustæ manus, bene sequitur ignem esse causam combustæ manus, at in nostro proposito, antecedens nempe DEI decretum, non est causa omninò peccati nec remota nec propinqua nec ulla vi causativâ influit in peccatum, & fatemur decretum DEI non ideo desinere esse causam, (quippe causa omnino non est, nec ergo damus rationem cur desinat esse peccati causa) quia libera causa intervenit, inter antecedens & consequens, nempe inter decretum DEI & peccatum. 4. *Arminius* ait *Perkinsium* causam vincere, si doceat quomodo hæc duo consistant inter se. *Quod DEVS posset velle ut peccatum eveniat, & quod homo nihilominus libera voluntate peccet.* Unde *Arminio* paradoxum est DEI voluntatem esse causam actus liberi energeticam, quia sic libertatem everti somniet; at in actibus bonis æquè ac in malis tenet hæc ratio. Ideoque dico *Arminianos* causam victuros, si ostendant quomodo hæc duo consistant. *Quod DEVS posset velle ut existat finalis obedientia Electorum omnium hominum, & nihilominus omnes Electi finaliter obediant liberrimè.* Lis itaque inter nos cessaret, si concederemus *Arminio* DEI voluntatem efficacem esse nullius actus liberi causam, ut sic omnium actuum supernaturalium gloria Deo adimeretur. 5. Decretum DEI esse causam peccati deficientem verè non dicitur, sed *Arminiani* probant sic, quia DEUS decrevit hominibus causam ad vitandum peccatum necessariam denegare, & negatâ per decretum Dei eâ gratiâ, tam necessariò sequi dicunt peccatum, ex nostrâ sententiâ, quam motus lapidis in aere, amoto impedimento, sed ad hoc supra abundè responsum est. Nec hanc foveam evitare potest ipse *Arminius*, qui docet peccatum necessariò sequi ex Dei permissione, licet inscius & imprudens, his verbis *necesse est* (inquit) *nullo istorum argumentorum* (ad bonum actum incitantium) *persuadeatur voluntas ad nolendum, secus permissio non fuerit.* Item. *Permissio peccati ignorantiæ est ex suspensione revelationis voluntatis DEI, peccati malitiæ, ex suspensione actus, quo corrigitur & mutatur cordis perversitas,* &c. Hinc sic arguo, *actus quo corrigitur cordis perversitas,* vel est necessarius absolutè ad vitandum peccatum malitiæ, vel est tantum necessarius secundum quid, ut tantum facilius vitetur peccatum. Si prius, tum Deus permittens peccatum malitiæ, necessitabit homines ad peccatum malitiæ, quippe negat Deus actum absolutè necessarium ad vitandum peccatum malitiæ. Id quod in

Antiperkl. pag. 725.

Armin. ib.

Qualis permissio DEI Arminiana sit, nempe Pelagiana prorsus tollit necessitatem gratiæ.

Nostris damnat Arminius: Posterius dicatur tum gratiosus DEI actus quem in tali casu suspendit & negat, est tantum Pelagiana gratia quæ requiritur non ad esse obedientiæ, sed ad facilius esse; nam vitare posset homo, peccatum malitiæ etiamsi *DEVS actum quo cordis perversitas corrigeretur, non suspenderet*, quia ille actus non est simpliciter necessarius ad vitandum peccatum malitiæ. Sic *August. Ad hoc enim* (gratiam) *dari asserit* (Pelagius) *ut quæ facere per liberum arbitrium jubentur, facilius possint implere per gratiam.* Sed *Corvinus Arminii Sectator* hanc sententiam rejicit. *Satis* (inquit) *longè absumus à Pelagianismo, quandiu internum gratiæ auxilium quo voluntas præparatur ad actus supernaturales, necessarium esse agnoscimus.* Deinde etsi DEUS gratiam efficacem suspendat, non tamen sequitur eum esse peccati causam, etiam per modum removentis prohibens, uti absentia Solis est tenebrarum causa, sequitur tantum DEUM esse causam non-obedientiæ, quæ ad causam physicam reducitur, (at peccatum quâ peccatum causam physicam non habet) non autem inobedientiæ quæ nullam causam nisi moralem, quæ ad peccatum non causandum obligetur, habet. Scio *Arminium* posse, pro suâ versutiâ, regerere, gratiam efficacem considerari materialiter, quatenus dat posse, vel formaliter, quatenus juxta DEI præscientiam administrata dat actu vitare peccatum, priore modo permissionem non esse gratiæ suspensionem, sed posteriore modo, ideoque per suspensionem gratiæ non necessitari homines ad peccatum, nostram verò permissionem esse gratiæ quæ dat posse benè agere. posse non peccare, suspensionem, ideoque nostram permissionem simpliciter, ad peccandum necessitare, sed præterquam quod *Arminii* Discipuli deserant Præceptorem suum in hâc re de de gratiâ congruâ, quod est recentiorum *Jesuitarum* somnium inane, efficax gratia quæ dat posse benè agere, prout præscientiam DEI circa eventum non habet adjunctam est *Arminio* gratia sufficiens, non efficax: at sic permissio erit suspensio tantum præscientiæ DEI quæ nihil activitatis habet ad actus, vel bonos, vel malos, sed supponit gratiæ actualem efficientiam. Ergo oportet permissionem esse negationem gratiæ quoad substantiam actus, & non quoad nudam præscientiam, alioqui DEUS diceretur permittere peccatum, quia præscientiam eventus suspendit, nihil autem hoc absurdius dici potest. 6. Ex decreto permissivo non fluit ulli peccandi necessitas, verum ex positione decreti, fateor, necessitate modali, sequi liberè

Augustin. de hæres. 88.

Corvinus contra Bogerman. Par. 2. c. 7. Pag. 204.

Quanam necessitas ex decreto fluat.

liberè fore peccatum. Tantum abest ut ex decreto posito tollatur libertas actus, ut absque eo posito non constaret libertas, nam non tantum actus à DEO est decretus, sed & absolutè statutus est à DEO modus actus, puta, libertas, decrevit enim DEUS ut liberè homines vellent & agerent.

Ad *Bellarmin.* Dico Orthodoxum in hac re fore *Calvinum*, si DEUM voluisse peccata dixisset, non absolutè, & ante prævisam liberæ voluntatis determinationem, sed conditionatè: dicat enim *Bellarmin.* quo fine, quâve intentione DEUS peccatum permittat, si ut gloriam suam illustraret, tum ut hunc finem assequeretur, peccatum fieri permissivâ DEI voluntate necesse fuit. Si nullo fine, tum permissio peccati erit in Deo actio temeraria, nec agentis liberi & rationalis opus. Falsò dicit & ad conflandam invidiam *DEVM per decretum suum homini peccandi necessitatem injecisse*, nam injicere necessitatem est causativè facere ut hoc sit necessarium. DEI autem decretum nec est peccati causa efficiens, nec finis, nec materia, nec forma. Et hæc objectio eandem vim habet in bonis actibus: ad hoc ab omnibus Theologis responsum est receptum, DEUS quosdam Angelos & homines ad sese glorificandum condidit, & decrevit ut ipsorum obedientia libera illustraretur talis gloria. Ergo ne hoc DEI decretum frustraretur, *necesse fuit quod DEVS efficaciter procuraret eorum liberam ad finem obedientiam.* DEUS ergo eo tantum modo liberos actus peccatorum quâ actus fieri procuravit, nempe pari necessitate, quâ DEUS finalem Electorum obedientiam procurat. 3. Finita esset lis, si vellemus peccata fieri DEO nec volente, nec curante, nec decernente, sed creaturâ, pro suâ absolutâ libertate, peccante vel non peccante, DEO nullum fixum & immobile decretum habente de suâ gloriâ, vel per creaturæ salvationem, vel interitum, nisi prout creaturæ liberæ sic vel secus allubescat. At verò si DEUS vult absolutè contingentiam esse, vult hanc contingentiam esse, si absolutè vult actum (quod citra injuriam in providentiam non est negandum) vult absolutè modum actus, nam DEUS eodem actu & pari necessitate vult hominem esse, & risibilem esse: nam modus entis passio quædam entis est, & identificatur cum ente.

Jesuita Smisin. tō. 1. dis. Theolo. trac. 3. dispu. 3. de vol. DEI q. 3. fig. 99.

17. Obj. 8. *Ut aliquid sit rectè volitum* (inquit *Smising.*) *ratione alterius, debet alterum esse rectè volitum, & id quod est volitum*

ratione ipsius, debet cum ipso habere connexionem in ratione causæ vel effectus, quia non est alius modus participandi ab altero rationem volibilis. Cum ergo peccatum nec sit medium sive causa alicujus boni, sed potius destruit per se ordinem boni, quatenus est deordinatio à summo bono, à quo sumitur participatio omnis boni creati, nec sit effectus alicujus boni, quia non causatur efficiendo, sed deficiendo, fit ut peccatum, ne quidem per accidens rectè volitum esse possit.

Fig. 100. Respon. 1. Malum pœnæ est medium ad aliquod bonum, nempe ad ostensionem justitiæ, sed, ipse doces, cum tuo *Scoto, fig.* 100. peccatum esse formaliter malum pœnæ, quatenus est defectus boni justitiæ in voluntate receptus. Ergo ex te peccatum potest esse medium rectè volitum. 2. Peccatum non esse medium boni, falsum est, nam est medium utile. 3. Peccatum non est deordinatio à summo bono simpliciter, sed tantum quatenus DEUS est Legislator, at verò DEO quatenus est universalis mundi Administrator, est medium ad gloriam conducibile. Et eatenus à summo bono non est deordinatio.

Quatenus peccatum appeti potest.

18. Obj. 9. *Peccatum appeti non potest, nisi conjunctum sit cum bono excellentiore & præstantiore, quam est bonum quod privativè tollit, atqui nullum bonum conjunctum cum peccato est præstantius aut appetibilius, quam illud bonum, quod peccatum privativè tollit. Ergo peccatum non potest appeti propter illum bonum cum eo conjunctum, ac proinde nec ut medium DEI gloriam declarandi. Probatur Minor, quia peccatum quantum in se est, DEUM contristat, & eum suâ fœlicitate privat, imò peccatum infinito bono, puta, justitiæ* (inquiunt *Corvinus, & Philip. Gamachæus*) *ac voluntati DEI est oppositum.* Sic arguunt *Christopho. Scheiblerus, Gregor. de Valentia, & Balthaser Meisnerus.*

Corvinus cont. Molin. c. 3. sec. 9. Gamachæus in 1. Thó. q. 19. c. 2. Scheibler. Metap. lib. 2. c. 3. tit. 5. punct. 3. Valent. to. 2. disp. 6. q. 9. punct. 1. Meisnerus par. 1. sobr. philos. sect. 2. q. 5. & §. 4.

Respondeo 1. Nego Majorem. Quamvis enim id verum sit de hominibus, quorum voluntas movetur & allicitur à bono, efficacius à majore bono, & minus à minore bono apprehenso, non obtinet tamen major hæc in DEO, cujus sancta voluntas à bono non allicitur, nec ullum bonum actum exercet actum finalizandi in infinitam DEI voluntatem, uti exercet in appetitum creatum; nam DEUS potest permittere & velle majus malum, propter minus bonum, & potest DEUS velle minus bonum, majore bono repudiato. DEUS mundum excellentiorem noluit creare, & tamen potuit; rectè enim *Scholastici* nullum bonum externum, limitat aut circumscribit

scribit DEI voluntatem. 2. Major tam est vera de permissione quam de volitione, at conclusio esset blasphema, nam si DEI voluntas à bono extra DEUM duceretur, ratio naturalis dictitaret DEUM non posse permittere peccatum, nisi conjunctum sit bono præstantiori, quam bonum quod privativè tollit. Nec pater terrenus filii sui interitum æternum permitteret sciens & volens, nisi is interitus annexus esset bono longe præstantiori, quam est æterna filii sui felicitas. 3, Falsa est etiam minor. Nam bonum annexum peccato, nempe manifestatio gloriæ divinæ, *est bonum longe præstantius. quam est* obedientia Reproborum, *quam ipsorum peccatum privativè tollit*, quia finis est medio ad finem ducente præstantius, sed obedientia est medium, manifestatio gloriæ DEI, finis. 2. Quamvis in genere offensæ & boni inhonesti & respectu ipsius peccantis peccatum sit majus malum, puta, morale & illegale, seu ethicum, quam manifestatio gloriæ divinæ est bonum, quippe melius & appetibilius in se est *Judæ* proditori *Salvatorem* non prodere quam declarari justitiæ gloriam in puniendâ & ulciscendâ in æternum ea proditione, attamen ostensio gloriæ divinæ justitiæ & misericordiæ simpliciter & respectu universi *in genere boni physici* est majus & eminentius bonum quam est obedientia *Judæ* proditoris plus etenim, & aliquid illustrius gloriæ DEO accedit ex declaratione justitiæ & misericordiæ quam si omnes Reprobi & Electi nullum omnino peccatum *admisissent*, omnesque homines in sanctitate plane Angelicâ finaliter perstitissent. Majus enim bonum est gloria DEI, qua est universalis mundi administrator, quam ea gloria, quam in eo quatenus est legislator, declarari par est, quia bonum quo universalius est eo præstantius, adde, quod bonitas ex divino bene placito sit mensuranda, ideoque melius est & bonum præstantius gloriam justitiæ & misericordiæ in CHRISTO Mediatore declarari, quia ita DEUS ex sapienti suo beneplacito voluit, quam homines nunquam peccare, sed DEO omnes finaliter obedire. 4. Falsum est etiam peccatum privativè, opponi DEI vel felicitati, vel voluntati DEI, quippe peccatum privativè tollit nullum in DEO attributum, sed privativè (fateor) removet & tollit id honestum creatum quod DEUS legislator ex liberâ suâ voluntate approbat. At nihil ex eo beatitudinis DEO decedit. Id clare sub-

Bonum annexum peccato longe præstantius est eo bono quod peccatum privative tollit.

tilis Jesuita *Theodor. Smising* refutare, satagit, sed frustrà. *Falsum est* (inquit) *quod peccatum sit minus malum, quam destitui quibusdam bonis, quæ DEI bonitas præstat, occasione peccati: quia denegatio horum bonorum nec est malum, cum non sit negatio boni debiti, sed ex mera misericordia & liberalitate DEI præstiti, nec etiam si foret malum, esset malum morale, sed naturale, & majus est malum unum peccatum veniale, quam mors naturalis omnium hominum, & quam privari visione DEI, aut verbum divinum non esse incarnatum quia horum malorum aliquis bonus finis vel naturalis vel moralis à DEO intentus esse potuisset, illius tamen mali nullus finis bonus esse potest.*

Smising. disc. Theol. to. 1. tra. 3. de vol. divi. q 3. fig. 99.

Respondeo 1. Non verum est, *peccatum esse majus malum quam declaratio gloriæ DEI est bonum*, Jesuita sic DEUM inscitiæ redarguit. Nec probat Jesuita, quod tam audacter ponit: Nam non declaratio gloriæ DEI ideo est malum ingens, quod declaratio gloriæ DEI sit bonum ingens & finis ultimus omnium actionum DEI externarum; Patet. *Proverb.* 16. 4. *Apoc.* 4. 11. *Rom.* 11. 36. Et talis finis quam DEUS fieri efficaciter procurat. 2. Nec ideo non declaratio gloriæ justitiæ & misericordiæ desinit esse malum quid, quia *non est boni debiti, sed ex mera misericordia DEI præstiti negatio.* Nam sic nulla fere quæ sunt in mundo essent bona, nullo enim debito, aut obligationis nexu DEUS mundum, Angelos, homines, & creaturas suas creavit, sed ex solo suo beneplacito, poterat illa non creasse, si ita ei visum fuisset. 3. Falsum est etiam DEUM ex sola misericordiâ suâ declarare gloriam misericordiæ suæ quia ex solo suo beneplacito tum misericordiam tum justitiam, tum omnium attributorum suorum gloriam creaturis suis declarat. 4. Verum est agnosco, ipsi peccatori *majus malum esse peccatum quodvis veniale aut leve, quam est mors naturalis omnium hominum*, est enim ipsius peccatoris peccatum extrema miseria quæ ipsum longè infœliciſſimum reddit, & æterna beatitudine privat, at simpliciter & respectu universi & ipsius DEI peccatum non est majus malum quam mors omnium hominum, quia ex eo finem longè optimum DEUS elicit. Imo peccatum occasionaliter est bonum utiliſſimum.

19. Ob. 10. *Quod fit DEO volente, fit DEO authore, & DEO approbante. Sed peccatum nec fit DEO authore, nec DEO approbante. Ergo* ita *Aquinas & Durandus.* Respondeo 1. Neg. majo. Nam

Aquin. 1. 2 q. 79 art. 3. Durand. 1. 46. q. 2.

nam non est universaliter vera. 2. Disting. majo. *Quod fit DEO volente, Deo Authore*, hoc est, si authoris nomen catachrestice sumatur, pro permissore, & ordinatore, vera major, sed conclusio non est contra nos. *Quod fit* DEO *volente, fit* DEO *Authore*, id est, Deo procuratore, & efficiente, falsa sic major, & conclusio vana erit. 3. *Quod fit DEO volente*, hoc est approbante, *fit DEO Authore*, vera major. At sic minor falsissima est. *Quod fit DEO volente*, hoc est decernente ut ab alio legi obnoxio fiat, *fit DEO Authore*, falsa sic major. 4. Quod fit DEO volente, fit DEO approbante. Falsa sic Major, nam affirmato genere, non affirmatur species. Est animal. Ergo est homo. Non sequitur, approbans enim voluntas est quasi species voluntatis, & voluntas decernens altera contradistincta ab eâ specie, Et voluntas DEI quasi genus ad utramque voluntatem.

Quatenus peccatum fit Deo volente.

20. Obj. 11. *Malum culpæ est inconvenieus intellectui DEI, & rectæ rationi in DEO repugnans. Illud ergo Deus nullo modo velle potest.*

Respondeo. Peccatum *in genere entium moralium* DEI rationi repugnat, & eatenus DEUS peccatum nullo modo velle, hoc est, approbare potest; at peccatum *in genere entium realium* quæ materialem, demeritoriam & occasionalem causalitatem habent, divinæ rationi non repugnat, sed sapientiæ infinitæ est medium illustrationi gloriæ DEI accommodatissimum: inde minimè tamen conficitur, licentiâ Sophisticâ, *DEVM nullo modo velle peccatum.* Instantia sic fieret. *Tolle* (inquiunt) *peccatum, & bonum justitiæ non est bonum. Ergo sine peccato constaret bonum universo.*

Quomodo DEI rationi peccatum conveniat, quomodo non.

Respondeo. Tolle peccatum, & bonum justitiæ non esset bonum existens, verum est: at verò esset in se bonum ad universi ordinem & Creatoris attributorum expressionem unicè conducens, ideoque contrarium consequens planè sequitur. Tolle peccatum, & in æternum homines & Angelos lateret bonum justitiæ experimentaliter declarandæ, & multorum attributorum aliorum DEI, ut misericordiæ, gratiæ, potentiæ, *&c.*

21. Obj. 12. *Peccatum est essentialiter malum, Ergo impossibile est ut ullo modo appetatur à sanctâ DEI voluntate.*

Respondeo 1. Peccatum est essentialiter malum creaturæ legi subditæ, verum: at verò DEI ipsius non est malum. Ergo inde benè colligitur, posse alio modo sancto a DEO appeti, licet à peccante

cante appeti non posset. 2. Quod est essentialiter & omni modo malum, uti est summum malum, id nullo modo à DEO appeti potest, at peccatum sic non est malum.

An peccatum turbet ordinem universi.

Obj. 13. *Quod turbat ordinem universi, id DEVS velle nequit, peccatum turbat ordinem universi, contra primævum DEI institutum, creaturam rationalem ab ultimo fine, à summo bono avertit. Ergo Deus nullo modo potest peccatum velle.*

Respondeo. *Quod turbat ordinem universi absolutè*, & in ordine ad ordinem universalem, & finem DEI ultimum, id DEUS appetere nequit, verum est: at sic Minor est falsa. Peccatum enim non turbat ordinem in relatione & ordine ad ordinem universalem: nam conducit ad ultimum finem, declarationem gloriæ, potentiæ, gratiæ, longanimitatis, misericordiæ, justitiæ & bonitatis. Et sic à DEO aliquo modo appeti potest. *Quod turbat ordinem universi secundum quid tantum ad gloriam DEI* legislativam & imperialem tantum, declarandam, id DEUS velle nullo modo potest, sic falsa Major, & vera Minor, & conclusio nulla erit.

Valentia, Corvin.

Obj. 14. *Si DEVS ullo modo vellet peccatum, liceret nobis velle peccatum, & conformare nostram voluntatem justæ DEI voluntati. Sed non licet nobis velle peccatum ullo modo. DEVS ergo nullo modo vult peccatum. Ratio Majoris, quia qui vult id quod DEVS vult, ejus voluntas est justa.* Sic *Gregor. de Valentia, Corvinus* & alii.

Respondeo. Major universaliter intellecta est apertè falsa. DEUS justè permisit *Petrum* abnegare *Salvatorem*, tenebatur tamen *Petrus* contraniti & resistere tali DEI voluntati permittenti, & orare ne DEUS ipsum in tentationem induceret, etiam postquam illa voluntas DEI permittens fuit per CHRISTUM revelata, nec voluntas decernens est regula regulans actionum nostrarum, sed tantum DEI voluntas approbans, ea est cui nostras voluntates conformari par est. *Deut.* 29. 29. *Deut.* 5. 29. *Psal.* 40. 8. *Esai.* 8. 20. *Rom.* 11. 2. 1 *Thes.* 4. 3. 1 *Pet.* 4. 2. (2.) Aliis verbis insinuata est hæc objectio in personâ carnalium hominum. *Rom.* 9. 19. *Quare ergo DEVS succenset? si indurat quos vult, nos tum peccamus id volendo, quod DEVS vult voluntate suâ, cui nemo resistere potest, justa sic est nostra voluntas, quippe conformis justæ, sed irresistibili DEI voluntati. Paulus* carnalem hanc objectionem & blasphemam rejicit ibidem. *Tu quis es, &c?* 3. Decantatum est apud *Theologos*

§ Conformitas Nostræ voluntatis cum voluntate DEI beneplaciti non libera nos à peccato.

cum

cum *Augustino*, filium improbum, malâ voluntate velle patris sui mortem, & Deum bonâ voluntate velle & decernere ut eodem morbo moriatur pater, & pium filium pro moribundi patris vitâ Deum supplicare, & pium illud votum adversari Dei decreto, quo Deus ex hâc vitâ eripere statuit patrem. Unde necessariò sequitur, non ideo justam esse hominis improbi voluntatem, quia id vult, quod Deus vult, nec ideo injustam esse pii hominis voluntatem, quia id vult, quod Deus non voluit, imò cujus contrarium decrevit. *Verum est* (inquit *Duvallius*) *DEVM aliquando bonâ voluntate velle, quod nos malâ voluntate volumus, & è contra, sed falsum est, nos malâ voluntate velle, quod DEVS vult nos non velle, hæc enim pugnantia sunt tam in DEO, quam in nobis.* Idem *Molinæo* respondet *Corvinus*.

Andreas Duvallius in 2. Thom. tractat. de peccato q. 10. art. 3.

Corvinus cont. Molinæ. de vol. Dei c. 3. §. 4. pag. 49.

Respondeo 1. Non jam contendimus, an Deus velit ut nos peccemus voluntate permittente, sed ad hanc objectionem refellendam habemus reos fatentes, non ideo justam esse peccatoris voluntatem, quia id vult, quod Deus vult. 2. Impia est filii volitio quâ patrem pium mori cupit ut ipse potiatur hæreditate; at Deus vult etiam ut pater moriatur ut in filium impium devolvatur hæreditas. At sic Deus vult malum, (ut ait *Arminius*) *& volitio est mala* (inquit ille) *quæ fertur in objectum non debitum. Et volitio est mala quâ quis vult malum*: filio enim objectum est malum & indebitum. Ergo id nec velle potest Deus, si *Arminio* credimus. Vel ergo Deus quia est supra legem justè id vult, quod homo non potest sine peccato velle, quod nos docemus, vel objectio hæc est inanis.

Arminius Antiperkl. pag. 781.

22. Obj. 15. *Nemo sapiens id vult, cui ipse succenset & irascitur, sed DEVS peccato succenset & irascitur. Ergo DEVS peccatum neutiquam vult.*

Respondeo 1. Major non est universaliter vera etiam inter homines, judex præsciens latrones in furtum propendentes, foreś non ferat, sed ad prædandum ingredi permittit eo consilio & animo ut gravius puniti toti Reipublicæ exempla & spectacula sint justæ ultionis ad alios à furto deterrendos, hic judex id furtum vult, cui justè irascitur. Deinde Major non est vera de eo in quo ira non est passio aut infirmitas, sed justissimæ suæ voluntatis declaratio, Deus id vult permissivè, non approbativè, cui ipse justè succenset ad suam sanctitatem

Quatenus Deus velit & simul odio habeat peccatum.

sanctitatem & puritatem testandam. 2. Argumentum supponit DEUM peccato iraſci esse DEUM nolle, non decernere, non velle peccati existentiam, quod est τὸ κεκινημένον. Hoc si verum foret uti insulsè præsumunt Adversarii, nullo modo posset DEUS id velle, cui succenset, id est, nullo modo posset velle, id quod nullo modo decernit & nullo modo vult, sed DEUM peccato iraſci est DEUM improbare & odisse & punire peccatum, cum quo optimè constitit quod DEUS decreverit ut alio committente, se permittente, fieret peccatum ut patefierent sancta DEI ira, punitio justa, admiranda potentia Judicis justissimi.

Duvallius de peccato in 2. Thom. q. 10. art. 1.

23. Obj. 16. *Si homo* (inquit *Duvallius*) *peccat, quia legi subest, & DEVS non peccat, quia legi non subest,* (ut docent *Calviniani*) *sequitur negari de DEO nomen peccati, sed rationem & malitiam ei effingi. Si objectum sit malum, volitio non potest non esse mala, quicquid sit de subjectione, tum sequeretur DEVM absolutè mentiri posse & seipsum odio habere absque peccato, quia scilicet quando mentitur & seipsum odio habet, supra se legem non habet, tum quia cum Deus facere potest per se, quicquid facere potest per creaturas, si per Angelos & homines operatur peccatum, potest per se operari peccatum.*

Quomodo Deus non est causa peccati & nos rei, quoniam Deus est supra legem, nos vero minimè.

Respondeo 1. Imo si DEUS legi non subest, sequitur nec nomen nec essentiam aut rationem formalem peccati, ei tribui posse, quia peccatum est transgressio legis. 2. Sed nec sequitur DEUM posse mentiri, aut sese odisse, quia sic legi subesset, & seipsum & suam sanctam naturam abnegaret, nec nostri hanc distinctionem tam laxè proponunt. Docent enim DEI naturam sanctam, causam esse cur DEUS nec peccare, nec peccatum causari posset, sed quia DEUS est supra legem, & homo legi obnoxius, ideo idem actus qui est in homine culpabilis, & peccatum, in DEO non est peccatum, sed actio justa. Uti est ablatio bonorum *Jobi* à DEO facta, & à *Chaldæis* & *Sabæis* causata. 3. Nec quicquid DEUS facere potest per creaturas, id per se facere potest, quia per creaturas actus vitales edendi, bibendi, ridendi operari potest, nec tamen ipse DEUS, edere, bibere, aut ridere per se potest. Et falsum & blasphemum est DEUM per creaturas rationales peccare, aut operari aut causari peccatum, quia tantum utitur iis peccantibus, uti faber serram movet; nec quia justus judex homicidam cruci affigit per carnificem qui ipsum neci dat animo plane vindictæ malitioſè studio addicto

&

& sanguinario, ideo judex animo sanguinario cruci affigit sontem.

24. *Arminius* ait DEUM impedire peccatum quatuor modis. 1. *Vitæ privatione.* 2. *Virium agendi ablatione.* 3. *Oppositione virium parium.* 4. *Ablatione objecti. Bellarminius ait DEVM posse dici agere in voluntatem quatuor modis.* 1. *Physicè impellendo & movendo voluntatem immediatè, vel etiam moraliter id est verè & propriè imperando. Hic modus est Bellarmini judicio impius.* 2. *Dicitur DEVS provocare ad malum, vel etiam malum imperare, quia homines male agere permittit, sed per tropum, uti immittit quis canem in leporem, funem tantum, & habenas cani laxando. Sic DEVS Chaldæos & diabolum in Jobum excitavit, non opus fuit ut DEVS diabolum satis ad malum propensum incitaret.* 3. *DEVS excitat ad malum vel utitur malis voluntatibus tanquam instrumentis, non solum permittendo, sed etiam deserendo eos qui affliguntur, ut permisit Spiritum malum decipere Achabum, non tantum permittendo diabolum sed etiam Achabo lumen auferendo, ne nos inducas* (oramus) *in tentationem.* 4. *Præsidet ipsis malis voluntatibus, easque regit, gubernat, torquet & flectit in iis proprio vitio malis invisibiliter operando, ut divinâ providentiâ ad unum potius malum, quam ad aliud non positivè, sed permissivè ordinentur,* 1. *Paral.* 21. *Surrexit Satan contra Israelem, & Davidem incitavit ut numeraret populum.*

Quomodo Deus impediat peccatum secundum Arminium, quomodo id velit secundum Bellarminium.

Respondeo 1. Omnis DEI actio unanimi doctorum consensu, est vel positiva volitio DEI, vel permissio, DEUS priore modo imperat ac jubet. Ergo nisi DEUS vel vitâ privet, vel pares vires opponat; vel vires auferat, vel objectum tollat, DEUS potest malum per suam omnipotentiam eo tantum modo impedire, quo *homines & Angeli* impediunt peccatum. Nam possunt his quatuor modis peccatum impedire. 2. *Adam* jam olim mortuus sic juxta eruditionem *Arminii* hodie dicitur impediri ne arbore scientiæ boni & mali vescatur: & Alexander magnus mortuus jam olim impediri dicitur ne *Britanniam* vastet. Nam uterque jam olim fato cessit. At nihil impediri ad agendum, credo dici posse, nisi quod ad agendum propensionem habet, at non ens propensiones nullas habet. 3. Mira res est *Arminium* impeditionem peccati nullam agnoscere per substractionem & negationem Divini concursus, at forte de procuratione actus peccati per dationem concursus, *Arminius* in conscientia suâ dubitavit. Et hunc concursum cum *Durando* &

Impeditio peccati non aliis tribuitur Deo ab Arminio quam quæ creaturis competit.

Lodovica a Dola sublatum, ni falsa auguror, cuperent omnes *Arminiani*. 4. Hisce quatuor modis duos alios duntaxat impeditionis peccati modos addit, nempe per legislationem & suasionem, unde quia & legi & suasioni DEI quivis homo resistere potest, impossibile est ut DEUS ex *Arminio* efficaciter impediat peccatum, nisi hominem neci dedat, vel objectum auferat, sed sic non impedit DEUS peccatum, ita ut non peccans DEO obediat non peccando: Quod est tollere omnem DEI providentiam circa peccatum & obedientiam. Ad *Bellarmin.* dico. 1. Immediatè & physicè DEUM voluntatem movere est alibi *Bellarmino* probabile. Sed quæ opinio alibi est probabilis, quando lis est cum *Scoto* & aliis *Catholico-Romanis doctoribus*, est impia, quando cum *Calvino* & *Beza* disputatur,. 2. Toto cœlo differunt physica & moralis motio voluntatis, non ergo uno modo comprehendi debebant. 3. Famosiores omnes *Jesuitæ* præter Recentiores quosdam, *Dominicani* omnes stant pro physica DEI prædeterminatione voluntatis ad suos actus, sed omnes hi *Bellarmino* hac in re sunt impii. 4. Quomodo DEUS secundo modo agat in voluntatem imperando imperio efficace, & pœnam efficaciter peccantibus infligendo est secundum *Bellarmini* & *Arminii* dogmata διαταλάιπωρον Cap. 5. Qui laxat funem cani in leporem involanti cum cane currente non currit (non tam velox est ulla creatura Jesuitica) sed otiosè permittit tantum canem currere, at DEUS causativè ad actum peccati concurrit, Ergo secundo modo, DEUS non nudè laxat voluntatem. 6. Sed secundus modus malè à *Bellarmino* negatur esse incitatio, quia cum sancti habitu gratiæ propensi sint ad bene agendum Deumque diligendum, non est ea ratio sufficiens cur negaremus non opus esse ut DEUS *Petrum* ad credendum Deumque diligendum incitaret, Deumque tantum improprie & per tropum dici sanctos, ut pote ex habitu gratiæ ad actus supernaturales propensos, excitare, sic cum DEUS actus supernaturales permitteret, non efficeret. 7. Tertius modus cum secundo coincidit, nihilque ei superaddit in utroque necesse est dicant homines, *ne nos in tentationem inducas* 8. Quartus modus est ridiculus. 1. Quia vel tortio & flexio voluntatis ad hoc peccatum potius quam ad illud, ut ex *Hugone* male intellecto habet *Jesuita*, aliud quid est quam permissio nuda & positivam DEI inclinantis & impellentis actionem involvit, vel

Bellarmin. de grat. & lib. arb. lib. 4. c. 10.

Deus quia torquet hominem ad hoc potius quam ad illud peccatum est potius causa peccati gravioris quam minus gravis, ex Bellarmino.

est

est tantum nuda permissio, vel denique est peccati jam existentis ad gloriam DEI illustrandam directio. Sed omnia inconsequenter & falsò dicta sunt hęc. Si primum, causâ cadit *Jesuita*, nam qui positivè movet voluntatem ad unum peccatum potius quam ad alterum positivè movet ad peccatum, quia ex comparativo sequitur positivus, & positivè interdum DEUS impellit ad peccatum gravius puta ut 8, potius quam ut 4. Et DEUS Author erit gravioris peccati. Ergo erit Author peccati: DEUS Ergo Pharisæos & Pilatum impellit ad occidendum CHRISTUM potius quam ad maledicendum ei duntaxat, id *Bellarmini* placitis haud congruet. Si hæc flexio sit tantum nuda permissio. Primo nos fallit *Jesuita* 1. inani verborum farragine, Nam sic *Bellarminus* dicendo, DEUM non tantum voluntatem permittere, sed etiam torquere & flectere ad malum, Diceret *DEVM non tantum permittere peccatum sed etiam permittere peccatum*, *Jesuita* enim quartum modum reliquis tribus aliquid superaddere vult. 2. In nudâ permissione voluntas omni objecto indifferens relinquitur, at si DEUS voluntatem *torquet & flectit ad hoc potius malum, quam ad illud*, *Voluntas non relinquitur indifferens*; Nec tertium consistere potest. Quia torquere voluntatem ad hoc potius malum, quam ad illud, supponit peccatum nondum existere, sed dicit DEUM ad peccatum impellere voluntatem. Qui ex volatu avis ad austrum potius quam ad aquilonem effectum elicit tantum, hoc posito quod jam existat volatus ille nullo modo dicitur dirigere & flectere & impellere avem potius versus Austrum, quam versus aquilonem. Denique quænam fuerit DEI in *Adami* in primo peccato voluntatem actio, hisce quatuor modis ne syllabam habet.

24. Obj. 17. *Qui legem ponit* (inquit *Arminius*) *& non dat auxilium necessarium ad præstandam legem, ille causa est transgressionis legis suæ. At dicis hominis voluntatem interveniisse in hâc desertione, quia homo non desertus sit, nisi volens deseri. Respondeo, si ita est, tum homo meruit deseri. At quæro an homo potuerit velle non deseri. Si dicas potuisse, jam non peccavit necessariò, sed liberè. Si verò dicas non potuisse, jam culpa redundat in DEVM, non minus quam antea, propterea quod DEUS causa istius volitionis sit, quâ homo vult deseri, quia non dederit gratiam necessariam, quâ potuit homo velle non deseri,* Antiperkii pag. 704. 705.

Respondeo 1. *Arminius* DEUM multis nominibus accusat. An DEUS diabolis ad legem naturæ præstandam vires gratiæ pares contribuit? An possunt Diaboli DEO in omnibus, siquidem velint, obedire? An possunt per DEI gratiam legem non transgredi? At Lex Diabolis posita jam est, quia jam peccant, *Joan.* 8. 44. 1 *Joan.* 3. 8. An hominibus jam per naturam peccato mancipatis & Legi DEI præstandæ imparibus, *Rom.* 3. 9. *Prov.* 20. 9. 1 *Joan.* 1. 8. adest ea gratia, quâ possent perfectè legem præstare & *permanere in omnibus quæ scripta sunt in Libro Legis*, Gal. 3. 13? Et quatenus renati peccant in Legem DEI, eatenus DEUS causa erit talium transgressionum legis. Sed nec legem ponens in homicidas, ebriosos, scortatores, Idololatras, causa est transgressionum talis legis, quia non dat omnibus *subditis auxilium necessarium ad præstandam legem.* Quis talem humanum Judicem accusaret? Si DEUS creaturæ libertatem naturalem agendi aut non agendi det, auxilium ulterius ad legem præstandam non tenetur dare. 2. DEUS ante primum *Adami* lapsum nihil suæ imaginis aut gratiæ actus primi *Adamo* abstulit, habuit enim posse non peccare: at verò gratia prædeterminans est Imaginis DEI nulla pars, sed tantum illius actus secundus. At DEUS negavit *Adamo* gratiam prædeterminantem, non formaliter & expressè neganti & recusanti illam, sed materialiter & interpretativè volenti in effectu & consensu in eodem instanti naturæ carentiam illius gratiæ prædeterminantis, ideoque DEUS *Adamo* interpretativè nolenti habere velle obedire, negavit velle obedire, non formali, sed virtuali *Adami* demerito: at *Arminius* succumbit in probatione sequelæ, nempe quâ infert DEUM esse peccati causam. 3. Nec sequitur *Adamum* meruisse deseri, aut DEUM esse lapsus causam, quia gratiam in genere causæ potentialis & materialis DEUS non negavit: at in genere causæ actualis negavit ei gratiam necessariam, quâ datâ non peccasset, quam tamen DEUS dare non obligabatur. 4. Et quoniam *Adamus* potuit non peccare, & potuit virtuali illa volitione desertionis abstinuisse, & quidem liberè. Ergo (infert *Arminius*) nullâ necessitate decreti peccavit. At nos dicimus eum peccasse necessitate fluente ex positione decreti cum genio libertatis amicè conspirante. At nec necessitas fluens ex decreto nec fluxus ullo modo interturbabant libertatem in suo connaturali agendi modo.

Quomodo Adamus desertus peccavit.

25 Quod

25. Quod ad Scripturæ locos, quos urgent Adversarii contra nos, omnes eo tendunt ut doceant Deum voluntate approbante nolle peccatum, ab eo abhorrere, istud abhominari, quibus abundè satisfactum est à *Theod. Bezâ*, *Dav. Pareo*, acuratissimè verò à magno illo Theologo D. *Gulielmo Twisso Anglo*, quibus ego nihil addo. Hisce tantum loquendi formulas Orthodoxas, & periculosas & vitandas adjiciam.

Orthodoxæ Phrases.	*Periculosæ & vitandæ*
1. Deus decrevit ut peccatum fieret, se permittente, creaturâ committente.	1. Deo volente & decernente homines peccant.
2. Secundum decretum Dei permissivum eveniunt peccata.	2. Deus peccata fieri procuravit.
3. Una & eadem actio malitiæ substrata fit à Deo, à Diabolo & impiis hominibus.	3. Unum & idem peccatum fit à Deo, à Diabolis & impiis hominibus.
4. Peccatores iniquissimè *Dei* Ecclesiam, aut alios flagitiosos opprimentes & affligentes sunt in iis actibus flagitiosissimis *Dei* virga, baculus, malleus, gladius, manus, calix, rete, piscatores & venatores Dei.	4. Deus cogit, movet, impellit, excitat peccatores ad omnia facinora perpetranda, quæ committunt, Diaboli & homines impii dum peccant Deo imperanti obediunt & serviunt, & nequitiæ suæ mercedem merentur, laude & præmio laborum suorum digni sunt.
5. Deus decrevit homini gratiam efficacem, quâ à peccato abstinuisset, negare, ut sic in finalem inobedientiam lapsus, via patefieret declarationi justitiæ vindicantis & misericordiæ parcentis.	5. Uti Deus decrevit finem, puta gloriæ suæ declarationem, ita peccatum medium ad eum finem simpliciter & quâ tale voluit & decrevit.
6. *Deus* voluit peccatum quatenus est suæ gloriæ manifestandæ medium & creaturæ peccatricis pœna.	6. Deus voluit peccatum quâ peccatum.
7. Decretum Dei peccati est antecedens, quo posito necessariò	7. Decretum Dei est causa peccati, necessitate decreti sequitur

riò neceſſitate modali quæ cum libertate amicè conſpiret, vel ex poſitione decreti neceſſitate modali ponitur peccatum.

8. Deus ad interitum quoſdam excitavit, condidit & ſtatuit, ut per voluntariam ipſorum contumaciam illuſtraretur gloria divini nominis, *Prov.* 16. 4. *Rom.* 9. 17.

8. Deus homines ad peccatum & ad æternum exitium condidit & prædeſtinavit, ſine ullo intuitu conditionis hominem pereuntem conditionantis. Item. Deus maximam mundi partem ex nudo puroque voluntatis ſuæ arbitrio creavit ad perditionem. Item. Deus eo fine homines creavit, ut haberet quos perderet.

9. Deus negat gratiam efficacem, quâ datâ, homo minimè peccaret.

9. Negatio gratiæ efficacis cauſa eſt peccati per modum deficientis, uti abſentia ſolis noctis & tenebrarum cauſa eſt.

10. Deus prædeterminat voluntates hominum ad actus entitativos peccati. Deus eſt verè cauſa & quidem prima & principalis actuum phyſicorum quibus inſeperabiliter annexa eſt malitia & deordinatio.

10. Deus prædeterminat homines ad peccatum, aut ad malitiam. Deus non poteſt eſſe cauſa actus cui inſeperabiliter annexa eſt malitia, quin neceſſe ſit etiam cauſa malitiæ: *quia cauſa cauſæ eſt cauſa cauſati.*

11. Deus permittente, decernente, & voluntate beneplaciti vult peccati exiſtentiam, non verò approbante, efficiente, aut voluntate ſigni.

11. Deus vult peccatum, Deus vult peccatum exiſtere, ſeu evenire, Deus eſt cauſa, author, aut efficiens principalis peccati. Deus peccat, Deus peccatum operatur. Deus per homines & diabolos peccat tanquam per cauſas organicas. Deus peccatum amat, approbat aut eo delectatur. Omnia blaſphema ſunt.

12. Deus vult peccatum fieri quatenus eſt peccati pœna. Deus vult pœnalitatem ſeu pœnalem & nocivam illam diſconvenientiam quam peccatum habet reſpectu creaturæ rationalis peccantis.

12. Deus eſt nudus permiſſor & ſpectator eorum peccatorum quæ pœnæ ſunt aliorum.

13. Deus actu poſitivo excæcat

13. Deus non aliter excæcat &

cat & indurat. Deus est principalis Inflictor & Judex & quidem actu positivo illius pœnalitatis quæ est in peccato, peccatores verò carnifices, & instrumenta subservientia principali Judici Deo.

& indurat quam nudè permittendo homines, sese excæcare & indurare, Deus nullum actum judicialem exercet, dum persecutores Ecclesiam & flagitiosos homines affligunt.

14. Deus ita peccata peccatis punit, ut pœnalitas illa peccatori prorsus indeclinabilis & inevitabilis sit, sicut alia quævis pœna divinitus inflicta.

14. Permissio quâ hominibus absoluta relinquitur indifferentia peccandi vel non peccandi, est tota illa pœnalitas quæ peccatori infligitur, quoties Theologi Deum peccata peccatis punire docent.

15. Deus Prophetas seducit, maleficium per injustum occisorem occidit, *Jobi* bona per Satãam & *Sabæos* aufert. *Shimeum* jubet ut principi suo maledicat; rebellio decem Tribuum adversus suum legittimum principem est à Domino; Spiritus impiorum adversus Ecclesiam suam ad sanctos suos injustè cruciandos, vastandos, cædendos excitat & impellit.

15. Deus vult & facit nos peccare. Deus omnia in omnibus, etiam peccata in impiis operatur. Deus malitiam hominibus instillat, impia facinora hominibus suadet, & hortatur. Decretum reprobationis est causa altissima & occulta omnium scelerum & flagitiorum. Deus voluntate quâ Verbo revelat testatur se nec decernere ut fierent in rerum naturâ ulla peccata, & eâdem plane voluntate occultâ intus & apud se decrevit & voluit ut omnia peccata fierent.

16. Deus peccata impedit, odit, abhominatur, vetat, execratur, punit, iis justissimè irascitur, quippe peccata quoad moralitatem quæ in eis est, Legi justæ contrariam, non potest amare ut legi suæ consentaneam, & tamen Deus decernit ut fieret peccatum, idque sine omni mali doli, hypocriseos, aut contrariæ

16. Deus aliud vult, aliud loquitur, Deus duplicem personam induit, est quidam in Deo sanctus dolus quo decrevit & voluit ut nunquam eveniret & existeret peccatum & eam voluntatem hominibus revelat in Verbo, & tamen intus & apud se occultè decrevit ut esset peccatum, & omnia, quæ eveniunt in mundo, flagitia.

riæ voluntatis aut inconstantiæ nota, ut per peccata punita & condonata innotescat gloria misericordiæ & justitiæ. DEUM odisse peccatum ut rem iniquam & sanctæ suæ legi contrariam, sive peccatum existat, sive non, & tamen DEUM velle & decernere ut peccatum existat in DEO contrarias voluntates minimè arguit.

17. Prohibitio peccati est quâ DEUS testatur se peccatum ut quid moraliter injustum & suæ voluntati contrarium odisse, & hominibus fugiendum, nisi in æternum perire vellent, sive actu existat peccatum, sive non. Prohibitio non aperit & declarat hominibus & Angelis DEI decretum æternum, & intentionem, seu propositum de non existentiâ peccati, imò voluntas signi, mandata & prohibitiones DEI abstrahunt ab existentiâ vel non-existentiâ peccati.

17. Prohibitio peccati est in DEO declaratio talis voluntatis quâ decrevit, ab æterno proposuit, & intendit ut nunquam existeret in mundo peccatum, & quâ DEUS testatur se nolle & intendere ut nunquam eveniret, seu existeret vel *Angelorum* vel *hominum* lapsus, sed ut per eorum obedientiam glorificaretur summus Legislator. Odium peccati in DEO, est affectus displicentiæ quo DEUS existentiam actualem peccati cupit & vult nunquam fieri & in numero non entium in perpetuum includi. Omnia hæc sunt mera absurda & mala somnia Adversariorum quæ nostrorum Theologorum sententiæ & status controversiæ hujus ipsos vel planè ignaros, vel vaferrimos & iniquos dissimulatores esse palam arguunt.

18. Peccatum Reprobationis non est effectus.

18. Peccatum à reprobante DEI voluntate causativè pendet.

19. Omnes hortationes ad pœnitentiam & Dei orationes, obtestationes, vota, desideria, reprehensiones arguunt in Deo seriam approbationem obedientiæ Reproborum, etsi ii nunquam Deo obediant.

19. Hortationes & obtestationes Dei sunt tantum meræ delusiones, & totidem Anthropopatheias representationes, nec in Deo arguunt seriam approbationem nostræ obedientiæ

20. Peccatum Deo est bonum πρὸς quâdam & utile medium. At Deo non est bonum honestum; potest Deus illud quod aliquo modo

20. Peccatum nullo modo est appetibile, est summo bono oppositum, apud Deum decernentem boni rationem induere non potest,

modo est bonum, aliquo modo velle.

21. Absolutum Deo est dominium in peccatum, ut sit vel non sit, prout Deo visum est.

21. Penes voluntatem creatam tam absoluta est peccandi vel non peccandi potestas, ut Deus nisi turbato ordine universi, & destructâ libertate creaturæ peccatum impedire nequeat.

CAPUT XXX.

Patres, Doctores, & Scholasticos pro nobis stare de actuosâ DEI Providentiâ circa peccatum.

I.

VNus mihi ferè pro omnibus *Augustinus* reliquis omnibus in hâc contraversiâ longè exercitatior sufficeret, sed nec desunt alii viri clari. (a) *Augustinus* sic. *Multa alia commemorare possemus in quibus liquidò appareat occulto judicio DEI fieri perversitatem cordis, ut non audiatur quod verum dicitur, & inde peccetur.* Item. (b) *Quis non istâ judicia divina contremiscat quibus agit DEVS in cordibus malorum hominum quicquid vult, reddens ei secundum merita,* &c. Et alibi. (c) *DEVS quasdam voluntates suas utique bonas implet per malorum hominum voluntates malas.* (d) Item. *Intelligendum est omnia vel adjuvante Domino perfici, vel deserente permitti. Et non fit aliquid, nisi Omnipotens fieri velit, vel sinendo ut fiat, vel ipse faciendo* Et alibi. (e) *Quamvis ergo quæ mala sint, in quantum mala sint, non sint bona, tamen ut non solum bona, sed etiam ut sint mala, bonum est.* Et de grat. & lib. arb. (f) *Voluntates humanæ ita sunt in DEI potestate ut eas quo voluerit, quando voluerit faciat inclinari vel ad beneficia quibusdam præstanda, vel ad pœnas quibusdam irrogandas; sicut ipse judicat, occultissimo quidem judicio, sed sine dubitatione justissimo.* (g) Ib. *Agit enim Omnipotens in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, ut per eos agat, quod per eos agere ipse voluerit, qui omninò injustè aliquid velle non novit.* Ib. (h) *Et non audivit* Amazias (4. *Reg.*) *quoniam*

(a) Augusti. tom. 7. li. 5. contra Julian. c. 3.
(b) De correp. & grat. c. 14.
(c) Augus. Enchir. c. 101.
(d) Augus. de prædest. & grat. c.
(e) Enchir. 97.
(f) De gra. & lib. arbi ad Valent. li. 1. cap. 19.
(g) Ca. 21.
(h) Ibidem

à DEO erat ut traderetur in manu ejus, quia quæsierat Deos Edom. Ecce DEVS Idololatriæ peccatum volens vindicare. Hoc (quod tamen peccatum erat grave) *operatus est in ejus corde.* Et ibidem. (i) *Sciù, quantum existimo, manifestatur operari DEVM in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates, quocunque voluerit, sive ad bona, pro suâ misericordiâ, sive ad mala, pro meritis eorum, judicio utiq; suo aliquando aperto, aliquando occulto, sed semper justo.* Et retractationum libros *Augustinus* in manu habebat, dum libros de prædestinatione Sanctorum scriberet, uti ipse testatur. (k) Et tamen hic ita scribit. (l) *Est ergo in malorum potestate peccare, ut autem peccando hoc vel illud illâ malitiâ faciant, non est in eorum potestate, sed DEI dividentis tenebras & ordinantis eas, ut hinc etiam quod faciunt contra voluntatem DEI, non impleatur nisi voluntas DEI.* Et ib. (m) *Agit quippe DEVS quod vult, in cordibus hominum vel adjuvando, vel judicando, ut etiam per eos impleatur quod manus ejus & consilium prædestinavit.* Et ibidem (n) multis probat DEUM quocunque voluerit inclinare, parare & convertere voluntates humanas. Nihil clarius apud *Augustinum* quam DEUM velle peccatum, quâ pœna est. (o) *An non* (inquit) *est peccatum & pœna peccati, ubi legitur, Dominus enim misceut spiritum erroris?* —— *an non est peccatum & pœna peccati? ubi DEO dicit Propheta. Quid errare fecisti nos, Domine, à viâ tua* —— *non est peccatum & pœna peccati? ubi DEO dicitur. Ecce tu iratus es, & nos peccavimus.* Et ibidem. (p) *Quid est autem quod dicis* (Juliane) *quos desideria suis traditi dicuntur, relicti per divinam patientiam in peccata compulsi, quasi non simul posuerit hæc duo idem Apostolus & patientiam & potentiam, ubi ait, sic autem volens ostendere iram & notam facere potentiam*, &c. Et idem subjungit *Augustinus*, ibid (q) *judicia tua abyssus. Et O altitudo!* Scio *Augustinum* alibi dicere. (r) *Et nostra fides hæc est quod malorum genitor non sit DEVS, neque ullam naturam fecerit malam,* —— *mala sunt ex voluntario.* Differit ibi contra *Fortunatum* Manichæum qui dixit animas naturâ esse malas, non voluntatis arbitrio. Et huic doctrinæ ipse *Augustinus* videtur Adversari. Dum ait (s) *Nusquam legimus in Scripturis: non est voluntas nisi à DEO* —— *quia veram non est, alioquin etiam peccatorum, quod absit, autor est DEVS.* Sed *Augustin.* Ibidem (t) respondens nostram sententiam confirmat.

(i) Ibidem

(k) Lib. 1. de prædest. sanct.

(l) De prædestin. sanctor. lib. 1. c. 16.

(m) Ibid. c. 20.

(n) Ibid.

(o) Contra Julian. lib. 5. c. 3.

(p) Ibid.

(q) Ibidem

(r) Augus. contr. Fortunatum l. unic.

(s) Augustin. tom. 3 de spirit. & litterâ ca. 31

(t) Ibid.

Porro

Porro (inquit) *cum voluntas mala potestatem accipit, implere quod intendit, ex judicio DEI venit, apud quam non est iniquitas, punit enim etiam isto modo, nec ideo injustè, quia occultè. Objiciunt* Adversarii *Augustinum* sententiam eam quæ peccata prædestinationi Dei adscribit tanquam blasphemam rejecisse. Respondeo id verum esse merito, nam inponebant *Augustino* quod fatali decreto cogenti peccati tribuerit (v) *detestanda* (inquit) *& abhominanda opinio est, quæ DEVM cujusquam malæ voluntatis credit autorem, cujus prædestinatio nunquam extra bonitatem, nunquam extra justitiam est.* —— *non ergo ejus inventum, nec malignitatem iniquorum, neque cupiditates peccantium prædestinatio DEI, aut excitavit, aut suasit aut impulit.* Et ibidem. (x) *Nihil ibi pater, nihil filius, nihil spiritus sanctus agit.* Vide quæ alibi habet superhac re. (y) Unde liquido constat adversarios *Augustini* ei tribuisse, quod decreto stellari & compulsivo omnia peccata adscripserit. Id quod nobis hodie objiciunt *Arminiani*, sic *Remonstrantes*, & *Nichol. Grevinchovius.* Eam causam agere cogitur beatus *Augustinus* His verbis (z) *nec sub nomine gratiæ fatum asserimus*, &c. Et planius postea. (a) *DEI gratia non solum omnia sidera & omnes cœlos, verum etiam omnes Angelos supergreditur, deinde fati assertores & bona & mala hominum fato tribuunt* (uti *Augustinus* Dei voluntati fataliter necessitanti, ut calumniati sunt ipsius adversarii). *Deus autem in malis hominum, merita eorum debita retribuere persequitur, bona vero per indebitam gratiam misericordi voluntate largitur, utrumque faciens non per stellarum temporale consortium, sed per suæ severitatis & bonitatis æternum altumque consilium.* *Augustinum* optimè hic etiam propugnat *Bradwardinus.* *Ut autem* (inquit) *intentio Augustini & aliorum sanctorum magis appareat, advertendus est modus eorum loquendi, & intelligendi, cum negant DEVM velle peccatum, & causa hujus negationis est pensanda. Causa autem hujus negationis videtur ista, quia Apostolus & Augustinus & alii sancti, Præscientiam & similia ex parte DEI posuerunt, voluerunt Pelagiani & hæretici alii excusare peccantes à suis peccatis & retorquere causam & culpam in DEVM qui sic prædestinavit vel præscivit. Volunt igitur* sancti dicere, quod causa *cogens non* est prædestinatio, nec *Deus* prima causa imputabilis, sed ipsi liberè peccant, qui peccati servi sunt. Addo *Augustinum* dicere, (b) *DEVM* Expressè *voluntatem*

(v) Augustin. tom. 7. ad artic. sibi falsò impositos artic. 10.

(x) ad art. 13.

(y) Augustde peccator. merit. & remissio. lib. 2. ca 17

Remonstra. Syno. dissæ. art. 3 pag. 275. Grevincho cont. Anne. pag. 79. 80. & seq.

(z) Augustin. comm. duas exist. Pelagiano. ad Bonifacium lib. 2 ca. 5.

(a) Augustin. ib. 6. ca. 6. Bradwardi lib. c. 34.

(b) Augustin. de gr. & lib. arb. c. 20.

luntatem Shimei proprio vitio malam in peccatum ab ipso commissum judicio occulto, sed justo inclinasse. Sed occurunt Arminiani & Iesuitæ, sic Deum homines ad peccandum à Deo prædestinari, ex Augustino. Ideoque phrases Augustini duriores vel fuisse molliendas, vel minime tolerandas esse. Sed respondeo mollitione minime opus esse Authori explicanti mentem suam clarissimè. (c) His verbis, *fecerunt Iudæi peccatum, quod eos non compulit facere, cui peccatum non placet, sed facturos esse prævidit, quem nihil latuit.* Et clarius. (d) *Quisquis ex prædestinatione DEI, velut ex fatali necessitate homines in peccata compulsos cogi dicit ad mortem, non est Catholicus.* Decreti itaque fataliter compellentis commentum rejicit tantum *Augustinus*, quod & nos rejicimus. Hæc pro Augustini mente sufficiant. Prosper (e) *Cum aliquos à DEO aut traditos desideriis suis, aut obduratos legimus, aut relictos magnis peccatis suis, hoc ipsos meruisse profitemur, quia talia eorum crimina præcesserunt, ut ipsi sibi pœnas debuerint, quæ iis etiam supplicium verterent in reatum.* Si ergo Deus vult pœnam vult peccatum quod est, ex *Prospero, pœna.* Et *Anselmus* (f) *Nam dicitur hominem indurare, cum non emollit, & inducere in tentationem, cum non liberat, non est ergo inconveniens eum hoc modo prædestinare, dum malos & eorum mala opera non corrigit.* (g) *Gregorius. Hinc est enim quod Caian & divina voce admoneri potuit, & mutari non potuit: quia exigente culpâ malitiæ jam intus DEVS cor reliquerat, cui foris ad testimonia verba faciebat & ibid.* (h) *si incluserit hominem, nullus est qui aperiat; quia sicut nemo obstitit largitati vocantis, ita nullus obviat Justitiæ relinquentis.* Et ib. (i) *Necessario sequitur ut omni tentationi sit subditus quicunque à DEO fuerit derelictus.* Si ergo Deus per gratiæ suæ justam subtractionem, ex *Anselmo* & *Gregorio* necessitat ad peccandum nonullos; inde necessario conficitur Deum velle & decreviſſe ut ipsorum fieret contumacia, se permittente. Et aperte *Gregorius* alibi (k) *Tentatione Satanæ disponitur: ut qui elati perire poterant, humiliati à perditione serventur, secreto ergo dispensationis ordine, unde sævire permittitur iniquitas diaboli* (nempe dum quosdam ad peccandum tentat ad eorum humiliationem) *inde piè perficitur benignitas DEI.* (l) *Ireneus. Permittitur peccatum, ut* Dei *bonitas ostendatur, & Justitia perficiatur.* Deus ergo prius bonitatis & justitiæ suæ gloriam intendit, & ut intentum assequatur permissivè

(c) Augustin. tract. 53. in Ioan.

(d) Augustin. cont. prosper. ad cap. Gall. sent. ad c. 1.

(e) Prosper ad Capp. Gall. c.

(f) Anselmus de concord. prædesti. & lib. arbit.

(g) Gregorius lib. 11. moral. c. 5

(h) Greg. ib.

(i) Ibid. in 3. Psalmum pœniten.

(k) Greg.

(l) Ireneus adverſ. hæreſeis lt. 4. c. 74.

sivè vult, ut fiat peccatum. Et idem sequitur ex verbis (m) *Clementis Alexandrini. Divinæ sapientiæ, virtutis, & potentiæ est, non solum bona facere, quæ naturæ DEI est, sed etiam illud maximè, ut id quod per malos excogitatum est, ad bonum aliquem finem, & utilem deducat, & utiliter iis quæ videntur mala utatur. Arminius* hoc testimonium *contra se haud* militare ait, sed inde sequitur ex *Clemente.* 1. Deum prius bonum finem intendere, quam peccata permittit. 2. Deo peccata esse utilia ad bonum finem, ergo eatenus à Deo appeti. 3. Deo utenti malis ad bonum finem malas voluntates ut instrumenta subordinari & nihil præterea quærimus, (n) Ita *Fulgentius, DEVS licet non sit autor malarum cogitationum ordinator tamen est malarum voluntatum, & de malo opere cujuslibet non desinit ipse bonum operari. Fulgentio* res erat cum *Juliano Pelagiano* qui eandem causam agebat cum *Arminio*, nec negavit Deum è peccato existente bonum elicere. (o) *Isiodorus. Nonnulli ita despiciuntur à DEO, ut deplorare sua mala non possint, etiam si velint.* (p) *Hieronymus, dicam quidquam sine te fieri, & te nolente tantum posse impium? hoc sentire blasphemum est.* Item (q) *Quicquid in mundo bonorum vel malorum est, non absque providentia, & fortuito casu accidit, sed judicio DEI: Hugo* (r) *Si vero dicitur DEVS vult malum, grave auditu est, & non facile recipit pia mens de bono quod malum vult, videtur enim tum dici, quod bonus malum diligit & approbat, quod pravum est, ideo refutat hoc pia mens, non quia quod dicitur non benè dicitur, sed quia quod bene dicitur, non benè intelligitur* & (s) Ibidem. *Cum bonum facit & permittit malum apparet voluntas ejus in illo, quoniam esse vult, quod facit & permittit. Et est DEI voluntas beneplacitum ejus, & voluntas ejus operatio ejus.*

Scholastici durius hic quam nostri loquuntur. *Medina, Occam, Gabriel* dicunt *DEVM in rigore & proprietate sermonis esse causam peccati. Cajetanus* ait *DEVM Sihonem obdurasse negativè penes dona gratuita, & positivè quoad judicium, inclinationem & boni sensibilis prosecutionem.* Omnes ferè *Dominicani* imprimis verò *Did. Alvarez*, docent *DEVM* prævidâ ratione liberum arbitrium verè efficienter, *sive ad modum causæ physicæ præmovere ad actum peccati, in quantum actus, & ut ens est.* Ita D. *Bannes.* Dicit *Sotus* Theologos fate-

(m) Clement. Alexandrinus. Strom. lib. 1.

(n) Fulgentius lib. 5. c. 3.

(o) Isiodorus sententiarum lib. 2. c. 15.

(p) Hyeronimus com. Marcell. in Habbak. c. 1.

(q) Idem cap. 121 Jeri.

(r) Hugo de sacrament. lib. 1 c. 12. pa. 14

(s) Ibidem Medina in 12. q. 97. ar. 2. Occam. Gabriel. Cajetanus comment. 2. reg. cap. ult. Alvarez de anxit. disp. 22. c. 7.

D. Bannes. 1. p. q. 19. art. 10. dub 1. post. 3. fundam. & q. 48. art. 2. Sotus nat. & grat. lib. 1. c. 18.

ri *entitatis, quæ est peccatum, DEVM esse causam, eo efficientiæ genere, quo cuncta entia positiva efficit.* Ita *Capreolus*, & *Ferrarienſis*; & *Cano, Vega, Scotus*, & omnes ferè *Thomiſtæ*. Et expreſſè ipſe *Thomas*. Addo tres famoſos Jeſuitas, qui nobis in hac contraverſiâ, ſeſe opponere ſatagunt. *Did. Ruiz Peccatores, licet quoad malitiam, ſint cauſæ principales, cæterum quantum ad inferenda mala triſtia, ſunt DEI inſtrumenta. Ergo DEUS præconcipit & præordinat eorum actiones, & præſcribit illis menſuras & cæteras circumſtantias.* Et idem. *Aliqua ſpecialis energia concedenda eſt, propter quam DEUS dicatur obdurare, præter infallibilitatem illationis ex ſubſtractione divinæ gratiæ.* Et ibidem. *Potentiâ abſolutâ non repugnat à DEO cauſari integram collectionem motivorum & infallibilizantium ad peccandum* At inter illa motiva ſæpè ſunt carnalis ratio, ſuaſio meretricis impiæ, Diaboli tentatio, amici prava conſilia, intentio inanis gloriolæ. Non ergo repugnat ex Jeſuitæ mente cauſari à DEO congeriem peccatorum, Nunquam *Calvino, Bezæ* aut ex Noſtris alicui tam inſolens ſententia & tam nefanda excidit. *Franciſcus Suarezius* ita. *Si voluntas principis decrevit inferre bellum & deprædari quicquid poteſt, non eſt malum inclinare illam ad hanc gentem potius quam illam.* ——— *In his ergo caſibus poteſt DEUS juxta infinitam ſuam ſapientiam & juſtitiam inclinare voluntates, vel directè interius conſulendo, per Angelos bonos, hoc potius, quam illud opus eligere; vel per Angelos bonos iis facultatem præbendo limitatam, & definitam ad talem perſonam,* &c. DEUS ergo ex *Suareſio* poteſt 1. Suggerere bonis Angelis rationes ad tentandum homines, & ad peccatum ſolicitantes, adeoque imperare poteſt bonis Angelis ut peccent, nam, ſuadere malum eſt peccare. 2. Poteſt DEUS inclinare homines ad peccatum hoc potius, quam illud, adeoque ad patrandum gravius, quam levius, cum homines ad peccatum indefinitè propenſi ſint. Ideoque DEUS tum peccare tum peccatum ſuadere poteſt, hoc nihil craſſius docuerunt Libertini, *Quintinus Coppinus, Florinus aut Simon Magus: Calvinum* tamen & *Bezam* θεομαχίας Jeſuitæ ſugillant, ſed malâ profectò conſcientiâ. *Bellarminus. DEUS* (inquit) *præſidet ipſis malis voluntatibus, eaſque regit & gubernat, torquet & flectit, in ils viſibi-*

Capreolus. 2. ſent. 37. art. 3. ad 2. Ferrarienſ. cont. Gent. c. 71. Cano. de loc. lib. 2. c. 4. ad. 7. Did. Ruiz. com. de pr. & prodeſtract. 2. diſ. 12. ſect. 6. fig. 3. Ib. diſp. 13. ſecta 1. fig. 13.

Suarez de concurſ. li. 2. c. 3. fig. 19.

Bellarmin. de ſtat. peccat. lib. 2. c. 10.

visibiliter operando, ut licet proprio vitio malæ sint, tamen divinâ providentiâ ad unum potius malum, quam ad aliud non positivè, sed permissivè ordinentur. Hæc illa est *Suarezii* blasphema cantilena. *Jac. Armin. argumenta, quibus fratres Josephi incitati sunt pro suâ malitiâ, ut fratrem suum è medio sublatum vellent, & occasiones, quibus illum è medio auferre poterant, illis dispensatione divinâ oblata sunt, partim mediato hominum actu interveniente, partim immediato ipsius DEI. Hinc, si DEVS* actu immediato rationes ad peccandum solicitantes hominibus suggerit, idem facit, ac si suaderet peccatum. Si vero *Arminius* velit actuali tantum primæ causæ concursu ad actum entitativum perpendendi & considerandi moralia peccandi irritamenta DEUM concurrere, nullum specialem providentiæ actuosæ & efficacis actum magis hic agnoscit quam quando imber cadit, aut lilia crescunt, Hoc *Arminii* menti & scopo in hisce thesibus repugnare ipse fateretur, quippe hic actus speciales specialis & actuosæ providentiæ commemorare ei est in animo vel lectori meras impostoras dat. Quin & idem ait, *DEVM voluisse Achabum mensuram scelerum suorum implere, sibique & suis exitium accelerare.* Hic DEUS & vult, ex *Arminio, Achabum* nulla scelera patrare, voluntate revelata, & eâdem illâ voluntate occultâ, intus & apud se vult illum scelerum suorum mensuram implere. Hoc modo DEO affingit hypocrisin & malum dolum, & duas etiam contrarias voluntates, quod absurdum est. 2. Sequitur DEUM velle omnia *Achabi* peccata, esseque peccati Autorem. Ejusdem commatis est quod ait Arminii Sectator *Arnoldus Corvinus. DEUS voluit inobedientiam Pharaonis continuam ac diuturnam esse, ut tanto justior esset punitio. Vorstius.* Et *si igitur DEVS non tam subito populum suum (à Pharaone) dimitti fortasse voluit, postquam ipsius malitiam punire ac traducere decrevisset, verè tamen ab eo præstari tandem voluit, quod sæpius illi præceperat.* Hinc ex *Vorstio. DEVS* voluit *Pharaonem* dimittere populum

Arminius disp. pub. de effic. act. & justit. prov. thes. 11. Armin. disp. pub. 14.

Corvin. contr. Molinæ c. 4. § 4. Vorstius collat. cum Piscato. pa 36.

pulum, id est, noluit illum obedire DEO. 2. DEUS decrevit traducere & continuare malitiam *Pharaonis*, id est, voluit *Pharaonem* diutius in contumaciâ suâ persistere. Hoc est rotundè duas contradictorias voluntates, malum dolum & (quod horrendum dictu est) hypocrisin DEO blasphemè affingere, quod nos toto pectore execramur.

DISQUITI-

DISQVISITIONES METAPHYSICÆ

Quæ nonnihil lucis fortassis *adferre possunt Doctrinæ* de PROVIDENTIA.

QUESTIO I.

An Ens sit prius simpliciter non ente.

QUÆST. I.

Principium hoc primum (Omne idem est idem) sen suppositio simplicissima veritatem in primo vero primam obtinet.

ARistoteles Poster. Analyt. l. 1. cap. 22. ἡδὺ καταφατικὴ τῆς ἀποφατικῆς οὐσίᾳ καὶ γνωριμωτέρᾳ. *Prius itaq; est simpliciter esse, quam non esse. Affirmativum negativo prius est.* Arist. etiam lib. 4. Metaph. c. 4. ἡμεῖς δὲ νῦν εἰλήφαμεν ἀδύνατον ὄντος ἅμα εἶναι καὶ μὴ εἶναι καὶ διὰ τοῦτο ἐδείξαμεν ὅτι βεβαιοτάτη τῶν ἁπάντων ἀρχῶν. *Estque hoc principium primum, estque firmissimum. (Impossibile est idem simul esse & non esse.)* Quia verò simplex est prius complexo: principium hoc prius est. (*Idem est idem.*) Sed quia nihil docet prædicatio identica, hæc suppositio est simplicissima, fortè verius, quam principium. Itaque principium adhuc prius est. (*DEVS est,*) (*DEVS intelligit,*) (*DEVS vult,*) &c. 2. Id autem (*Idem simul esse & non esse est impossibile*) veritatem obtineat necesse est, in eo qui est primus idem, cui suavissimum nomen & plus quam nomen, אֶהְיֶה אֲשֶׁר אֶהְיֶה יְהוָה

Quæstio II. *An* DEUS *causa dominans sit entium & non entium.*

Ens est prius non ente.

NOn necesse est probemus Ens non ente, affirmativum negativo prius esse, quia non ens & negatio præsupponit ens & affirmationem, non contra. 2. Non ens est elongatio & distantia ab ente simpliciter, & terminus simpliciter à quo est prior, eo quod ab ipso recedit: & læsio, seu entis quasi privatio, est posterior ente simpliciter, ut tenebræ luce, cæcitas visu: at non ens est læsio entis, & ab ente elongatio. 3. Primus actus infinitus, quem non esse, involvit contradictionem, (quam pulcherrimo & superexcellentissimo enti entium tribuere nefas est.) Prior est non ente simpliciter & omni modo. Non ens quod negat ens vel negat ens increatum, dicitque non-DEUM, DEUS non-DEO prior est. Vel 2. negat aliquid DEI, nempe, vastissimam illam fœturam possibilium in fœcundissimæ Omnipotentiæ gremio at Omnipotentia, ut est essentia DEI, est prior illâ fœtura quæ tantum esse habet possibile, quia DEUS est Omnipotens. Vel 3. negat ens creatum, & est ens increatum prius creato. Verum enimverò, cum DEUS sit absolutus Dominus quasi amplissimæ illius fœturæ possibilium in Omnipotentiæ thesauro reconditorum, æquè erit Dominus impossibilium creando specificas rerum formas è quibus resultant incompossibilitates, atqui est possibilium. In *possibilia* autem dominatum DEUS hoc modo obtinet, quod sit Omnipotens, & ideo quia Omnipotens, omnia possibilia sunt possibilia, non autem quia sunt possibilia in se & intrinsecè, ideo DEUS est Omnipotens, & sic DEUS Dominus æquè est non futurorum quæ ad statum futuritionis evehere potest, atque est futurorum, uti Rex terrenus dominatum habet, sed longè inferiorem in Regnum quod potest conferre pro suo creato dominio in mendicum & captivum quem ad tales honores nunquam evehit. Iis ergo locis Scripturæ quibus asseritur Dominium DEI in creata, etiam & in non creata, & non futura, & possibilia & impossibilia DEI dominium supremum etiam vindicatur. Neque Dominium DEI propriè incipit cum rebus, aut desinit, si cessent creaturæ existere, cum sit æternum, 1 *Paralipom.* 29. 11, 12, 14, 16. *Deut.* 10. 14. *Psa.* 89. 18. *Psal.*

Dominium DEUS *obtinet in non futuris & non natura.*

Pſal. 115. 16. *Pſal.* 24. 1. *Pſal.* 15. 5. *Rom.* 11. 36. *Prov.* 16. 4. *Apoc.* 4. 11. Inde eſt quod ad plenitudinem ſui Dominii, DEUS decreverit concatenationem futurorum contingentium, uti traditionem *Davidis* in poteſtatem *Saulis*, ſi apud *Keilitas* manſiſſet *David*; attamen tum traditio, tum permanſio omniaque illa futura contingentia ſunt merè poſſibilia, nunquam futura. Eſt etiam DEUS cauſa quæ Dominium exerceat, in non ens, in impoſſibile, & amæniſſimus fons, puriſſima & ſimpliciſſima origo, cauſa & ortus, poſſibilium, impoſſibilium, contingentium, neceſſariorum, mobilium, immobilium, futurorum, non-futurorum, verorum, non-verorum. Nam Dominium ejus nullis terminis circumſcriptum in non entia extendi, evincitur ſic.

Argum. I.

1. Solus ille loquendo, imperium & mandatum Omnipotentiæ extendit in purè non entia. *Et dixit*, cui, quæſo, dixit? purè non enti, *eſto lux, & facta eſt lux*, Geneſ. 1. 3? *Manus meæ* (inquit, *Eſa.* 45. 12.) *Cœlos tetenderunt, & exercitui eorum præcepi.* Cœli ergo nondum creati, cum adhuc eſſent non entia, quaſi auribus hauſerunt illud mandatum *DEI, egredimini & exite è purè nihilo.* Id enim verbum צוה mandare, jubere, notat, *Geneſ.* 1. 9. *Lev.* 8. 36. *Nach.* 2. 14. *Deut.* 4. 23. *Eſai.* 40. 26. *Videte quis creaverit hæc educens in numero*, vel qui educit è purè nihilo exercitum eorum, *Rom.* 4. 17. Vocat τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα. Verbo & nutu Omnipotentiæ vocat non entia. Ita verbum קרא eſt vocare. Ecce tale dominium quo non entia obediant DEO vocanti. 2 *Cor.* 4. 6. *DEUS, qui dixit*, ὁ Θεὸς ὁ εἰπὼν, *ut è tenebris lux ſplendeſceret*, &c.

Geneſis 1. וַיֹּאמֶר אֱלֹהִים

2. Cum infinita ſint poſſibilia, quæ nunquam futura ſunt, in gremio quaſi vaſtiſſimæ omnipotentiæ nempe plures mundi, plures ſoles, lunæ infinitæ, aſcribendum DEO dominanti in illa quæ poteſt, ſi vult producere, quod fieri, hunc mundum non alios millenos mundos, hunc, non tres alios, vel quatuor *ſoles* vel *lunas*, has, quæ de facto creatæ ſunt, decreverit creaturas; *Jeſuitæ* autem philoſophi impudentes non dubitant aſſerere in liberi arbitrii creati potentiâ nimis vaſtâ & ſpatioſâ eſſe eos actus liberos finalis obedientiæ, qui nunquam futuri ſunt, & hominem liberum agentem habere dominium nimis liberum & ſolutum & abſolutum à DEI prædeterminatione in actus liberos nunquam futuros, quia eos actus elicere

Argum. II.

poteſt voluntas, at cur non hi boni viri tantum DEO noſtro in æternum celebrando, ſi non plus dominii in ea quæ ipſe producere poteſt pro ſuâ non menſurandâ potentiâ, quæ tamen actu non producit, quantum miſellis & heſterno die natis creaturis aſcribunt. Nam voluntas creata in actus liberos mere poſſibiles & nunquam futuros dominatum abſolutum habet, ſi illis credendum.

3. *Ariſtoteles Metap. l. 5. c. 2.* Ἔστι δὲ ταὐτὸ ἐνίοτε τῶν ἐναντίων ἐστιν. Ὃ γὰρ παρὸν αἴτιον τε δὲ τοῦ· ἀπὸν αἰτιώμεθα ἐνίοτε τὸ ἐναντίον. Οἷον τὴν ἀπουσίαν τὸ κυβερνήτου τῆς ἀνατροπῆς τὸ πλοῖον ἡμεῖς ἢ παρουσία αἰτία τῆς σωτηρίας. *Idem quoq; interdum contrariorum cauſa eſt. Quod enim adeſt, hujus rei cauſa eſt, id ſi abſit, contrarii cauſam eſſe querimur ut gubernatoris abſentiam everſionis navis cauſam dicimus cujus præſentia cauſa erit ſalutis.* Ut 1. *Sol* eſt cauſa lucis, & abſentia ſolis tenebrarum cauſa, quia & lux & tenebræ aliquo modo, ut ſint, corpore ſolari indigent, ita & entia & non entia etiam purè negativa DEO primo ente indigent, ut ſuum eſſe (qualecunque ſit) habeant. Fatentur *Jeſuitæ* entia per participationem indigere ente primo, quod per eſſentiam eſt ens, *ſed negant non entia ut ſint non entia, primo ente indigere quoniam non entia intrinſecè & ex parte τοῦ εἶναι vel eſſe objectivi (qualecunq; illud eſſe ſit) ex ſeſe, & ex pura negatione creationis quæ à primo ente ſit, ſunt non entia:* Sed facile diluitur: quia non entia poſſibilia ut ſint poſſibilia, indigent omnipotentiâ DEI extra & citra quam ſunt mere nihil, non ens, non poſſibile imo impoſſibile licet improprie admodum, quia nullum eſt, hoc caſu poſſibile ut ſtatim demonſtrabitur. Nec poſſibilia extra DEUM dicuntur poſſibilia per aliquam potentiam realem, vel objective realiter inhærentem in ipſis poſſibilibus, nam nulla realis forma eſt in non ente, neque non entis eſt accidens; nec eſt realis forma aliqua denominans antequam ſit ſubjectum reale, at ſubjectum reale hic nullum eſt, nam nihil reale extra DEUM ab æterno fuit, nec ſubjectum, nec forma, nec ens aliquod. Ergo poſſibile dicitur poſſibile per denominationem extrinſecam, quia poſſibile eſt quid potens fieri, per potentiam extra poſſibile in ſolo DEO omnipotente. At vero ſi collatio inſtituatur inter entia futura & non entia futura, cum, ſicut entia ſunt entia per dependentiam & participationem à primo ente effectivum, ita non entia & ea

Deus per liberam ſuam noneffici-entiam creativam dominatum habet in poſſibilia nunquam futura.

quæ

quæ nunquam futura sunt, habent non futuritionem vel quod non sint futura per non participationem liberam vel non efficientiam liberam DEI. Et uti nauclerus præsens causa est salvatæ navis, ita absentia naucleri, si adesse tenetur, est causa moralis naufragii & interitus navis. Sic DEUS per liberam efficientiam est causa rerum creatarum, & per non liberam efficientiam creandi, est causa non creatarum rerum & nunquam futurorum. Sed quia non ex debito aut obligatione creat, non est causa non futororum culpabiliter moralis. Ideoque falsum est non entia ex se & intrinsecè esse non entia, quia non entia sunt contenta in statu & classe (ut sic loquar) non entium, non per suas naturas objectivas (ut loquuntur *Jesuitæ*) neque habent veritatem imaginariam, imo nec umbratilem non essendi naturam à seipsis, sed á libera DEI non efficientia. Nam omnium non entium possibilium, & nunquam futurorum est par natura & ratio, at vero cur non sint pestilentia, fames, mors inopina liberorum, lues horrenda armentorum, invasio ab hostibus, victoria penes sanguinario animo homines in nos sævientes, combustio trium puerorum, cur non nascantur septuplo plures homines, quam qui fructibus terræ ali possint, cur non natæ sint locustæ, Ranæ, Erucæ, melolonthæ aliaque vitæ humanæ animalcula infestissima; Omnia (inquam) hæc quod non sint, neque existant, singulari bonitati & gratiæ DEI acceptum ferendum. Ergo & DEI liberę voluntati, quod non sint plures mundi, plures soles, septuplo plures homines, tribuendum. Alioqui ipsis animalculis nunquam futuris, & eorum intrinsecę naturæ objectivæ & imaginariæ, tribuendum foret, quod non sint: Neque enim necessitati naturæ non entium ascribendum est, quod in perpetuum careant esse effectivo Creatoris, sed liberæ DEI voluntati.

Non entia per se & ex sui natura qualicunque non sunt non entia.

4. Non entia dominium nullum, nullamve potentiam habent in DEUM ejusque liberum influxum creativum, cujus solius potestate sunt possibilia, unde rectè *Bradwardina, quia ergo DEVS prius potuit facere mundum, antequam fieret, ideo est mundus, non quia potuit mundus prius esse.* Ideoque non sunt tres mundi, sed unus, non quia duo mundi sunt possibiles ex se & ex suâ intrinsecâ naturâ, non enim per se & ex se ab infinito ente deficiunt, sed quia primum ens per se non dedit esse effectivum duobus mundis. Quippe creabile non est non creatum, quia ipsum est creabile. Quia si

Arg. IV.

Bradward. de causa DEI l. 1. cap. 4.

hæc

hæc sit formalis ratio non creati entis, tum omne creabile esset non creatum, & sic nihil esset creatum: nam omnia quæ creata sunt erant creabilia. Si ergo ratio & causa non creati entis non erat in creabili, quia est creabile, Ergo erat in alio extra creabile: at nihil erat aliud excogitabile præter primi entis liberam actionem creandi. Sed fortè dici potest, *creabile aliud est activum, aliud creabile passivum seu objectivum, ratio formalis non creati entis non est in creabili passivo tantum, sed etiam in creabili activo.* Sed si ratio formalis non entis creati non fit in creabili prius quam in creativâ potentiâ *Creatoris*, habetur institutum, nempe, igitur in creabili non esse intrinsecè rationem formalem non entis, & sic non est aliquid prius & in se creabile, quam sit potentia activa creandi in DEO. Et necesse alterum altero prius sit: nam vel est aliquid creabile, quia DEUS prius potest creare (quod nos intendimus,) vel ideo DEUS potest creare, quia extra DEUM est aliquid creabile. At hoc certè est statuere causam Omnipotentiæ & potentiæ creativæ DEI extra & ante DEUM, quod absurdum, & blasphemum. Nec possunt Creator & Creabile simul naturâ, ut entia quâ parallela existere.

Ratio creabilitatis in quo.

Arg. V. 5. DEUS vel necessitate naturæ creavit mundum in $\tau\varphi$ (e) serius, vel liberè in eodem $\tau\varphi$ (e); si DEUS necessitate naturæ mundum creavit in $\tau\varphi$ (e) serius, non potuit creasse mundum citius in $\tau\varphi$ (a) nempe, sex mille sæcula imaginaria ante. Qui enim necessitate naturæ agit, non potest citius, non potest serius agere, sed semper agit, uti *Sol* non citius, non serius illuminat, quia semper illuminat. Homo non est citius vel seriùs animal rationale, quia in omni differentia temporis, quâ est homo, semper est animal rationale. Nulla autem est ratio, cur DEUS ab æterno mundum non condiderit, imo hoc modo necesse est ab æterno mundum condiderit: quod repugnat Scripturæ & rectæ rationi. Si vero DEUS liberè mundum condidit, in $\tau\varphi$ (e) idque serius, ergo potuit etiam citius in $\tau\varphi$ (a) nempe sex mille imaginaria sæcula antea, mundum condidisse. Qui enim liberè agit, potest agere seriùs, ocyùs, citiùs, hodie, cras, & quolibet durationis momento vel signo. Et si potuit, sex mille sæcula imaginaria antea, in $\tau\varphi$ (a) condidisse, cum per totum hoc spatium imaginarium dominatus est in non entia creabilia, quippe potuit ea carcere non entium

Quia DEUS liberè non creat mundum, potuit serius aut ocyus creasse.

non-entium liberasse, & noluit, eaque creabilia in numero non-entium & non-creatorum detinuit, & per hanc rationem ab æterno dominatus est in non-entia, liberè negando influxum creativum, donec ventum esset ad signum (e) in quo liberè creavit mundum. Et potuit nunquam creasse mundum, & sic actu dominatus fuisset in æternum in non entia: & cum infiniti sunt modi & infinitæ creaturæ aliæ, præter unicum hunc mundum, Deus in omnia illa non futura & non-entia dominatum habet, eaque carcere nonentium in æternum constringet, idque liberè, quia vult, nam poterat alia atque alia non entia liberè creasse, & sicut liberè creat quæcunque creat, ita liberè etiam non creat, quæcunque non creat.

6. Beatissimus Deus simpliciter est necessarium primum, est radix & causa omnium creatorum entium quæ aliquid possibilitatis, contingentiæ, ac proinde & nonnihil non-entis admixtum habent. Quia quod est increatum & non habet causam est prius creato, & quod habet causam. Et *Aristoteles* Metap. l. 9. c. 9. ὅτι γὰρ ἀδύνατον ἡ ἐνέργεια καὶ δύναμις μία καὶ τὰ αὐτὰ ἀρχῆς μεταβλητικῆς φανερόν. *Actus prior est potentiâ & omni mutandi principio.* Et nihil magis affine non enti quam potentia quæ via est ad ens, & ens vix dum pubescens (si sic loqui liceat) omne autem quod est in potentiâ est non-ens actu, & quod habet causam, constat ex potentiâ & actu, ex non esse & esse, prout illa causa, præsertim si sit causa causarum, esse tribuat vel non tribuat. Causa ergo prima erit sola causa cur hoc producibile fuit semel non ens, nec non erit causa libera, cur non erit, si placuerit ei illud annihilare. Arg. VI.

7. Dei Voluntas est actualis & positiva circa omne volibile & nolibile, circa omnia non-entia æquè ac circa entia, quia Deus positivo decreto actuosæ & efficacissimæ providentiæ statuit de non immittendis fame, pestilentiâ, gladio, feris bestiis, *Ezech.* 36. 29, 30. *Job.* 5. 22. *Psal.* 91. 91. 3. 2 *Chron.* 7. 28, 29, 36, 37. Ergo est positivum decretum de non creandis pluribus mundis, de non frangendis ossibus Christi, nam est supinæ, otiosæ & sopitæ in *hominibus* providentiæ, aut etiam *Angelis*, quod multa non fiant, ipsis nescientibus, nec intendentibus, nec volentibus, si multa & tot possibilia manerent non-entia & non-futura, Deo nec sciente, nec volente, nec intendente, nec curante, quomodo pervigil esset pro- Arg. VII.

videntia ipsius? non foret sic efficax mundi gubernator. Nec dici potest sufficere negativum actum decreti, aut DEUM decernere salutem creaturæ includere consequenter decretum non immittendi pestem, famem, bellum. Quia sic imperfecta & otiosa esset voliția DEI & supina providentia. 2. Quia in volendi & nolendi actus creaturæ non constaret Deo dominium supremum.

QUESTIO III. *An DEUS sit Origo & Causa impossibilium & possibilium.*

NOn est quæstio, an DEUS causa sit, quod idem simul possit esse & non esse, vel quod contradictoria sint simul vera, DEUS enim talia efficere non potest. Sed an possibilia & impossibilia sint participativè & originaliter à primo ente, ut ab efficiente: Affirmatur. 1. Quia hoc principium (*Idem simul esse & non esse, impossibile est*) prius veritatem obtinet in DEO primo ente, pulcherrimo fonte, causâ causalissimâ, puro & purissimo vero, quam in entibus per participationem, in rivulis, in effectibus, aut in vero per participationem. Nam quia simpliciter & absolutè est impossibile, *DEVM esse DEVM, primum & increatum idem non esse idem*, ideo impossibile est creatum idem non esse idem, & ens per participationem simul esse ens creatum & esse non ens creatum, est impossibile, quia copiosius suavissima refulget & unitissima coidentificatio seu identitas in eo qui est magis primus & infinitus & magis idem simplicissimus & altissimus. (*Ego*) qui solus dicit. אֲנִי אֲנִי הוּא וְאֵין אֱלֹהִים עִמָּדִי Deut. 32. 39. Quam in ente quod est idem per primum ens & per participationem tantum; nam causa identitatis, concordiæ, unionis & veritatis in creaturis, ut & entitatis, est ipse DEUS, qui dat naturam & formam. 2. Πρότερα τῇ φύσει ὄντα, ut ait *Philosophus* Metaph. l. 9. c. 9. *Prior est actus quàm potentia*, Ergo prior erit potentia infinita activa in DEO quam passiva & receptiva in creaturis, (sit objectiva, vel terminativa, vel quocunque nomine veniat.) DEUS ergo erit prior omni possibili. 3. Prius id est à quo non retrò commeat consecutio: at hoc principium, (*impossibile est idem simul esse & non esse*) veritatem habuisset in Deo actualem, ex hypothesi DEO satis facili, si DEUS nullas res extra se produxisset. Libere autem produxit, Ergo non produxisse

DEVS causa est possibilium.

Quia DEUS est Omnipotens, ideo ejus sunt possibilia, non vero possibilia, ideo DEVS potest ea creare.

duxisse poterat. At verò hoc casu nullam veritatem actualem obtinuisset principium hoc in creaturis, siquidem nunquam creatæ fuissent. Est ergo Deus simpliciter prior omni possibili. Nam, ut ait *Petrus de Arrubal, quamvis nulla essent possibiles creatura, aut omnes involverent contradictionem, Omnipotentia æquè infinita esset, atqui nunc est.* Neque sequitur quod ait alter Jesuita *Fasolus, si implicat posse fieri* (a) *Ergo implicat DEVM posse facere* (a); Saltem fremant, quantum volunt *Jesuitæ*, non est consequentia casualis. Neque res ad extra aut eorum etiam essentiæ possibiles sunt origo, causæ, & fontes Omnipotentiæ Divinæ, quasi vero rivuli essent causæ fontis, umbræ & tenebræ origo *Solis* & corporis lucidi. Adversarius *Fonseca* ait impossibile tribuendum, non Deo, sed ipsi naturæ terminorum repugnantium. *At possibilitas* (inquit) *etsi primo & immediatè conveniat primo possibili quod est DEVS, qui ex se est ipsum esse, tamen non convenit cæterùs possibilibus, nisi per illud seu per dependentiam essentialem ab illo.* 2. Certè si possibile est, & esse habet in virtute Omnipotentis, & totum esse habet in Omnipotentiâ, & ideo est causaliter, quia Omnipotentia est, tum non est hæc vera, *ideo DEVS potest hoc facere, nempe, creare mundum, quia mundus de se & intrinsecè est possibilis fieri ad extra.* Nam sic esset possibilis fieri de se materialiter & antecedenter ad Omnipotentiam, quo nihil est absurdius. Sic enim esset aliquid creabile, antequam esset *Creator*, vel etiamsi non esset *Creator*, & possibile passivum esset antecedenter ad possibile activum. 3. Quod est infinitum & simpliciter ens & absolutum, quale est citra dubium Omnipotentiæ attributum, est prius possibili creabili quod est finitum, & ens per participationem & quidem potentiâ non actu, & quod tantum relativum est totumque esse possibile habet non alibi quam in virtute primæ causæ. Nam Deus esset actu primo & absolutè Omnipotens, & ad extra nihil esset possibile, & actu primo *Creator* & absolutè, etsi nihil crearet, neque esset *Creator* relativè ad creaturas. Licet *Oviedo* dicat *Omnipotentiam dici absolutè potentiam à possibilitate effectus.* Quod est absurdum.

Arubal 1. par. dis. 29. n. 17. in Thom.

Fasolus in 1. par. tom. 2. q. 14. art. 5. dub. 3. in Thomam.

Fonseca Metaph. li. 9. c. 1. q. 3. sec. 3.

Oviedo curs. philos. cont. 10. de possibilitate effectus punc. 5. sec. 2. n. 10.

Quæstio IIII. At altera quæstionis pars longè difficilior est, nempe. *An aliquid sit Impossibile, nisi quod à DEO originaliter sit Impossibile.* Et respondetur nihil esse impossibile tale.

I.

Deus est origo impossibilium.

QUia Deus *Creator* in sæcula celebrandus creando differentias speciei constitutivas *v. g.* hirci & cervi simul differentias divisivas constituit; eadem enim differentia specifica, est & speciei constitutiva & divisiva generis, ut *Porphyrius* ait. Qui enim creat ens, creat unum, creat diversum, creat repugnans. Qui producit frigidum, producit quid congregativum heterogeneorum, & eodem actu producit quid repugnans calido. Deus ergo creando essentias hirci & cervi possibiles vel actuales, creat eodem actu incompossibilitates inter naturam hirci & cervi. Itaque in *Creatorem*, qui hircum specie & naturâ distinctum à cervo creavit, originaliter reducitur hoc (*Impossibile vel incompossibile est idem animal esse & hircum & cervum*) quia cum specie & incompossibiliter diversæ sunt naturæ, idem esset simul hircus & non hircus.

2. Illud quod est propriè & simpliciter impossibile est tantum incompossibile quod involvit contradictionem, estque complexa & complicita repugnantia duorum extremorum quæ sunt inter se incompossibilia, quorum alterum de altero dici non potest citra contradictionem; si itaque ipsæ formæ specie non sint possibiles, neque produci possunt absque primo Omnipotente, tum neque ipsæ incompossibilitates resultantes ex illis formis. At possibile nihil est citra primum Omnipotens tanquam causam suam, Ergo multò magis nihil erit incompossibile quod resultat ex repugnante complicatione duarum formarum specificarum, absque illo primo Omnipotente. Si enim incompossibile sit posterius possibili ut effectus causæ, ut incompossibile seu impossibile sit posterius possibili ut resultans ex eo: multò magis impossibile erit originaliter à Deo & eo posterius.

Nullum est impossibile simplex seu incomplexum, sed complexum tantum impossibile seu incompossibile.

Interim obiter probandum Nullum esse impossibile simplex & incomplexum in creatis (alioqui infinita simplex impossibilitas est

Deum

Deum non esse) sed impossibile simpliciter tantum esse incompossibile seu complexum. 1. Quia omne ens simplex est creabile, potestque ex ideâ simplicissimæ essentiæ divinæ, quæ in infinitum est representabilis in creaturis possibilibus ad extra produci. & simplex ens ex simplice Dei essentiâ per Omnipotentiam extrahibile est, quia nihil repugnans, dissonum nihil est in eo qui est primus idem, prima & simplicissima unitas, quin quodlibet ens creare possit. 2. Omnia non entia & non futura, exceptis iis quæ repugnantiam ad essendum & contradictionem involvunt, sunt non entia & non futura per meram liberam non-efficientiam creativam Dei. Ergo sunt possibilia, & nihil repugnaret, si fierent sumpta omnia distributivè (nam quod omnia possibilia collectivè sumpta actu creata sint, alia est quæstio) neque repugnantia neque contradictio, sed sequeretur tantum idem creatum esse idem creatum, non autem idem esse & non esse. Ita etiam possibile definitur, nempe, quid tale quod si *produceretur, nihil impossibile aut repugnans sequeretur.* At si omnia simplicia non entia fierent, nihil repugnans sequeretur. 3. Uti in simplice & primâ operatione intellectus, quæ compositione & divisione careat, nihil veritatis, nihil falsitatis est, quia omnis veritas est in affirmatione & negatione. *prout ita res sese habet vel non habet*, in objectivâ connexione rerum quæ subjecti & attributi locum tenent. Vox enim significat, sed nihil affirmat, nihil negat, inquit *Aristoteles de interp. cap. 4.* ἄνθρωπος (vox simplex vel ens simplex) σημαίνει μέν τι, ἀλλ' οὐκ ἔτι οὐκ, ἢ ναὶ ἤδη. Ita eodem planè modo in ente simplice, ubi duo non sunt, quorum alterum de altero dici potest, nulla esse potest affirmatio impossibilis, nullaque falsitas, uti non negatio, ac proinde nulla incompossibilitas. Inde est quod *Philosophi, Theologi* unanimiter fateantur omne ens & non ens esse objectum Omnipotentiæ, excepto eo quod involvit contradictionem, quod est simpliciter impossibile, verius incompossibile. 4 Impossibile seu incompossibile solum repugnat isti principio quod veritatem prius obtinet in Deo quam in creaturis, nempe, (*idem est idem*) (*idem simul esse & non esse est impossibile.*) At nihil simplex & incomplexum est tale impossibile, quodcunque enim simplex ens Deus crearet, si unicam formam specificam simplicem haberet, non inferret idem & esse & non esse. Dices, *si DEVS creare hircocervum, nempe, animal unico simplici* *Hircocervum potest a Deo creari, & non potest creari diversoresp. ectu.*

simplici essentiâ constans, efficeret contradictoria simul vera. Respondeo. Uti vox (*hircocervus*) vulgo sumitur pro animali, cui essentia hirci & essentia cervi simul conveniunt, tale animal non est creabile, quia esset hircus non hircus, cervus non cervus: Omnipotentia vero ex intellectis idæis tam suaviter fibi unitis & identificatis in primo ente, non potest extrahere tale animal contradictorium At vero animal quod nec haberet naturam hirci nec cervi, sed creaturæ ex duabus illis formis in essentiam tertiam ab utroque, nempe, & hirco & cervo distinctam coalescentis & congmentatæ, est æquè Deo creabile, atqui hircus, leo, cervus, nec ullam repugnantiam cum illo primo principio aut incompossibilitatem involveret,

3. Si impossibile sit in se & intrinsecè impossibile, neque aliquid & ne quidem à Deo accipit suæ impossibilitatis rationem, ut vult *Fonseca* & alii communiter *Jesuitæ*: tum vel impossibile negativè, vel impossibile privativè sive incompossibile (ut vocant) erit ex se & intrinsecè impossibile, sed neutrum dicendum, non prius, quia supra probavi impossibile purè negativum simplex non esse impossibile simpliciter, sed possibile, & est terminus simplex à quo creationis, in quod Deus dominium absolutum ab æterno exercuit, & omne possibile est tale in Omnipotentiâ Dei, in se vero est non ens, ideoque est non ens, non intrinsecè, sed propter liberam negationem influxus creativi, ut tenebræ non sunt in se & intrinsecè tenebræ, nisi propter *Solem* absentem, si supponeremus *Solem* liberè emittere lucem & liberè subtrahere lucem, & liberè facere tenebras, uti Deus liberè creat, & liberè non creat. At verò incompossibile privativè probat *Bradwardina* non esse citrà Deum, *quia si verum est hoc (impossibile est Chimæram esse Tragelaphum) hujus veritatis causa non est soli termini, (Chimæra) aut (Tragelaphus,) nec aliquod non ens, quia quod omninò non est? nihil omninò causare potest, aliquod ergo ens est illius causa, & non est ens præter DEUM.* 2. Impossibile complexum supponit possibile, at possibile est à solo primo potente causativè, Ergo impossibile hoc (quod naturæ est simpliciter impossibile) est repugnantia seu incompossibilitas; quâ unum possibile vel ens non potest esse aliud ens, sine contradictione, & nisi idem esset simul idem & non idem. Et nihil revera est impossibile simpliciter nisi quod implicat contradictionem fieri.

Fonseca Metaph. li. 9. q. 3. §. 3.

Brawar. de causâ Dei li. 1. cap. 13.

4. Henricus

4. *Henricus a Gandavo*, *Scotus*, *Bradwardina* rectè putant dicendum, *quod non est verum dicere de aliquo impossibili simpliciter, quod DEVS non potest hoc facere, quia illud non potest fieri: sed potius hoc non potest fieri, quia DEVS non potest hoc facere*, licet contrarium tueantur *Jesuitæ*, præsertim *Fonseca*. At verò impossibile ideo est impossibile, quia est non ens contradictionem involvens, & repugnans enti, & imprimis primo enti cui repugnat; nam si ideò est impossibile, quia est incompossibile cum ente creato, multo magis, quia repugnat enti primo, & ideæ practicæ in intellectu divino, juxta quod formatur ens qui contradicit, Ergo impossibile est defectio quædam & deviatio à causâ exemplari & à primo efficiente, ut cæcitas à visu, & privatio vel negatio ab habitu & actu substantiali à quo originaliter dependet.

Gandavensis in qdliq. 8. q. 3.

Scotus 1. sente. dist. 43.

Bradwa. de causâ Dei l. 1. quæst. 13.

Fonseca Metaph. li. 9. c. 1. q. 3. sec. 3.

Ideo aliquid non potest fieri quia Deus illud non potest facere non contra, DEVS non potest hoc facere, quia hoc non potest fieri.

5. Aliquid non potest dici impossibile intrinsecè & in se, quia non potest fieri, & est passiva impotentia quæ repugnat esse, nisi quia prius potentia activa in primâ causâ non potest illud facere: at verò DEVS non est impotens ad faciendum aliquid ad extra, nisi quia illud non est ad intra in Omnipotentiæ aut essentiæ increatæ virtute. At nihil est in DEO, quod involvit idem esse & non esse in DEO, & est repugnans ideæ practicæ entis possibilis. Impossibile est ergo aliquid esse impossibile passivum extrinsecè extra DEUM, nisi quod ortum habet à repugnantiâ quam dicit ad potentiam activam in DEO: ideoque erit impossibile, non quia est tale ad extra & non potest fieri à DEO, sed quia prius est impossibile ad intra & DEUS illud non potest facere. Unde malè *Oviedo* cursu Theolog. contray. 10. punc. 5. sec. 2. n. 11. *DEVS* (inquit) *potens est producere per conceptum intrinsecum Omnipotentiæ, quia Omnipotentia supponitur ut principium ad possibilitatem, quæ per seipsam formaliter est possibilitas, & non supponitur ad Chimeram, quia etsi ex parte Dei non desinat virtus, quæ debet supponi ad Chimeræ possibilitatem, ex parte Chimeræ desicit intrinseca possibilitas quæ per seipsam est possibilitas.*

Oviedo curs. Theolog.

Resp. esse distinctionem inter possibile & *Chimeram*, sed non in hoc, quod possibile ortum sit ab Omnipotentiâ ut à causâ: at *Chimera* sit antecedenter ad Omnipotentiam: quia *Chimera* ideo est impossibile quia est incompossibile, imò incompossibile ultimatè resolvitur in duo possibilia quorum alterum de altero dici nequit, sine contradictione. At cum possibilia sint originaliter à DEO, &

incom-

incompossibile sit originaliter à duobus possibilibus. Falsum est impossibile supponi antecedenter ad Omnipotentiam ut ejus originem, fateor omnipotentiam non esse internam & formalem causam impossibilis, sed ejus origo sit, necesse est.

6. Illud impossibile (*Idem esse simul & non esse est impossibile*) Prius est verum in DEO, quam in ente creato, & esset verum in DEO objectivè ab æterno, si supponamus liberè ab æterno DEUM decrevisse nihil extra se creasse, & cum ideo verum sit hoc in entibus creatis, quia prius verum ab æterno fuerit in DEO, ut in ente entium, falsitas & impossibilitas illius effati in creatis ideo erit, quia prius fuit impossibile in DEO, & sic mihi videtur illa impossibilitas in creaturis, nempe, quod eadem creatura non possit esse simul ens & non ens, & non possit non esse idem cum seipso ex hâc origine profluere, quod idem *Creator* & primus ens non possit esse simul *Creator* & non *Creator*, & primum ens per essentiam, & non primum ens per essentiam: imo suavissima illa & simplicissima unitas & coidentificatio primi entis cum seipso est ratio cur impossibile absolutè sit quod primus idem non sit idem cum seipso, & est causa per se omnis identitatis creatæ, ideoque prima repugnantia & impossibilitas, quâ non ens simpliciter & impossibile absolutè & essentialiter, vel privatio substantialis infinitæ substantiæ primæ, repugnet primo enti, est origo omnis impossibilitatis in creaturis.

Impossibilitas in primo ente infinito est origo omnis impossibilitatis in creaturis.

Obj. *Contradictio par & æqualis est in infinito ente ut finito, nam non magis impossibile est DEVM non esse DEVM, & idem increatum non esse idem increatum, quam hominem non esse hominem, & tam vera est hæc, (verum est verum) quam hæc, (leo est leo,) & utraque tam vera quam hæc (DEUS est DEUS) quia simpliciter impossibile est hanc vel illam non esse veram.*

Respondeo. Licèat mihi negare parem esse vel veritatem vel necessitatem in hâc (*homo est homo*) atqui in hâc (*DEUS est DEVS*) quia Deus infinitus non tantum majus, sed & magis est ens (cum sit ens per essentiam, & ens infinitum, & absolutissimâ necessitate primum, per se & essentialiter necessarium, cui omnis contingentia repugnet) quam homo est ens, aut substantia, aut vivens, aut animal; & ut Deus est magis ens quam homo, ita est magis idem, magis unus, unitate longè simpliciore, necessitate incomparabiliter absolutiore & independentiore, quam homo est ens,

aut

aut idem, aut unus. Et sic magis impossibile est DEUM non esse DEUM, quam hominem non esse hominem: quia prima & major necessitas & veritas est in DEO, quam in hâc (*homo est homo*) quippe in homine est necessitas, & veritas, ac proinde coidentitas & unitas precaria, mutuatio, & multum potentiæ & contingentiæ admixtum habens. Mihi enim hoc *Nyssene* verum est. *Ipse verò* (*DEVS*) *supra omnem necessitatem* (*creatam*) *non modo consistit, sed & Dominus factorque ejus est; Omnipotens enim existens & suâpte naturâ ipsa potestas, nihil neque naturæ necessitate, neque legis* (obligantis) *dispositione facit* (ad extra in creaturis) *& ut hoc monstretur, cursum Solis & Lunæ, qui necessitate feruntur, & semper uno modo habent, quandoque stare fecit.*

Nyssenus lib. de fato c. 4.

QUÆSTIO V. *An ex hypothesi quod prima causa non esset, an propterea possibile vel impossibile foret in verum naturâ*

HAnc Quæstionem innixam tam execrandæ & prodigiosæ *Atheorum* hypothesi, non auderem movere, nisi à *Scholasticis* motam vidissem, & ut facilius detegerem *Jesuitarum* impietatem, & assererem DEUM omnis creatæ rectitudinis moralis per liberum ipsius beneplacitum, parentem & autorem esse.

Æquè erraut, qui ponunt possibile & impossibile antecedenter ad omnipotentiam, atque patroni scientiæ mediæ qui futura aut non futura statuunt esse antecedenter ad DEI decretum.

Qui ponunt possibile & impossibile in se & antecedenter ad omnipotentiam, imò qui, semotâ primâ causâ, hujusmodi propositiones esse veras (*possibile est possibile*) (*impossibile est impossibile*) tuentur, nimium favere mihi videntur Patronis Scientiæ Mediæ; nam uti hi statuunt futura conditionata determinatè vera vel falsa antecedenter ad decretum DEI, id est, futura non futura statuunt, & merè possibilia quæ se habent indifferenter ad futura & non futura, futura tamen imaginantur determinatè, vel non futura, ita & illi possibilia & impossibilia somniant antecedenter ad Omnipotentiam & primam causam. Placet multis illud (si non esset DEUS) possibile esset possibile & intrinsecè, & multò magis illud, si non esset DEUS, omnia essent intrinsecè & simpliciter impossibilia: non tamen mihi arridet illud. *Martinez de Ripalda. Res creatæ* (inquit) *licet verè habeant existentiam ab alio, tamen non habent ab alio intrinsecam non-repugnantiam existendi, sed à seipsis sunt non repugnantes existere*

Ripalda de ente super. l. lib. 2. §. 7. num. 35.

Oviedo Metaphys. contra 10. punc. 5. sec. 2. nu. 10.

istere ab alio. Neque illud *Francisci de Oviedo, causalitas* (inquit) *quam significamus, cum dicimus, quia creatura est possibilis DEUS potest illam producere est quasi formalis.* At verò Omnipotentia in actu primo antecedit hanc formalem causam possibilis, quia formalitas quasi entis possibilis, Tota est in virtute primæ causæ ejusque Omnipotentiâ. & contradictionem implicat hoc esse possibile, & tamen non supponi Omnipotentem, ratione cujus est formaliter possibile; neque possibile ad extra, sepositâ primâ causâ, vel si non esset illa immaculata gloria τῶν ὅλων, puta Deus, esset possibile, neque esset formaliter non repugnantia rei ad essendum, quod probatur, quia quod non repugnat esse, nulla contradictio, impossibile nihil sequeretur, si actus esset, at impossibile & repugnans sequeretur, si actu esset possibile; & tamen nulla esset Omnipotentia. Uti si esset rationalis & non esset homo, sequeretur contradictio, sic hoc casu esset ens & non primum ens, quod contradictionem involvit. 2. Possibile si non sit primum potens, idem esset quod *Chimera* aut *hircocervus*, nam esset ens purè negativum manens in statu non entium; at si non esset prima causa, non ens manens non ens posset esse ens, quod sic probatur: quia possibile est non ens actu: at verò si possibile esset possibile, sublatâ primâ causâ, nihil absurdi sequeretur, si illud possibile fieret ens in actu, sublatâ primâ causâ, & sic esset ens in actu, sublato primo ente, quod monstrosum est. 3. Neque dici potest, *quod DEVS non sit impossibilis aut possibilis materia & forma, DEVS enim non est interna causa rei, potest ergo res esse materialiter possibilis, ablato primo efficiente.* Sed occurritur sic: causæ internæ Cœli, Solis, hominis & omnium creaturarum actu existere possent, si abesset formosissima illa prima pulchritudo, Deus. Quippe ille non est causa interna creaturarum existentium magis quam possibilium, hoc autem non est dicendum, quia nullæ causæ internæ existere possunt, sine causâ externâ primâ & infinitâ. 2. Deus creat ut efficiens totum ens & totum entis. Ergo causæ internæ sunt à Deo effectivè, ergo ne quidem entia sunt possibilia quoad causas, internas, sublatâ primâ causa. Mihi verò nullum impossibile poni vel esse posse videtur, si non sit prima causa. 1. Quia nullum possibile est ex se, si non esset primum potens & Omnipotentia, & contradictionem involvit possibile esse, & non esse causam aliquam

Si stet impia & execranda suppositio, non esse primam causam, nihil esset possibile, nihil impossibile, et chaos contradictionem involveret.

active

activè potentem, seu omnipotentem, in cujus virtute contineatur effectus iste possibilis, esset enim possibile non possibile, Ergo si nullum sit possibile, neque erit aliquid impossibile, quia nihil erit possibile, cui illud impossibile repugnaret. 2. Tolle primum ens, & tolles simul omne verum, quia tollis primum verum, ac proinde neque verum erit hoc (*impossibile est idem non esse idem*) quia tollis primum idem. Et omne verum, & tolles omne falsum: nam si non esset primum idem & primum ens, neque hoc obtineret veritatem (*impossibile est idem ens increatum simul esse ens & non ens*) in primo ente, quia supponis non esse primam entitatem, Ergo neque veritas esset in ullâ propositione ne quidem fundamentalis & objectiva, quia nullus esset intellectus, nullum ens increatum, ut supponitur, Ergo nulla essentia vel increata, vel ab eâ derivata, aut essentia per participationem. Dices. *Vel hæc in se esset vera* (*nihil est*) *quia hæc supponitur vera,* (*DEUS non est*) *vel esset falsa* (*nihil non est*) *quia altera pars contradictionis necessariò est vera, altera falsa. Ergo hæc in se & intrinsecè necessariò esset vera, si prima causa non esset, nempe* (*nihil est,*) (*omnia sunt impossibilia negativè*) *quia ex hypothesi non datur primum ens.*

Respondeo. Duplex est *non-ens & non-futurum.* Aliud est purè negativum & non-ens & simpliciter impossibile, quod est negativè non-futurum, & aliud est non-ens tale & non-ens privative negans ens vel creatum vel increatum. Hæc duo non entia sic distinguuntur quod prius sit purè negativum, posterius privativum. 2. Prius non ens esset, etsi DEUS non esset, sed τὸ *esse* hic sumitur abusivè, pro τῷ purè non esse, & hoc non ens neque prius esset DEO, neque posterius, quia formaliter est purè non ens & simpliciter nihil. 3. Prius non ens est capax futuritionis & non futuritionis & indifferens ut sit futurum vel non futurum per DEI decretum, & capax entitatis positivæ vel privativæ. Prius non ens improprissimè dicitur esse aut esse prius DEO. At posterius non ens est originaliter à DEO ut supra dictum, Nos jure tuemur cum *Alvarezio & Dominicanis* antecedenter ad liberum DEI decretum, nihil esse determinatè futurum, nihil determinatè non futurum. Falsumque hoc esse in omni signo rationis, & antecedenter ad decretum DEI. (*Petrus ab æterno vel fuit disputaturus, vel Petrus non fuit disputaturus*) quia uti determinata omnis entitas, & per eandem rationem determinata non-entitas,

& sic determinata veritas & falsitas, omnis est, uti res est. Nam
Aristoteles de interpr. cap. 16. *Aristoteles de interp. cap.* 10. rectissimè ὁμοίως ἐι λόγοι ἀληθεῖς, οὕτως καὶ τὰ πράγματα. *ex eo quod res est vel non est, ita oratio est vera vel falsa.* At nulla est determinata entitas, nulla futuritio, neque non futuritio, ante DEI decretum. Quia sic determinatæ tot entitates sunt futuræ, & determinatæ tot non entitates sunt futuræ, præter & citrà voluntatem primi efficientis, & primi finis, quo nihil absurdius. Et si DEUS in numerato habet omnes guttulas pluviæ futuras, & omnia determinatè futura, in numerato habet omnes rores, grandines, nives possibiles, sed nunquam determinatè futuras, in numerato & decreto numerante habet & exactè scit, cum enim determinate futurorum numerus possibilium, & determinate nunquam futurorum non sit par, sed impar, DEUS, qui scit an stellæ sint numero pares an impares, exactè scit, decernens tantum futurum esse mundum unicum, tres, vel quatuor, vel mille mundos possibiles nunquam futuros. Ergo scit DEUS comprehendendo Omnipotentiam quasi libero decreto (ut sic loquar) in agendo & non agendo regulatam, duos mundos possibiles nunquam futuros, & etiam tres, & etiam quatuor: Et sic in infinitum scit numerum in infinitum excrescentem supra mundum unicum, quia positivè decrevit creare unum, ideo positivè decrevit creare non duos alios, non tres: & in numerato habet quot entia sunt tantum possibilia, nunquam verò futura, quia cum possibilia quâ possibilia sint non futura, non prosiliunt è statu & classe possibilium & non futurorum à seipsis & intrinsecè. Eò quod vera ab æterno fuerit hæc. (*omne futurum ab æterno est futurum*) vel ejus contradictio (*omne futurum ab æterno non est futurum.*) Nos respondemus in signo rationis antecedente decretum per quod solum & per nullam aliam causam imaginabilem, omnia sunt futura vel non futura, tam impossibile est futurum à se & intrinsecè esse futurum, vel non futurum, quam ens per participationem esse absque ente primo & per se, aut ens esse præsens, vel præteritum, & tamen non futurum, aut calidum esse absque primo calido, aut lucidum absque primo lucido: Ita pari modo omne ens possibile, & omne ens non possibile, vel impossibile: neque in se esset, neque in se non esset & neutra contradictionis pars esset vera, neutra falsa, si supponas non esse formosissimum & amœnissimum illud ens, nempe primum ens entium

Deus positivo decreto suo scit omnia non futura.

lucem

lucem inhabitans inaccessam, quo non existente (O abominandam hypothesin) tenebræ contradictionum, æternæ ingruerent. At dices. *Negativè omnia essent purè non entia & purè impossibilia, neq; enim ut non entia sint, indigent ente, Ergo neque primo ente.*

Respondeo. Sed neque non entia (si de falsitate Metaphysicâ uti nunc arguimus) sunt, aut veritatem Metaphysicè fundamentalem obtinent, citra formosissimum primum ens, nempe *Jehovam* existentem. Nam 5. si non esset primum ens, neque esset primum bonum: at neque est possibile primum malum, seu destructio boni infiniti, jam quæro cur non esset objectiva aliqua creata bonitas, uti hæc (*bonum creatum est bonum*) vel) *bonum creatum non est bonum*) si supponas primum bonum non esse, potius quam altera illa affectio entis, nempe veritas; at non dicendum bonitatem creatam esse, vel possibilem esse, vel malitiam esse, si primum bonum non esset. Inde bonum, verum, falsum, possibile, impossibile, sive id quod est per primum potens non possibile, exularent: & illa non entia negativè, & nunquam futura negativa essent defectiones ab ente objectivè sumpto: at si tollas *primum ens*, à quo deflecterent ente, cum supponas non esse ens omninò: si non esset primum ens, id quod est non ens negativè non negaret ens creatum, quia nihil tale est vel possibile, si supponas non esse primum ens & primum potens in quo solo omnia entia sunt possibilia, & non ens illud minimè negaret ens increatum, quia tu supponis non esse; & si supponis non esse, supponis nunquam esse & non possibile esse, & si Deus sit ens nunquam possibile, non ens non negaret tale ens; quia si nulla esset affirmatio prior, omnis posterior negatio est impossibilis; & si tollis affirmationem, tolles & negationem. Ergo si tollas omne ens, tollas necesse est non ens; si autem tollis primum ens, tollis omne ens. Nonne hic obtinet illud Philosophi ἓν δὲ ἄτοπα δοθὲν οὐδὲν κωλύει συμβαίνειν. *Uno dato absurdo necesse est multa sequantur*? Si primum ens tolleretur, convelleretur & hoc (*Impossibile est idem esse & non esse*) & contradictionum chaos rediret.

Si DEVS non esset, nihil veri, nihil falsi, neq; esset ens, neq; non ens.

4. Docent Adversarii hominem non esse animal rationale, & tamen esse hominem, involvere contradictionem. Eodem modo, Deum non esse, Deum non existere, ratione immutabilitatis & firmitatis essendi, est Deum non esse Deum, & absoluta contradictio.

Nam quicquid Deus potest esse, illud actu, & essentialiter & necessariò est: quia non potest Deus esse aliquid in potentiâ nisi illa potentia sit, vel in Deo, vel in alio ente extra Deum. Non in Deo, quia proprie esset sibi ipsi causa actu essendi id, ad quod est in potentiâ, & sic formaliter imperfectior ie, & tum non absolutè necessarium & primum, ens, neque potentia illa est in alio, quia illud esset Deo prius, & sic vel creatura vel Deus, repugnat autem creaturam Deo esse priorem, & creatura sic esset causa actuans Deum. Et per potentiam esse prior Deus esset in potentiâ ut fieret à creaturâ, aliud quidpiam actu quam jam est in potentiâ: si vero esset illa potentia Deus & ens increatum, jam destrueretur hypothesis, & esset Deus prior hoc Deo.

Bradwardina de causa Dei. l. 1. cap. 24.

5. Ita & *Bradwardina*, *Si DEVS non est, vera erit hæc propositio (DEVS non est.) Ergo est aliqua veritas, & non est prima veritas.* Hæc (inquam) vel est creata vel increata veritas, vel veritas creabilis & objectiva seu non repugnantia: non est creata veritas ante primam & increatam veritatem quæ tamen non supponitur esse. Si est increata veritas, ergo est Deus. Vera ergo erit hæc (Deus est) & simul stat hæc impia hypothesis, (Deus non est) quod est contradictorium. Veritas creabilis & non repugnantia, non est possibilis stante hâc hypothesi, imò est simpliciter increabilis, quia tollitur Creator qui est prima causa & sic repugnaret aliquid esse ens, quia non est primum ens, & non repugnaret, quia Adversarius dicit esse tot ab æterno antecedenter ad Deum & citra Deum, æternas non-repugnantias, & possibilia numero infinita, absque, citra & antecedenter ad primum infinitum, & si tot sunt non repugnātię & entia objectiva, neque creata neque increata, sed creabilia, omnia pari ratione futura & non-futura, essent antecedenter ad decretum Dei intrinsecè & objectivè, sicut tot sunt non-repugnantiæ antecedenter ad Omnipotentiam: nam est par ratio hic & illic. Nulla est ratio cur intrinsecè futurum & non futurum, non sit in se & antecedenter futurum & non futurum ex parte causæ creatæ contingentis & ratione materię intrinsecè futurę citra *Dei* voluntatem, ut fingunt *Jesuitę*, non aliter quam tot infinitæ non repugnantiæ, & repugnantiæ possibilia, impossibilia, vera, falsa, ante & citra primum ens: nam tam vera est hæc (*nunquam futurum* (puta millies milleni mundi) *est nunquam futurum citra Deum* (quam hæc (*nihil est*

Deus est actus quicquid esse potest.

Si non sit primum ens nullæ essent ab æterno non repugnantiæ.

nihil

nihil citra & antecedenter ad Deum.) At verò extra hanc hypothesin & simpliciter, futura & non futura sunt causativè à liberâ DEI voluntate, quia fuerunt omnia futura & non futura, ab æterno futura & non futura. Quippe in tempore hæ sunt veræ (*præsentia jam sunt*) & præsens jam fractio ossium CHRISTI, suscitatio filiorum *Abrahamo* ex lapidibus, jam non sunt ut rectè *Aristoteles* εἰ δὲ τὸ ἀεὶ ἀληθὲς ἦν ἐνδέχεται, ὅτε ἂν τῶν γινομένων ὁτιοῦν ἐστιν, ἢ ἔσται οὐκ ἔσονται πάντα μὴ ἔσται, ἢ μὴ ἔσεσθαι. *Quod si ex æternitate verum fuit, aliquid esse jam aut futurum esse, certè id non potest non fieri aut fore.* Et necessariò est verum in præsenti. At ab æterno res possibiles non evadunt futuræ ex se, & ratione materiæ intrinsecæ, quia sic omnia possibilia essent futura, quod absurdum: nam videmus quædam possibilia tantum futura quædam non futura: neque sunt futura vel non futura ex DEI Omnipotentiâ, quia duntaxat sunt possibilia vel non possibilia ex solâ DEI Omnipotentiâ ab æterno, nam aliud nihil est imaginabile. 2. Si res non fuerunt futuræ & non futuræ ab æterno à liberâ DEI voluntate, sed intrinsecè & antecedenter ad DEI voluntatem, tum non potuit DEUS per Omnipotentiam suam libere creasse plures mundos, plures homines, quam qui de facto sunt creati: nam libera DEI voluntas non potest efficere plura futura & præsentia, si omnia sint futura intrinsecè in se & antecedenter ad ipsius liberam voluntatem. Et per eandem rationem non potuit DEUS libere effeciſſe pauciora futura, pauciores homines, quam de facto sunt, neque potuit DEUS liberè procurasse fractionem ossium Filii sui, & ejusdem per plusquam duodecim legiones Angelorum, à morte liberationem, quia intrinsecè & antecedenter ad liberam DEI voluntatem (ut supponunt *Jesuitæ* Philosophi insani) futura erat non fractio ossium ipsius, nec non-illa, non-liberatio, imo DEO invito omnia sunt. Si non sit primum ens, nihil fuit ab æterno futurum. At involvit contradictionem nihil jam in hoc rerum ordine ab æterno futurum fuisse quia præteritum non esse præteritum, & præsens non esse præsens implicat contradictionem; & si jam supponis non esse primum ens, supponis contradictionem non esse ulla entia creata: at impossibile est entia creata esse non creata. Necesse est ergo (si fingenda tam impia suppositio) supponas nunquam fuisse ens primum & cum necessitas existendi sit de essentiâ DEI, est suppositio contradictionem involvens. 3. Erunt præsentia, & evenient

Arist. de Interp. cap. 10.

evenient in tempore, quia intrinsecè & antecedenter ad liberam DEI voluntatem, ab æterno erant futura & eventura. Utri gravius peccent, an abhominandi *Jesuitæ*, an impuri *Socciniani* (quorum agmen numerosum in *Anglia* nunc grassatur) non est in proclivi determinare. Nam *Jesuitæ* citra providentiam omnia futura contingentia esse determinatè futura docent. *Socciniani* nulla futura præsertim contingentia futura à DEO sciri, aut scibilia esse, aut determinatam habere veritatem autumant. Ita *Pockelius* de verâ (falsâ potius) Religione *c.* 24, *col.* 200, 201, contra Scripturas *Esai.* 41. 22, 23, 26. *c.* 44. 7, 8. *c.* 48. 3, 5, 6. 17. 14. contra prædictiones tot futurorum contingentium de partitione terræ sanctæ, *Gen.* 48. *Deut.* 33. quæ postea sortibus obtigit *Josh. c.* 15. *c.* 16. de interitu *Achabi*, *Assyriorum*, *Chaldæorum*, *&c.* De morte CHRISTI in omnibus circumstantiis, quæ liberarum causarum ministerio evenerunt, eo quod causæ secundæ, si à DEO non impediantur, ex dominio absoluto, effectus producant, sopitâ DEI providentiâ, stante impiâ hâc sententiâ. Deinde hæ non repugnantiæ objectivè ad essendum sunt merè fictiones: nam sunt entia negativa & purè nihila, quatenus DEUS ex iis facere & Omnipotenter elicere potest ens, ideoque necessariò & essentialiter homo objectivè & in potentiâ, dicit relationem ad Omnipotentiam in virtute cujus hæc potentia continetur. Jam tolle Omnipotentiam, res quæ est in potentiâ ut sit homo, non magis est potentiâ homo, quam est potentia hircocervus, lapis, mons, asinus, imò est impotentiâ, vel in impossibilitate, & repugnantiâ ut sit homo. Hinc arguo: quod intrinsecè & ex se est repugnans ut sit homo, antecedenter ad Omnipotentiam, ei non competit essentialiter seu formaliter (qualiscunque essentia intelligatur, non refert) non-repugnantia ut sit homo: at omnia entia ratione potentiæ objectivæ, ante & citra primam causam Omnipotentem, sunt repugnantia ut sint creaturæ) Uti enim res ex se repugnant esse futuræ, vel non futuræ antecedenter ad decretum DEI, nempe, primam causam futurorum & non futurorum, ita omnia entia objectivè ex se repugnant esse antecedenter ad primam causam Omnipotentem: nam quibus convenit impossibilitas essendi, iis non convenit objectiva non repugnantia seu possibilitas essendi. Atque omnibus possibilibus ante & citra primam causam Primipotentem & Omnipotentem convenit

impos-

impossibilitas essendi. Duo hic objiciunt. *Ergo, si impossibilitas essendi competit possibilibus antecedenter ad primum ens & citra Deum; si tolleretur prima causa, omnia essent impossibilia, & citra DEVM verè essent hæ, nihil est, nihil esse potest, omnia sunt impossibilia, imo non essent creabilia.* Respondeo. Si non esset prima causa, quisnam intellectus hanc propositionem formaret (*nihil est*) (*omnia sunt impossibilia*) non increatus intellectus, qui non est, ut supponitur, & etiamsi esset, tamen non componendo & dividendo intuetur res, neque creatus, quia nullum esset ens creatum. Si dicatur: *at fortè erit veritas fundamentalis, seu non-repugnantia objectiva*, etiam si non esset primum ens. At verò repugnantia est vel incomplexa vel complexa, & supra dictum nihil esse simplex & incomplexum repugnans, quia. DEO omnia sunt possibilia, nisi quæ implicant contradictionem: at si non sit prima causa (ut impiè supponitur) nihil erit possibile, nullum ens, nihil sic erit verum, nihil falsum, nihil erit, nihil non erit, ut hircocervus nec album, nec nigrum, nec vivens, nec mortuum quid erit. Aliud est increabilitatem seu impossibilitatem, seu non possibilitatem essendi, convenire possibilibus ex se, etiamsi nulla esset prima causa: & increabilitatem seu non possibilitatem convenire rebus creabilibus in se, sed tamen originaliter à prima causa. Si enim supponimus non esse primam causam, neque essent propriè entia, neque propriè non-entia, neque aliquid veri, neque falsi, neque quidpiam possibilis neque impossibilis continerent tales propositiones, sed essent planè nihila, nec vera, nec falsa, & fortè & vera & falsa & contradictoria; quia tu supponens non esse primum ens, supponis infinitam contradictionem, & nihil absurdi est ex hâc tam insigni contradictione sequi infinitas contractiones. At verò suppositâ existentiâ primæ causæ in se, veræ essent hæ: (*nihil est*) (*nihil esse potest*) (*omnia sunt possibilia*) attamen non sine omni respectu ad primum ens, quia etsi nihil sit nihil in se, impossibile sit impossibile in se, nempe, objectivè, non sequitur, Ergo sunt entia in potentiâ aut impossibilia citra DEUM & primum ens existens à quo sunt deviationes in genere entis, & à quo, per modum non-liberè efficientis, habent quod sint non entia & nihila: Neque enim repugnat non ens in se & formaliter & intrinsecè esse nihil, si removeatur omnis consideratio omnis efficientis, uti homo est animal rationale citra

Si supponis non esse primum ens, neque vera, neque falsa esset propositio.

Extra possibilia in seipsis possibilia citra considerationem primi entis, si ponis non esse primum ens nihil erit impossibile.

omnem considerationem primæ causæ efficientis, neque causa externa ingreditur essentiam rei: sed si supponamus primum ens non esse, aïo tum non entia & impossibilia, ne quidem habere quod sint non entia, aut nihila, aut non repugnantiæ objectivæ. Quia si non detur primum efficiens, neque prima causa, neque possibile propriè aliquid esset, neque esset non ens propriè non ens, nam per liberam non efficientiam primæ causæ, propriè non ens est non ens, ut antea dictum.

2. Objicitur, *Possibile esset possibile, & impossibile esset impossibile, uti homo est animal rationale, & (Idem est idem) in se & intrinsecè, etsi removeretur prima causa, quia in tam impiâ hypothesi, idem esset idem, neque causa externa, nempe, prima, potest esse causa interna & materia aut forma rei creatæ, sive illa res sit in potentiâ tantum, sive in actu, ac proinde non existente primâ causâ, possibile non posset quidem actu existere, At verò minimè sequeretur possibile non esse possibile, nihil non esse nihil, impossibilia non esse intrinsecè, habitâ saltem ratione causarum internarum, (quæ suo modo & analogicè, sunt in non entibus, sicut & in entibus) nempe materiæ & formæ, respectu; nam si supponeremus non esse primam causam, homo tamen esset substantia, corpus, animal rationale, quia idem non potest non esse idem in quâlibet hypothesi.*

Si non esset primum ens, convelleretur hoc principium. (Idem esse simul & non esse est impossibile.)

Respondeo. In tam impiâ hypothesi, in quâ non esset prima causa, convelleretur hoc primum principium (*impossibile est idem ens simul esse & non esse*) quia primum idem ens, nempe Deus, simul Deus esset, (nam contradicentius aut maledicentius nihil quam Deum non esse) & esset etiam non-Deus, ut impiè supponitur, & sic non esset ens ullum creatum, nec homo esset, si removeretur primum ens, nec homo esset substantia, nec animal rationale, nec idem creatum esse idem cum seipso, si idem increatum non esset prius, & infinito modo idem, & cum seipso glorioſissimè coidentificatum. Quia quamvis Deus nec materiare nec informare, id est, neque vicem materiæ neque formæ supplere possit, propter intrinsecam imperfectionem causandi in causis internis. Attamen Deus necessariò concurrit in alio genere causæ ad tribuendum esse effectivum, nempe in genere causæ independentis & infinitæ, tam compositio tum materiæ & formæ omnibusque causis internis, quia Deus creat totum ens, & totum entis, & Deus

creando

creando hominem eodem actu creat substantiam, corpus vivens, animal rationale, & causas omnes internas. Si ergo non esset *Creator*, neque essent creaturæ, neque causæ internæ ullæ, neque externæ, neque ullum possibile aut impossibile, & sic nec esset homo nec animal, nec homo esset ens creatum, quia non est primum ens.

QUÆSTIO VI. *An possibilia sint aliquid reale?*

Respondeo. Non sunt, quia dicunt tantum denominationem merè extrinsecam in habitudine ad Omnipotentiam.

I.

QUia essentia tantum in potentiâ non est reale quid, sed tantum in potentiâ, non actu, impossibile est *Petrum* simul esse in potentiâ tantum ad ambulandum, & actu ambulantem. *Possibile non est aliquid reale.*

2. DEUS condidit omnia ex nihilo, non ex nihilo existentiæ, sed essentiæ. 1. Quia DEUS creavit totum ens & totum entis. 2. Quia essentiæ rerum non sunt reales, ante exordium temporis, nam tum fuissent infinita entia realia coæterna DEO. Contra id *Gen.* 1. 1. & tamen non essent à DEO per liberam efficientiam creativam, essentque illa entia ab æterno, uti nunc sunt, vera, bona, pulchra, jucunda, honesta, utilia, una, ordinata, numerata, à DEO volita, attamen non à primo efficiente per liberam creationem, sed per coæternam & naturalem emanationem. 3. Sequerentur & hæc absurda. 1. Essentias rerum esse ab æterno & infinita sæcula imaginaria, res ipsas antecessisse. 2. Essentias rerum æternas esse, & etiam res essentiâ constantes in tempore ortas, quod contradictorium est DEO. 3. Infinitum numerum & thesaurum *Platonicum* animarum, formarum, essentiarum, apud DEUM ab æterno fuisse, & Chimæricas, nescio, quas, rerum existentias creatas in tempore. Nequé moramur quod somnient nonnulli, essentias rerum neque ab æterno creatas, neque increatas, sed tantum creabiles. 1. Quia creatum & increatum dividunt & exhauriunt totum ens reale latitudine. 2. Aliquid reale ab æterno sic fuisset apud DEUM præter DEUM ipsum. Respondeatur DEO illud vice *Jobi* 1. 28. *Ubinam* *Essentiæ rerum ab æterno non sunt.*

Oviedo Metaphys. contra 10. punc. 5. sec. 2. nu. 10.

istere ab alio. Neque illud *Francisci de Oviedo, causalitas* (inquit) *quam significamus, cum dicimus, quia creatus est possibilis DEUS potest illum producere est quasi formalis.* At verò Omnipotentia in actu primo antecedit hanc formalem causam possibilis, quia formalitas quasi entis possibilis, Tota est in virtute primæ causæ ejusque Omnipotentiâ. & contradictionem implicat hoc esse possibile, & tamen non supponi Omnipotentem, ratione cujus est formaliter possibile; neque possibile ad extra, sepositâ primâ causâ, vel si non esset illa immaculata gloria τῶν ὁντῶν, puta Deus, esset possibile, neque esset formaliter non repugnantia rei ad essendum, quod probatur, quia quod non repugnat esse, nulla contradictio, impossibile nihil sequeretur, si actus esset, at impossibile & repugnans sequeretur, si actu esset possibile; & tamen nulla esset Omnipotentia. Uti si esset rationalis & non esset homo, sequeretur contradictio, sic hoc casu esset ens & non primum ens, quod contradictionem involvit. 2. Possibile si non sit primum potens, idem esset quod *Chimera* aut *hircocervus*, nam esset ens purè negativum manens in statu non entium; at si non esset prima causa, non ens manens non ens posset esse ens, quod sic probatur: quia possibile est non ens actu: at verò si possibile esset possibile, sublatâ primâ causâ, nihil absurdi sequeretur, si illud possibile fieret ens in actu, sublatâ primâ causâ, & sic esset ens in actu, sublato primo ente, quod monstrosum est. 3. Neque dici potest, *quod DEVS non sit impossibilis aut possibilis materia & forma, DEVS enim non est interna causa rei, potest ergo res esse materialiter possibilis, ablato primo efficiente.* Sed occurritur sic: causæ internæ Cœli, Solis, hominis & omnium creaturarum actu existere possent, si abesset formosissima illa prima pulchritudo, Deus. Quippe ille non est causa interna creaturarum existentium magis quam possibilium, hoc autem non est dicendum, quia nullæ causæ internæ existere possunt, sine causâ externâ primâ & infinitâ. 2. Deus creat ut efficiens totum ens & totum entis. Ergo causæ internæ sunt à Deo effectivè, ergo ne quidem entia sunt possibilia quoad causas, internas, sublatâ primâ causa. Mihi verò nullum impossibile poni vel esse posse videtur, si non sit prima causa. 1. Quia nullum possibile est ex se, si non esset primum potens & Omnipotentia, & contradictionem involvit possibile esse, & non esse causam aliquam

Si sit impia & execranda suppositio, non esse primam causam, nihil esset possibile, nihil impossibile, et chaos contradictionem invalesceret.

actuve

activè potentem, seu omnipotentem, in cujus virtute contineatur effectus iste possibilis, esset enim possibile non possibile, Ergo si nullum sit possibile, neque erit aliquid impossibile, quia nihil erit possibile, cui illud impossibile repugnaret. 2. Tolle primum ens, & tolles simul omne verum, quia tollis primum verum, ac proinde neque verum erit hoc (*impossibile est idem non esse idem*) quia tollis primum idem. Et omne verum, & tolles omne falsum: nam si non esset primum idem & primum ens, neque hoc obtineret veritatem (*impossibile est idem ens increatum simul esse ens & non ens*) in primo ente, quia supponis non esse primam entitatem, Ergo neque veritas esset in ulla propositione ne quidem fundamentalis & objectiva, quia nullus esset intellectus, nullum ens increatum, ut supponitur, Ergo nulla essentia vel increata, vel ab eâ derivata, aut essentia per participationem. Dices. *Vel hæc in se esset vera* (*nihil est*) *quia hæc supponitur vera*, (*DEUS non est*) *vel esset falsa* (*nihil non est*) *quia altera pars contradictionis necessariò est vera, altera falsa. Ergo hæc in se & intrinsecè necessariò esset vera, si prima causa non esset, nempe* (*nihil est,*) (*omnia sunt impossibilia negativè*) *quia ex hypothesi non datur primum ens.*

Respondeo. Duplex est *non-ens & non-futurum*. Aliud est purè negativum & non-ens & simpliciter impossibile, quod est negativè non-futurum, & aliud est non-ens tale & non-ens privative negans ens vel creatum vel increatum. Hæc duo non entia sic distinguuntur quod prius sit purè negativum, posterius privativum. 2. Prius non ens esset, etsi DEUS non esset, sed τὸ *esse* hic sumitur abusivè, pro τῷ purè non esse, & hoc non ens neque prius esset DEO, neque posterius, quia formaliter est purè non ens & simpliciter nihil. 3. Prius non ens est capax futuritionis & non futuritionis & indifferens ut sit futurum vel non futurum per DEI decretum, & capax entitatis positivæ vel privativæ. Prius non ens improprissimè dicitur esse aut esse prius DEO. At posterius non ens est originaliter à DEO ut supra dictum. Nos jure tuemur cum *Alvarezio & Dominicano* antecedenter ad liberum DEI decretum, nihil esse determinatè futurum, nihil determinatè non futurum. Falsumque hoc esse in omni signo rationis, & antecedenter ad decretum DEI. (*Petrus ab æterno vel fuit disputaturus, vel Petrus non fuit disputaturus*) quia uti determinata omnis entitas, & per eandem rationem determinata non-entitas,

& sic determinata veritas & falsitas, omnis est, uti res est. Nam *Aristoteles de interp. cap. 10. rectissimè ὁμοίως οὖν ὁ λόγος ἀληθὴς, ὅσπερ καὶ τὰ πράγματα. ex eo quod res est vel non est, ita oratio est vera vel falsa.* At nulla est determinata entitas, nulla futuritio, neque non futuritio, ante DEI decretum. Quia sic determinatæ tot entitates sunt futuræ, & determinatæ tot non entitates sunt futuræ, præter & citrà voluntatem primi efficientis, & primi finis, quo nihil absurdius. Et si DEUS in numerato habet omnes guttulas pluviæ futuras, & omnia determinatè futura, in numerato habet omnes rotes, grandines, nives possibiles, sed nunquam determinatè futuras, in numerato & decreto numerante habet & exactè scit, cum enim determinate futurorum numerus possibilium, & determinate nunquam futurorum non sit par, sed impar, DEUS, qui scit an stellæ sint numero pares an impares, exactè scit, decernens tantum futurum esse mundum unicum, tres, vel quatuor, vel mille mundos possibiles nunquam futuros. Ergo scit DEUS comprehendendo Omnipotentiam quasi libero decreto (ut sic loquar) in agendo & non agendo regulatam, duos mundos possibiles nunquam futuros, & etiam tres, & etiam quatuor: Et sic in infinitum scit numerum in infinitum excrescentem supra mundum unicum, quia positivè decrevit creare unum, ideo positivè decrevit creare non duos alios, non tres: & in numerato habet quot entia sunt tantum possibilia, nunquam verò futura, quia cum possibilia quâ possibilia sint non futura, non prosiliunt è statu & classe possibilium & non futurorum à seipsis & intrinsecè. Eò quod vera ab æterno fuerit hæc. (*omne futurum ab æterno est futurum*) vel ejus contradictio (*omne futurum ab æterno non est futurum.*) Nos respondemus in signo rationis antecedente decretum per quod solum & per nullam aliam causam imaginabilem, omnia sunt futura vel non futura, tam impossibile est futurum à se & intrinsecè esse futurum, vel non futurum, quam ens per participationem esse absque ente primo & per se, aut ens esse præsens, vel præteritum, & tamen non futurum, aut calidum esse absque primo calido, aut lucidum absque primo lucido: Ita pari modo omne ens possibile, & omne ens non possibile, vel impossibile: neque in esse esset, neque in se non esset & neutra contradictionis pars esset vera, neutra falsa, si supponas non esse foecundissimum & amœnissimum illud ens, nempe primum ens entium

Aristoteles de interpr. cap. 10.

Deus positivo decreto suo scit omnia non futura.

lucens

lucem inhabitans inaccessam, quo non existente (O abominandam hypothesin) tenebræ contradictionum, æternæ ingruerent. At dices. *Negativè omnia essent purè non entia & purè impossibilia, neq; enim ut non entia sint, indigent ente, Ergo neque primo ente.*

Respondeo. Sed neque non entia (si de falsitate Metaphysicâ uti nunc arguimus) sunt, aut veritatem Metaphysicè fundamentalem obtinent, citra formosissimum primum ens, nempe *Jehovam* existentem. Nam 3. si non esset primum ens, neque esset primum bonum: at neque est possibile primum malum, seu destructio boni infiniti, jam quæro cur non esset objectiva aliqua creata bonitas, uti hæc (*bonum creatum est bonum*) vel) *bonum creatum non est bonum*) si supponas primum bonum non esse, potius quam altera illa affectio entis, nempe veritas; at non dicendum bonitatem creatam esse, vel possibilem esse, vel malitiam esse, si primum bonum non esset. Inde bonum, verum, falsum, possibile, impossibile, sive id quod est per primum potens non possibile, exularent: & illa non entia negativè, & nunquam futura negativa essent defectiones ab ente objectivè sumpto: at si tollas *primum ens*, à quo deflecterent ente, cum supponas non esse ens omninò: si non esset primum ens, id quod est non ens negativè non negaret ens creatum, quia nihil tale est vel possibile, si supponas non esse primum ens & primum potens in quo solo omnia entia sunt possibilia, & non ens illud minimè negaret ens increatum, quia tu supponis non esse; & si supponis non esse, supponis nunquam esse & non possibile esse, & si DEUS fit ens nunquam possibile, non ens non negaret tale ens; quia si nulla esset affirmatio prior, omnis posterior negatio est impossibilis; & si tollis affirmationem, tolles & negationem. Ergo si tollas omne ens, tollas necesse est non ens; si autem tollis primum ens, tollis omne ens. Nonne hic obtinet illud Philosophi ἓν δόντος δοθέντ& δυάγκη τ' ἄλλα συμβαίνειν. *Uno dato absurdo necesse est multa sequantur?* Si primum ens tolleretur, convelleretur & hoc (*Impossibile est idem esse & non esse*) & contradictionum chaos rediret.

Si DEUS non esset, nihil veri, nihil falsi, neq; esset ens, neq; non ens.

4. Docent Adversarii hominem non esse animal rationale, & tamen esse hominem, involvere contradictionem. Eodem modo, DEUM non esse, DEUM non existere, ratione immutabilitatis & firmitatis essendi, est DEUM non esse DEUM, & absoluta contradictio.

Nam quicquid Deus potest esse, illud actu, & essentialiter & necessariò est: quia non potest Deus esse aliquid in potentiâ nisi illa potentia sit, vel in Deo, vel in alio ente extra Deum. Non in Deo, quia propriè esset sibi ipsi causa actu essendi id, ad quod est in potentiâ, & sic formaliter imperfectior se, & tum non absolutè necessarium & primum, ens, neque potentia illa est in alio, quia illud esset Deo prius, & sic vel creatura vel Deus, repugnat autem creaturam Deo esse priorem, & creatura sic esset causa actuans Deum. Et per potentiam esse prior Deus esset in potentiâ ut fieret à creaturâ, aliud quidpiam actu quam jam est in potentiâ: si vero esset illa potentia Deus & ens increatum, jam destrueretur hypothesis, & esset Deus prior hoc Deo.

Bradwardina de causa Dei. l. 1. cap. 24.

5. Ita & *Bradwardina*, *Si DEVS non est, vera erit hæc propositio (DEVS non est.) Ergo est aliqua veritas, & non est prima veritas.* Hæc (inquam) vel est creata vel increata veritas, vel veritas creabilis & objectiva seu non repugnantia: non est creata veritas ante primam & increatam veritatem quæ tamen non supponitur esse. Si est increata veritas, ergo est Deus. Vera ergo erit hæc (Deus est) & simul stat hæc impia hypothesis, (Deus non est) quod est contradictorium. Veritas creabilis & non repugnantia, non est possibilis stante hâc hypothesi, imò est simpliciter increabilis, quia tollitur Creator qui est prima causa & sic repugnaret aliquid esse ens, quia non est primum ens, & non repugnaret, quia Adversarius dicit esse tot ab æterno antecedenter ad Deum & citra Deum, æternas non-repugnantias, & possibilia numero infinita, absque, citra & antecedenter ad primum infinitum, & si tot sunt non repugnatiæ & entia objectiva, neque creata neque increata, sed creabilia, omnia pari ratione futura & non-futura, essent antecedenter ad decretum Dei intrinsecè & objectivè, sicut tot sunt non-repugnantiæ antecedenter ad Omnipotentiam: nam est par ratio hic & illic. Nulla est ratio cur intrinsecè futurum & non futurum, non sit in se & antecedenter futurum & non-futurum ex parte causæ creatæ contingentis & ratione materiæ intrinsecè futuræ citra *Dei* voluntatem, ut fingunt *Jesuitæ*, non aliter quam tot infinitæ non repugnantiæ, & repugnantiæ possibilia, impossibilia, vera, falsa, ante & citra primum ens: nam tam vera est hæc (*nunquam futurum* (puta millies milleni mundi) *est nunquam futurum citra Deum* (quam hæc (*nihil est*

Deus est actus quicquid esse potest.

Si non sit primum ens nullæ essent ab æterno non repugnantiæ.

nihil

nihil citra & antecedenter ad Deum.) At verò extra hanc hypothesin & simpliciter, futura & non futura sunt causativè à liberâ DEI voluntate, quia fuerunt omnia futura & non futura, ab æterno futura & non futura. Quippe in tempore hæ sunt veræ (*præsentia jam sunt*) & præsens jam fractio ossium CHRISTI, suscitatio filiorum *Abrahamo* ex lapidibus, jam non sunt ut rectè *Aristoteles* ἐι δὲ ἀεὶ ἀληθὲς ἦν εἰπεῖν, ὅτι ἢ τῶν γινομένων ὅδ' ἐστιν, ἢ ἔσται οὐκ ἐόντα πρὸ μὴ ἔσται, οὐδὲ μὴ ἔσεσθαι. *Quod si ex æternitate verum fuit, aliquid esse jam aut futurum esse, certè id non potest non fieri aut fore.* Et necessariò est verum in præsenti. At ab æterno res possibiles non evadunt futuræ ex se, & ratione materiæ intrinsecæ, quia sic omnia possibilia essent futura, quod absurdum: nam videmus quædam possibilia tantum futura quædam non futura: neque sunt futura vel non futura ex DEI Omnipotentiâ, quia duntaxat sunt possibilia vel non possibilia ex solâ DEI Omnipotentiâ ab æterno, nam aliud nihil est imaginabile. 2. Si res non fuerunt futuræ & non futuræ ab æterno à liberâ DEI voluntate, sed intrinsecè & antecedenter ad DEI voluntatem, tum non potuit DEUS per Omnipotentiam suam libere creasse plures mundos, plures homines, quam qui de facto sunt creati: nam libera DEI voluntas non potest efficere plura futura & præsentia, si omnia sint futura intrinsecè in se & antecedenter ad ipsius liberam voluntatem. Et per eandem rationem non potuit DEUS libere effeciisse pauciora futura, pauciores homines, quam de facto sunt, neque potuit DEUS liberè procurasse fractionem ossium Filii sui, & ejusdem per plusquam duodecim legiones Angelorum, à morte liberationem, quia intrinsecè & antecedenter ad liberam DEI voluntatem (ut supponunt *Jesuitæ* Philosophi insani) futura erat non fractio ossium ipsius, nec non-illa, non-liberatio, imo DEO invito omnia sunt. Si non sit primum ens, nihil fuit ab æterno futurum. At involvit contradictionem nihil jam in hoc rerum ordine ab æterno futurum fuisse quia præteritum non esse præteritum, & præsens non esse præsens implicat contradictionem; & si jam supponis non esse primum ens, supponis contradictionem non esse ulla entia creata: at impossibile est entia creata esse non creata. Necesse est ergo (si fingenda tam impia suppositio) supponas nunquam fuisse ens primum & cum necessitas existendi sit de essentiâ DEI, est suppositio contradictionem involvens. 3. Erunt præsentia, & evenient

Arist. de Interp. cap. 10.

evenient in tempore, quia intrinsecè & antecedenter ad liberam DEI voluntatem, ab æterno erant futura & eventura. Utri gravius peccent, an abhominandi *Jesuitæ*, an impuri *Sociniani* (quorum agmen numerosum in *Anglia* nunc grassatur) non est in proclivi determinare. Nam *Jesuitæ* citra providentiam omnia futura contingentia esse determinatè futura docent. *Sociniani* nulla futura præsertim contingentia futura à DEO sciri, aut scibilia esse, aut determinatam habere veritatem autumant. Ita *Vockelius* de verâ (falsâ potius) Religione *c.* 24, *col.* 202, 201, contra Scripturas *Esai.* 41. 22, 23, 26. *c.* 44. 7, 8. *c.* 48. 3, 5, 6. 17. 14. contra prædictiones tot futurorum contingentium de partitione terræ sanctæ, *Gen.* 48. *Deut.* 33. quæ postea sortibus obtigit *Josh. c.* 15. *c.* 16. de interitu *Achabi*, *Assyriorum*, *Chaldæorum*, *&c.* De morte CHRISTI in omnibus circumstantiis, quæ liberarum causarum ministerio evenerunt, eo quod causæ secundæ, si à DEO non impediantur, ex dominio absoluto, effectus producant, sopitâ DEI providentiâ, stante impiâ hâc sententiâ. Deinde hæ non repugnantiæ objectivè ad essendum sunt merè fictiones: nam sunt entia negativa & purè nihila, quatenus DEUS ex iis facere & Omnipotenter elicere potest ens, ideoque necessariò & essentialiter homo objectivè & in potentiâ, dicit relationem ad Omnipotentiam in virtute cujus hæc potentia continetur. Jam tolle Omnipotentiam, res quæ est in potentiâ ut sit homo, non magis est potentiâ homo, quam est potentia hircocervus, lapis, mons, asinus, imò est impotentiâ, vel in impossibilitate, & repugnantiâ ut sit homo. Hinc arguo: quod intrinsecè & ex se est repugnans ut sit homo, antecedenter ad Omnipotentiam, ei non competit essentialiter seu formaliter (qualiscunque essentia intelligatur, non refert) non-repugnantia ut sit homo: at omnia entia ratione potentiæ objectivæ, ante & citra primam causam Omnipotentem, sunt repugnantia ut sint creaturæ) Uti enim res ex se repugnant esse futuræ, vel non futuræ antecedenter ad decretum DEI, nempe, primam causam futurorum & non futurorum, ita omnia entia objectivè ex se repugnant esse antecedenter ad primam causam Omnipotentem: nam quibus convenit impossibilitas essendi, iis non convenit objectiva non-repugnantia seu possibilitas essendi. Atque omnibus possibilibus ante & citra primam causam Primipotentem & Omnipotentem convenit impos-

impossibilitas essendi. Duo hic objiciunt. *Ergo, si impossibilitas essendi competit possibilibus antecedenter ad primum ens & citra Deum, si tolleretur prima causa, omnia essent impossibilia, & citra DEVM verae essent hae, nihil est, nihil esse potest, omnia sunt impossibilia, imo non essent creabilia.* Respondeo. Si non esset prima causa, quisnam intellectus hanc propositionem formaret (*nihil est*) (*omnia sunt impossibilia*) non increatus intellectus, qui non est, ut supponitur, & etiamsi esset, tamen non componendo & dividendo intuetur res, neque creatus, quia nullum esset ens creatum. Si dicatur: *at fortè erit veritas fundamentalis, seu non-repugnantia objectiva*, etiam si non esset primum ens. At verò repugnantia est vel incomplexa vel complexa, & supra dictum nihil esse simplex & incomplexum repugnans, quia. DEO omnia sunt possibilia, nisi quæ implicant contradictionem: at si non sit prima causa (ut impiè supponitur) nihil erit possibile, nullum ens, nihil sic erit verum, nihil falsum, nihil erit, nihil non erit, ut hircocervus nec album, nec nigrum, nec vivens, nec mortuum quid erit. Aliud est increabilitatem seu impossibilitatem, seu non possibilitatem essendi, convenire possibilibus ex se, etiamsi nulla esset prima causa: & increabilitatem seu non possibilitatem convenire rebus creabilibus in se, sed tamen originaliter à primâ causâ. Si enim supponimus non esse primam causam, neque essent propriè entia, neque propriè non-entia, neque aliquid veri, neque falsi, neque quidpiam possibilis neque impossibilis continerent tales propositiones, sed essent planè nihila, nec vera, nec falsa, & fortè & vera & falsa & contradictoria; quia tu supponens non esse primum ens, supponis infinitam contradictionem, & nihil absurdi est ex hâc tam insigni contradictione sequi infinitas contractiones. At verò suppositâ existentiâ primæ causæ in se, veræ essent hæ: (*nihil est*) (*nihil esse potest*) (*omnia sunt possibilia*) attamen non sine omni respectu ad primum ens, quia etsi nihil sit nihil in se, impossibile sit impossibile in se, nempe, objectivè, non sequitur, Ergo sunt entia in potentiâ aut impossibilia citra DEUM & primum ens existens à quo sunt deviationes in genere entis, & à quo, per modum non-liberè efficientis, habent quod sint non entia & nihila: Neque enim repugnat non ens in se & formaliter & intrinsecè esse nihil, si removetur omnis consideratio omnis efficientis, uti homo est animal rationale citra omnem

Si supponis non esse primum ens, neque vera, neque falsa esset propositio.

Entia possunt in sein. possibilia citra consideracionem primi entis, ac si ponis non esse primum ens nihil erit impossibile.

omnem considerationem primæ causæ efficientis, neque causa externa ingreditur essentiam rei: sed si supponamus primum ens non esse, aio tum non entia & impossibilia, ne quidem habere quod sint non entia, aut nihila, aut non repugnantiæ objectivæ. Quia si non detur primum efficiens, neque prima causa, neque possibile propriè aliquid esset, neque esset non ens propriè non ens, nam per liberam non efficientiam primæ causæ, propriè non ens est non ens, ut antea dictum.

2. Objicitur, *Possibile esset possibile, & impossibile esset impossibile, uti homo est animal rationale, & (Idem est idem) in se & intrinsecè, etsi removeretur prima causa, quia in tam impiâ hypothesi, idem esset idem, neque causa externa, nempe, prima, potest esse causa interna & materia aut forma rei creatæ, sive illa res sit in potentiâ tantum, sive in actu, ac proinde non existente primâ causâ, possibile non posset quidem actu existere, At verò minimè sequeretur possibile non esse possibile, nihil non esse nihil, impossibilia non esse intrinsecè, habitâ saltem ratione causarum internarum, (quæ suo modo & analogicè, sunt in non entibus, sicut & in entibus) nempe materiæ & formæ, respectu; nam si supponeremus non esse primam causam, homo tamen esset substantia, corpus, animal rationale, quia idem non potest non esse idem in quâlibet hypothesi.*

Si non esset primum ens, convelleretur hoc principium, (Idem esse simul & non esse est impossibile.)

Respondeo. In tam impiâ hypothesi, in quâ non esset prima causa, convelleretur hoc primum principium (*impossibile est idem ens simul esse & non esse*) quia primum idem ens, nempe DEUS, simul DEUS esset, (nam contradicentius aut maledicentius nihil quam DEUM non esse) & esset etiam non-DEUS, ut impiè supponitur, & sic non esset ens ullum creatum, nec homo esset, si removeretur primum ens, nec homo esset substantia, nec animal rationale, nec idem creatum esse idem cum seipso, si idem increatum non esset prius, & infinito modo idem, & cum seipso glorioſissimè coidentificatum. Quia quamvis DEUS nec materiare nec informare, id est, neque vicem materiæ neque formæ supplere possit, propter intrinsecam imperfectionem causandi in causis internis. Attamen DEUS necessariò concurrit in alio genere causæ ad tribuendum esse effectivum, nempe in genere causæ independentis & infinitæ, tum compositò tum materiæ & formæ omnibusque causis internis, quia DEUS creat totum ens, & totum entis, & DEUS creando

creando hominem eodem actu creat substantiam, corpus vivens, animal rationale, & causas omnes internas. Si ergo non esset *Creator*, neque essent creaturæ, neque causæ internæ ullæ, neque externæ, neque ullum possibile aut impossibile, & sic nec esset homo, nec animal, nec homo esset ens creatum, quia non est primum ens.

QUÆSTIO VI. *An possibilia sint aliquid reale?*

Respondeo. Non sunt, quia dicunt tantum denominationem merè extrinsecam in habitudine ad Omnipotentiam.

I.

Possibile non est aliquid reale.

QUia essentia tantum in potentiâ non est reale quid, sed tantum in potentiâ, non actu, impossibile est *Petrum* simul esse in potentiâ tantum ad ambulandum, & actu ambulantem.

2. DEUS condidit omnia ex nihilo, non ex nihilo existentiæ, sed essentiæ. 1. Quia DEUS creavit totum ens & totum entis. 2. Quia essentiæ rerum non sunt reales, ante exordium temporis, nam tum fuissent infinita entia realia coæterna DEO. Contra id *Gen.* 1. 1. & tamen non essent à DEO per liberam efficientiam creativam, essentque illa entia ab æterno, uti nunc sunt, vera, bona, pulchra, jucunda, honesta, utilia, una, ordinata, numerata, à DEO volita, attamen non à primo efficiente per liberam creationem, sed per coæternam & naturalem emanationem. 3. Sequerentur & hæc absurda. 1. Essentias rerum esse ab æterno & infinita sæcula imaginaria, res ipsas antecessisse. 2. Essentias rerum æternas esse, & etiam res essentiâ constantes in tempore ortas, quod contradictorium est DEO. 3. Infinitum numerum & thesaurum *Platonicum* animarum, formarum, essentiarum, apud DEUM ab æterno fuisse, & Chimæricas, nescio, quas, rerum existentias creatas in tempore. Neque moramur quod somnient nonnulli, essentias rerum neque ab æterno creatas, neque increatas, sed tantum creabiles. 1. Quia creatum & increatum dividunt & exhauriunt totum ens reale in sua latitudine. 2. Aliquid reale ab æterno sic fuisset apud DEUM præter DEUM ipsum. Respondeatur DEO illud vice *Jobi* 28. *Ubinam erat,*

Essentiæ rerum ab æterno non sunt.

Oviedo Metaphys. contra 10. punc. 5. sec. 2. nu. 10.

istere ab alio. Neque illud *Francisci de Oviedo, causalitas* (inquit) *quam significamus, cum dicimus, quia creatura est possibilis DEVS potest illam producere est quasi formalis.* At verò Omnipotentia in actu primo antecedit hanc formalem causam possibilis, quia formalitas quasi entis possibilis, Tota est in virtute primæ causæ ejusque Omnipotentiâ. & contradictionem implicat hoc esse possibile, & tamen non supponi Omnipotentem, ratione cujus est formaliter possibile; neque possibile ad extra, sepositâ prima causâ, vel si non esset illa immaculata gloria τῶν ὁντῶν, pura Deus, esset possibile, neque esset formaliter non repugnantia rei ad essendum, quod probatur, quia quod non repugnat esse, nulla contradictio, impossibile nihil sequeretur, si actus esset, at impossibile & repugnans sequeretur, si actu esset possibile; & tamen nulla esset Omnipotentia. Uti si esset rationalis & non esset homo, sequeretur contradictio, sic hoc casu esset ens & non primum ens, quod contradictionem involvit. 2. Possibile si non sit primum potens, idem esset quod *Chimera* aut *hircocervus*, nam esset ens purè negativum manens in statu non entium; at si non esset prima causa, non ens manens non ens posset esse ens, quod sic probatur: quia possibile est non ens actu: at verò si possibile esset possibile, sublatâ primâ causâ, nihil absurdi sequeretur, si illud possibile fieret ens in actu, sublatâ primâ causâ, & sic esset ens in actu, sublato primo ente, quod monstrosum est. 3. Neque dici potest, *quod DEVS non sit impossibilis aut possibilis materia & forma, DEVS enim non est interna causa rei, potest ergo res esse materialiter possibilis, ablato primo efficiente.* Sed occurritur sic: causæ internæ Cœli, Solis, hominis & omnium creaturarum actu existere possent, si abesset formosissima illa prima pulchritudo, Deus. Quippe ille non est causa interna creaturarum existentium magis quam possibilium, hoc autem non est dicendum, quia nullæ causæ internæ existere possunt, sine causâ externâ primâ & infinitâ. 2. Deus creat ut efficiens, totum ens & totum entis. Ergo causæ internæ sunt à Deo effectivè, ergo ne quidem entia sunt possibilia quoad causas, internas, sublatâ primâ causa. Mihi verò nullum impossibile poni vel esse posse videtur, si non sit prima causa. 1. Quia nullum possibile est ex se, si non esset primum potens & Omnipotentia, & contradictionem involvit possibile esse, & non esse causam aliquam

Si stet impia & execranda suppositio, non esse primam causam, nihil esset possibile, nihil impossibile, et chaos contradictionem involveret.

active

activè potentem, seu omnipotentem, in cujus virtute contineatur effectus iste possibilis, esset enim possibile non possibile, Ergo si nullum sit possibile, neque erit aliquid impossibile, quia nihil erit possibile, cui illud impossibile repugnaret. 2. Tolle primum ens, & tolles simul omne verum, quia tollis primum verum, ac proinde neque verum erit hoc (*impossibile est idem non esse idem*) quia tollis primum idem. Et omne verum, & tolles omne falsum: nam si non esset primum idem & primum ens, neque hoc obtineret veritatem (*impossibile est idem ens increatum simul esse ens & non ens*) in primo ente, quid supponis non esse primam entitatem, Ergo neque veritas esset in ullâ propositione ne quidem fundamentalis & objectiva, quia nullus esset intellectus, nullum ens increatum, ut supponitur, Ergo nulla essentia vel increata, vel ab eâ derivata, aut essentia per participationem. Dices. *Vel hæc in se esset vera* (*nihil est*) *quia hæc supponitur vera,* (*DEUS non est*) *vel esset falsa* (*nihil non est*) *quia altera pars contradictionis necessariò est vera, altera falsa. Ergo hæc in se & intrinsecè necessariò esset vera, si prima causa non esset, nempe* (*nihil est,*) (*omnia sunt impossibilia negativè*) *quia ex hypothesi non datur primum ens.*

Respondeo. Duplex est *non-ens* & *non-futurum.* Aliud est purè negativum & non-ens & simpliciter impossibile, quod est negativè non-futurum, & aliud est non-ens tale & non-ens privativè negans ens vel creatum vel increatum. Hæc duo non entia sic distinguuntur quod prius sit purè negativum, posterius privativum. 2. Prius non ens esset, etsi DEUS non esset, sed τὸ *esse* hic sumitur abusivè, pro τῷ purè non esse, & hoc non ens neque prius esset DEO, neque posterius, quia formaliter est purè non ens & simpliciter nihil. 3. Prius non ens est capax futuritionis & non futuritionis & indifferens ut sit futurum vel non futurum per DEI decretum, & capax entitatis positivæ vel privativæ. Prius non ens impropriissimè dicitur esse aut esse prius DEO. At posterius non ens est originaliter à DEO ut supra dictum, Nos jure tuemur cum *Alvarezio & Dominicanis* antecedenter ad liberum DEI decretum, nihil esse determinatè futurum, nihil determinatè non futurum. Falsumque hoc esse in omni signo rationis, & antecedenter ad decretum DEI. (*Petrus ab æterno vel fuit disputaturus, vel Petrus non fuit disputaturus*) quia uti determinata omnis entitas, & per eandem rationem determinata non-entitas,

& sic determinata veritas & falsitas, omnis est, uti res est. Nam
Aristoteles de interpr. cap. 10. *Aristoteles de interp. cap.* 10. rectissimè ὁμοίως ἐκ λόγου ἀληθὴς, ὅσπερ καὶ τὰ πράγματα. *ex eo quod res est vel non est, ita oratio est vera vel falsa.* At nulla est determinata entitas, nulla futuritio, neque non futuritio, ante DEI decretum. Quia sic determinatæ tot entitates sunt futuræ, & determinatæ tot non entitates sunt futuræ, præter & citrà voluntatem primi efficientis, & primi finis, quo nihil absurdius. Et si DEUS in numerato habet omnes guttulas pluviæ futuras, & omnia determinatè futura, in numerato habet omnes rores, grandines, nives possibiles, sed nunquam determinatè futuras, in numerato & decreto numerante habet & exactè scit, cum enim determinate futurorum numerus possibilium, & determinate nunquam futurorum non sit par, sed impar, DEUS, qui scit an stellæ sint numero pares an impares, exactè scit, decernens tantum
Deus positivo decreto suo scit omnia non futura. futurum esse mundum unicum, tres, vel quatuor, vel mille mundos possibiles nunquam futuros. Ergo scit DEUS comprehendendo Omnipotentiam quasi libero decreto (ut sic loquar) in agendo & non agendo regulatam, duos mundos possibiles nunquam futuros, & etiam tres, & etiam quatuor: Et sic in infinitum scit numerum in infinitum excrescentem supra mundum unicum, quia positive decrevit creare unum, ideo positive decrevit creare non duos alios, non tres: & in numerato habet quot entia sunt tantum possibilia, nunquam verò futura, quia cum possibilia quâ possibilia sint non futura, non prosiliunt è statu & classe possibilium & non futurorum à seipsis & intrinsecè. Eo quod vera ab æterno fuerit hæc, (*omne futurum ab æterno est futurum*) vel ejus contradictio (*omne futurum ab æterno non est futurum.*) Nos respondemus in signo rationis antecedente decretum per quod solum & per nullam aliam causam imaginabilem, omnia sunt futura vel non futura, tam impossibile est futurum à se & intrinsecè esse futurum, vel non futurum, quam ens per participationem esse absque ente primo & per se, aut ens esse præsens, vel præteritum, & tamen non futurum, aut calidum esse absque primo calido, aut lucidum absque primo lucido: Ita pari modo omne ens possibile, & omne ens non possibile, vel impossibile, neque in se esset, neque in se non esset & neutra contradictionis pars esset vera, neutra falsa, si supponas non esse formosissimum & amœnissimum illud ens, nempe primum ens entium

lucem

lucem inhabitans inaccessam, quo non existente (O abominandam hypothesin) tenebræ contradictionum, æternæ ingruerent. At dices. *Negativè omnia essent purè non entia & purè impossibilia, neq; enim ut non entia sint, indigent ente, Ergo neque primo ente.*

Respondeo. Sed neque non entia (si de falsitate Metaphysicâ uti nunc arguimus) sunt, aut veritatem Metaphysicè fundamentalem obtinent, citra formosissimum primum ens, nempe *Jehovam* existentem. Nam 3. si non esset primum ens, neque esset primum bonum: at neque est possibile primum malum, seu destructio boni infiniti, jam quæro cur non esset objectiva aliqua creata bonitas, uti hæc (*bonum creatum est bonum*) vel) *bonum creatum non est bonum*) si supponas primum bonum non esse, potius quam altera illa affectio entis, nempe veritas; at non dicendum bonitatem creatam esse, vel possibilem esse, vel malitiam esse, si primum bonum non esset. Inde bonum, verum, falsum, possibile, impossibile, sive id quod est per primum potens non possibile, exularent: & illa non entia negativè, & nunquam futura negativa essent defectiones ab ente objectivè sumpto: at si tollas *primum ens*, à quo deflecterent ente, cum supponas non esse ens omninò: si non esset primum ens, id quod est non ens negativè non negaret ens creatum, quia nihil tale est vel possibile, si supponas non esse primum ens & primum potens in quo solo omnia entia sunt possibilia, & non ens illud minimè negaret ens increatum, quia tu supponis non esse; & si supponis non esse, supponis nunquam esse & non possibile esse, & si Deus sit ens nunquam possibile, non ens non negaret tale ens; quia si nulla esset affirmatio prior, omnis posterior negatio est impossibilis; & si tollis affirmationem, tolles & negationem. Ergo si tollas omne ens, tollas necesse est non ens; si autem tollis primum ens, tollis omne ens. Nonne hic obtinet illud Philosophi ὑπὸ ἀτόπου δοθέντος ἀνάγκη τ' ἄλλα συμβαίνειν. *Uno dato absurdo necesse est multa sequantur*? Si primum ens tolleretur, convelleretur & hoc (*impossibile est idem esse & non esse*) & contradictionum chaos rediret.

Si DEVS non esset, nihil veri, nihil falsi, neq; esset ens, neq; non ens.

4. Docent Adversarii hominem non esse animal rationale, & tamen esse hominem, involvere contradictionem. Eodem modo, Deum non esse, Deum non existere, ratione immutabilitatis & firmitatis essendi, est Deum non esse Deum, & absoluta contradictio.

Nam quicquid Deus potest esse, illud actu, & essentialiter & necessariò est: quia non potest Deus esse aliquid in potentiâ nisi illa potentia sit, vel in Deo, vel in alio ente extra Deum. Non in Deo, quia propriè esset sibi ipsi causa actu essendi id, ad quod est in potentiâ, & sic formaliter imperfectior se, & tum non absolutè necessarium & primum, ens, neque potentia illa est in alio, quia illud esset Deo prius, & sic vel creatura vel Deus, repugnat autem creaturam Deo esse priorem, & creatura sic esset causa actuans Deum. Et per potentiam esse prior Deus esset in potentiâ ut fieret à creaturâ, aliud quidpiam actu quam jam est in potentiâ: si verò esset illa potentia Deus & ens increatum, jam destrueretur hypothesis, & esset Deus prior hoc Deo.

Bradwardina de causa Dei. l. 1. cap. 24.

3. Ita & *Bradwardina*, *Si DEVS non est, vera erit hæc propositio (DEVS non est.) Ergo est aliqua veritas, & non est prima veritas.* Hæc (inquam) vel est creata vel increata veritas, vel veritas creabilis & objectiva seu non repugnantia: non est creata veritas ante primam & increatam veritatem quæ tamen non supponitur esse. Si est increata veritas, ergo est Deus. Vera ergo erit hæc (Deus est) & simul stat hæc impia hypothesis, (Deus non est) quod est contradictorium. Veritas creabilis & non repugnantia, non est possibilis stante hâc hypothesi, imò est simpliciter increabilis, quia tollitur Creator qui est prima causa & sic repugnaret aliquid esse ens, quia non est primum ens, & non repugnaret, quia Adversarius dicit esse tot ab æterno antecedenter ad Deum & citra Deum, æternas non-repugnantias, & possibilia numero infinita, absque, citra & antecedenter ad primum infinitum, & si tot sunt non repugnātię & entia objectiva, neque creata neque increata, sed creabilia, omnia pari ratione futura & non-futura, essent antecedenter ad decretum Dei intrinsecè & objectivè, sicut tot sunt non-repugnantiæ antecedenter ad Omnipotentiam: nam est par ratio hic & illic. Nulla est ratio cur intrinsecè futurum & non futurum, non sit in se & antecedenter futurum & non-futurum ex parte causæ creatæ contingentis & ratione materię intrinsecè futurę citra *Dei* voluntatem, ut fingunt *Jesuitę*, non aliter quam tot infinitæ non repugnantiæ, & repugnantiæ possibilia, impossibilia, vera, falsa, ante & citra primum ens: nam tam vera est hæc (*nunquam futurum* (puta millies milleni mundi) *est unquam futurum citra Deum* (quam hæc (*nihil est*

Deus est actus quicquid esse potest.

Si non sit primum ens nullæ essent ab æterno non repugnantiæ.

nihil

nihil citra & antecedenter ad Deum.) At verò extra hanc hypothesin & simpliciter, futura & non futura sunt causativè à liberâ DEI voluntate, quia fuerunt omnia futura & non futura, ab æterno futura & non futura. Quippe in tempore hæ sunt veræ (*præsentia jam sunt*) & præsens jam fractio ossium CHRISTI, suscitatio filiorum *Abrahamo* ex lapidibus, jam non sunt ut rectè *Aristoteles* ἀεὶ δὲ τὰ μὲν ἀληθὲς ἦν ἐντεῦν, ὅτε ἂν τῶν γινομένων ὅλη ἐστὶν, ἢ ἔσται ἀναγκαῖον ἦν ἢ γενέσθαι, ἢ δὲ μὴ ἔσεσθαι. *Quod si ex æternitate verum fuit, aliquid esse jam aut futurum esse, certè id non potest non fieri aut fore.* Et necessariò est verum in præsenti. At ab æterno res possibiles non evadunt futuræ ex se, & ratione materiæ intrinsecæ, quia sic omnia possibilia essent futura, quod absurdum: nam videmus quædam possibilia tantum futura quædam non futura: neque sunt futura vel non futura ex DEI Omnipotentiâ, quia duntaxat sunt possibilia vel non possibilia ex solâ DEI Omnipotentiâ ab æterno, nam aliud nihil est imaginabile. 2. Si res non fuerunt futuræ & non futuræ ab æterno à liberâ DEI voluntate, sed intrinsecè & antecedenter ad DEI voluntatem, tum non potuit DEUS per Omnipotentiam suam libere creasse plures mundos, plures homines, quam qui de facto sunt creati: nam libera DEI voluntas non potest efficere plura futura & præsentia, si omnia sint futura intrinsecè in se & antecedenter ad ipsius liberam voluntatem. Et per eandem rationem non potuit DEUS libere effeciſſe pauciora futura, pauciores homines, quam de facto sunt, neque potuit DEUS liberè procurasse fractionem ossium Filii sui, & ejusdem per plusquam duodecim legiones Angelorum, à morte liberationem, quia intrinsecè & antecedenter ad liberam DEI voluntatem (ut supponunt *Jesuitæ* Philosophi insani) futura erat non fractio ossium ipsius, nec non-illa, non-liberatio, imo DEO invito omnia sunt. Si non sit primum ens, nihil fuit ab æterno futurum. At involvit contradictionem nihil jam in hoc rerum ordine ab æterno futurum fuisse quia præteritum non esse præteritum, & præsens non esse præsens implicat contradictionem; & si jam supponis non esse primum ens, supponis contradictionem non esse ulla entia creata: at impossibile est entia creata esse non creata. Necesse est ergo (si fingenda tam impia suppositio) supponas nunquam fuisse ens primum & cum necessitas existendi sit de essentiâ DEI, est suppositio contradictionem involvens. 3. Erunt præsentia, &

Arist. de Interp. cap. 10.

evenient

evenient in tempore, quia intrinsecè & antecedenter ad liberam DEI voluntatem, ab æterno erant futura & eventura. Utri gravius peccent, an abhominandi *Jesuitæ*, an impuri *Sociniani* (quorum agmen numerosum in *Anglia* nunc grassatur) non est in proclivi determinare. Nam *Jesuitæ* citra providentiam omnia futura contingentia esse determinatè futura docent. *Sociniani* nulla futura præsertim contingentia futura à DEO sciri, aut scibilia esse, aut determinatam habere veritatem autumant. Ita *Vockelius* de verâ (falsâ potius) Religione *c.* 24, *col.* 202, 201, contra Scripturas *Esai.* 41. 22, 23, 26. *c.* 44. 7, 8. *c.* 48. 3, 5, 6. 17. 14. contra prædictiones tot futurorum contingentium de partitione terræ sanctæ, *Gen.* 48. *Deut.* 33. quæ postea sortibus obtigit *Josh. c.* 15. *c.* 16. de interitu *Achabi*, *Assyriorum*, *Chaldæorum*, *&c.* De morte CHRISTI in omnibus circumstantiis, quæ liberarum causarum ministerio evenerunt, eo quod causæ secundæ, si à DEO non impediantur, ex dominio absoluto, effectus producant, sopitâ DEI providentiâ, stante impiâ hâc sententiâ. Deinde hæ non repugnantiæ objectivè ad essendum sunt merè fictiones: nam sunt entia negativa & purè nihila, quatenus DEUS ex iis facere & Omnipotenter elicere potest ens, ideoque necessariò & essentialiter homo objectivè & in potentiâ, dicit relationem ad Omnipotentiam in virtute cujus hæc potentia continetur. Jam tolle Omnipotentiam, res quæ est in potentiâ ut sit homo, non magis est potentiâ homo, quam est potentia hircocervus, lapis, mons, asinus, imò est impotentiâ, vel in impossibilitate, & repugnantiâ ut sit homo, Hinc arguo: quod intrinsecè & ex se est repugnans ut sit homo, antecedenter ad Omnipotentiam, ei non competit essentialiter seu formaliter (qualiscunque essentia intelligatur, non refert) non-repugnantia ut sit homo: at omnia entia ratione potentiæ objectivæ, ante & citra primam causam Omnipotentem, sunt repugnantia ut sint creaturæ) Uti enim res ex se repugnant esse futuræ, vel non futuræ antecedenter ad decretum DEI, nempe, primam causam futurorum & non futurorum, ita omnia entia objectivè ex se repugnant esse antecedenter ad primam causam Omnipotentem: nam quibus convenit impossibilitas essendi, iis non convenit objectiva non repugnantia seu possibilitas essendi. Atque omnibus possibilibus ante & citra primam causam Primipotentem & Omnipotentem convenit

impos-

impossibilitas essendi. Duo hic objiciunt. *Ergo, si impossibilitas essendi competit possibilibus antecedenter ad primum ens & citra Deum; si tolleretur prima causa, omnia essent impossibilia, & citra DEVM veræ essent hæ, nihil est, nihil esse potest, omnia sunt impossibilia, imo non essent creabilia.* Respondeo. Si non esset prima causa, quisnam intellectus hanc propositionem formaret (*nihil est*) (*omnia sunt impossibilia*) non increatus intellectus, qui non est, ut supponitur, & etiamsi esset, tamen non componendo & dividendo intuetur res, neque creatus, quia nullum esset ens creatum. Si dicatur: *at fortè erit veritas fundamentalis, seu non-repugnantia objectiva*, etiam si non esset primum ens. At verò repugnantia est vel incomplexa vel complexa, & supra dictum nihil esse simplex & incomplexum repugnans, quia. DEO omnia sunt possibilia, nisi quæ implicant contradictionem: at si non sit prima causa (ut impiè supponitur) nihil erit possibile, nullum ens, nihil sic erit verum, nihil falsum, nihil erit, nihil non erit, ut hircocervus nec album, nec nigrum, nec vivens, nec mortuum quid erit. Aliud est increabilitatem seu impossibilitatem, seu non possibilitatem essendi, convenire possibilibus ex se, etiamsi nulla esset prima causa: & increabilitatem seu non possibilitatem convenire rebus creabilibus in se, sed tamen originaliter à primâ causâ. Si enim supponimus non esse primam causam, neque essent propriè entia, neque propriè non-entia, neque aliquid veri, neque falsi, neque quidpiam possibilis neque impossibilis continerent tales propositiones, sed essent planè nihila, nec vera, nec falsa, & fortè & vera & falsa & contradictoria; quia tu supponens non esse primum ens, supponis infinitam contradictionem, & nihil absurdi est ex hâc tam insigni contradictione sequi infinitas contractiones. At verò suppositâ existentiâ primæ causæ in se, veræ essent hæ: (*nihil est*) (*nihil esse potest*) (*omnia sunt possibilia*) attamen non sine omni respectu ad primum ens, quia etsi nihil sit nihil in se, impossibile sit impossibile in se, nempe, objectivè, non sequitur, Ergo sunt entia in potentiâ aut impossibilia citra DEUM & primum ens existens à quo sunt deviationes in genere entis, & à quo, per modum non-liberè efficientis, habent quod sint non entia & nihila: Neque enim repugnat non ens in se & formaliter & intrinsecè esse nihil, si removeatur omnis consideratio omnis efficientis, uti homo est animal rationale citra

Si supponis non esse primum ens, neque vera, neque falsa esset propositio.

Entia possunt in seipsis possibilia citra considerationem primi entis, at si ponis non esse primum ens nihil erit impossibile.

creando hominem eodem actu creat substantiam, corpus vivens, animal rationale, & causas omnes internas. Si ergo non esset *Creator*, neque essent creaturæ, neque causæ internæ ullæ, neque externæ, neque ullum possibile aut impossibile, & sic nec esset homo nec animal, nec homo esset ens creatum, quia non est primum ens.

QUÆSTIO VI. *An possibilia sint aliquid reale?*

Respondeo. Non sunt, quia dicunt tantum denominationem merè extrinsecam in habitudine ad Omnipotentiam.

I.

QUia essentia tantum in potentiâ non est reale quid, sed tantum in potentiâ, non actu, impossibile est *Petrum* simul esse in potentiâ tantum ad ambulandum, & actu ambulantem. *Possibile non est aliquid reale.*

2. DEUS condidit omnia ex nihilo, non ex nihilo existentiæ, sed essentiæ. 1. Quia DEUS creavit totum ens & totum entis. 2. Quia essentiæ rerum non sunt reales, ante exordium temporis, nam tum fuissent infinita entia realia coæterna DEO. Contra id *Gen.* 1. & tamen non essent à DEO per liberam efficientiam creativam, essentque illa entia ab æterno, uti nunc sunt, vera, bona, pulchra, jucunda, honesta, utilia, una, ordinata, numerata, à DEO volita, attamen non à primo efficiente per liberam creationem, sed per coæternam & naturalem emanationem. 3. Sequerentur & hæc absurda. 1. Essentias rerum esse ab æterno & infinita sæcula imaginaria, res ipsas antecessisse. 2. Essentias rerum æternas esse, & etiam res essentiâ constantes in tempore ortas, quod contradictorium est DEO. 3. Infinitum numerum & thesaurum *Platonicum* animarum, formarum, essentiarum, apud DEUM ab æterno fuisse, & Chimæricas, nescio, quas, rerum existentias creatas in tempore. Nequé moramur quod somnient nonnulli, essentias rerum neque ab æterno creatas, neque increatas, sed tantum creabiles. 1. Quia creatum & increatum dividunt & exhauriunt totum ens reale in sua latitudine. 2. Aliquid reale ab æterno sic fuisset apud DEUM præter DEUM ipsum. Respondeatur DEO illud vice *Jobi* 28. *Ubinam erat,* *Essentiæ rerum ab æterno non sunt.*

erat, tu, O ens reale, dum ego jacerem lapidem angularem universæ hujus Machinæ τῶν πάντων? 3. Et illud creabile est quid increatum, uti omne factibile & infectum, & si erat reale, eratne Deo coævum aliquid reale, coæternum, increatum, independens, & etiam non reale, temporale, creatum, dependens? At quando incœpit quod ante principium temporis ortum est? quo momento? quo rationis signo? Neque ausim id *Aristotelicum* rescindere

Arist. meta. 9. c. 12. περὶ δὲ τὰ ἀδύνατα ἄλλως ἔχειν οὐ γίγνεται, ὅτι μὲν ἄληθὲς, ὅτε δὲ ψεῦδος· ἀλλ' ἀεὶ ταῦτα ἀληθῆ ἢ ψευδῆ. *In iis quæ aliter se habere nequeunt, non evenit aliquando verum, aliquando falsum, sed semper hæc vera sunt & falsa.*

Sed neque ausim cum *Aristotele* & *Jesuitis* has propositiones, (*Homo est animal*) (*Rosa est flos*) (*manducatio vetitæ arboris scientiæ est peccatum*) asserere esse æternæ veritatis, quia extremæ propositionum connexa & copula (est) in tempore creata sunt. At entitates rerum esse æternas, & veritates rerum tempore ortas, mihi videtur ἀκατάληπτον. Videant *Jesuitæ*, qui omnia vident. Sed necessario veras & earum veritates à tempore abstrahere, & semper veras hoc sensu largior, quod quidditativo conceptu subjecti includatur conceptus attributi, propter identificationem attributi cum subjecto, qui enim concipit hominem, concipit animal, homo in potentia includit animal objective in potentia, & homo in actu, animal in actu, quod agnovit adversarius, *Hurtado Jesuita* At quando concipitur homo, concipitur animal rationale, & si tu ponis hominem ab æterno, necesse est ponas animal rationale ab æterno, quia essentia & essentiatum non possunt non semper identificari & tamen essentiatum est creatum in tempore sicut & essentia, & simul concreata est identitas inter essentiam & essentiatum, quando creatur res constans essentiâ.

Nulla propositio sunt æternæ veritatis.

At vero inquies, *alio modo veræ sunt hæ* (*rosa est flos*) (*homo est animal*) *quia nunquam falsæ, quam hæ*, (*homo est albus*) (*Petrus disputat*) *quæ sæpe falsæ sunt, non autem sempiternæ veritatis.*

Respondeo sunt alio modo veræ hæ, & illæ, nam in his (*Petrus disputat*) attributum non includitur in conceptu subjecti; in propositionibus vero necessariis, propter talem identitatem attributi cum subjecto, si ponas subjectum, ponis attributum; & si homo fuisset ab æterno, animal rationale etiam fuisset ab æterno. At licet,

cet *Petrus* fuisset ab æterno, non tamen *album*, aut *disputare* ab æterno fuisset.

Obj. 2. *Hæc propositio nunquam incœpit esse vera (Antichristus erit) (extremum judicium est futurum) dantur ergo nonnullæ saltem propositiones æternæ veritatis.*

Respondeo 1. Hoc argumento concluderetur, omnes propositiones de contingentibus in præsenti veras, fuisse necessariæ & æternæ veritatis (*ut homo est albus*) in quibus certe nulla est necessaria connexio inter subjectum & attributum, (2) veritas hujus *Antichristus erit* fuit in æterno DEI decreto, sed non ab æterno ad extra, neque format DEUS propositiones ab æterno, non est simpliciter. Mundus ab æterno est à DEO volitus: Ergo mundus est, non sequitur. Quid futuritio. Futuritio nihil est aliud, quam habitudo rei ad determinatam suo demum tempore existentiam. *Quid futuritio.*

Suarez dicit *possibile differre ab ente ficto, puta, hircocervo, quod non repugnet possibile fieri, at hircocervum esse repugnat.* Suarez. Metaphys. disp. 31. §. 11. num. 2.

Fateor differre possibile ab impossibili, sed non per differentias reales, sed per extrinsecam, ad Omnipotentiam, relationem. Licet impossibile complexum supponat possibile, & supponit sic suo modo possibile, ut antea dictum.

Suarez veto sic objicit, cum aliis. *Non ens non est producibile, sed possibile est producibile, Ergo possibile non est non ens:* Suarezius Metaphys. disp. 30. sec. 17.

Resp. Quod est non ens simpliciter, & neque potentiâ, neque actu est ens, sed simpliciter impossibile, & contradictionem fieri involvit, non est producibile, verum est: at possibile non est sic non ens, sed potest omnipotens ex non ente extrahere ens. Fonseca Metaph. l. 9. c. 1. q. 3. sec. 3.

QUESTIO. VII. *Quibus scientiâ & voluntate complectitur DEUS possibilia.*

Respondetur hisce thesibus.

1.

SCit DEUS quid creatura in hoc vel illo rerum ordine possit facere, scientiâ simplicis intelligentiæ, in speculo Omnipotentiæ. sed quod DEUS sit finem consequuturus per hæc, non illa media, & hæ causæ sint hos non illos effectus productaræ, non videt nisi scientiâ liberâ; idque in præstrati decreti sui lumine. *Quomodo DEUS scit possibilia.*

Scientia Dei practica & speculativa, quomodo à nostra scientia differat.

2. Practicâ suâ scientiâ format DEUS possibilium & futurorum idæas.

3. Speculativa illa scientia quæ objectum præsupponit, non est prima DEI scientia formatrix idæarum, sed supponit formatas.

4. Nihil intelligibile propriè prævenit intellectum DEI, neque offert sese intellectui DEI, tanquam objectum ipso naturâ prius. 1. Quia intellectus creati imperfectio est venari ab objecto extra se causam suæ intellectionis. 2. Intellectus infinitus vel facit vel permissive vult fieri: finitus vero factum præsupponit objectum suum. Nulla ergo est in DEO scientia pure speculativa sejuncta ab omni praxi. *Hieronym.* in *Ier.* ad *c.* 26. *Origen. li.* 7. in *Epist.* ad *Rom. c.* 8. *v.* 30. *August. de Trinit. l.* 15. *c.* 13. *Anselm. de concord. præsci. & prædesti. c.* 1.

Duplicia possibilia.

Duplicia videntur possibilia,, quædam DEUS mandat ab hominibus fieri, quæ nunquam fieri decrevit, ut obedientiam reproborum, illa vult voluntate approbationis non mere practicâ, quia talia non efficit, neque speculativâ, quia media moralia apta procurationi talis obedientiæ adhibet, Ergo mixta est volunras approbationis circa talia. Alia sunt possibilia non quidem moralia, sed quæ DEUS solus facere potest, ut creare plures mundos, alioſque choros Angelorum, & specierum infinitarum, O fœcundissimnm Omnipotentiæ fœturam, O profunditatem sine fundo, sine termino. Necesse est in DEO ideæ omnium possibilium sint, quæ ad intra in DEO dant numerum infinitum possibilium ipsi coæternorum. An sint coæternę numeroque infinitæ non repugnantię objectivæ extra DEUM quis audeat affirmare? circa possibilia hæc non moralia habet DEUS, simplicis complacentiæ approbativam voluntatem.

Duplex Dei voluntas approbativa.

Suarezius Metaphysi. dis. 30 sec. 16. uu. 42. Cajetan. in Thomam 1. par. q. 34. art. 3.

6. DEUS amando omnipotentiam suam necessariò coadamat possibilia infinita ad intra, sed an recte *Suarez* dicat, *DEVM non posse esse omnipotentem, quin creaturæ sint possibiles*, non temere affirmarem, nisi sermo sit de possibilibus ad intra: Recte forte *Cajetanus* ait (quem immerito refutat *Suarez*) *DEVM necessario amare creaturas possibiles, ut sint in ipso DEO, non ut sint in seipsis.*

Quatenus Deus necessario amet possibilia.

7. Quippe licet creaturæ creabiles nunquam creandæ terminativè à DEO sciantur, at quomodo DEUS velit aut amet tot non entia nunquam futura ut concatenata ad extra cum omnipotentiâ ad intra, alii videant, mihi durum videtur, nisi quod DEUS positivo decreto,

decreto statuit, de eorum non futuritione: Est enim voluntas vel negativa, in creaturis rationalibus voluntas qua negativè nolunt possibilia, & individualia multa ipsis ignota, quia neque volendi neque nolendi actus circa illa exercent. At in DEO nulla est talis voluntas, sed actualissima voluntas, quia providentia non esset actuosa sed otiosa & supina, si DEUS multa non futura negativè nollet aut si non positivè vellet eorum non futuritiones, sicut & aliorum futuritiones.

QUÆSTIO VIII. *An DEUS necessitate naturæ an liberè providentiam in omnia exerceat?*

LACTANTII illud. *Utique providens est, ut DEUS, nec aliter potest divinitas ei attribui, nisi & præterita teneat, & præsentia sciat, & futura provideat. Et aliorum, DEUS est, ergo providentia est.* Ad examen sine piaculo vocare licet, non enim pari necessitate naturæ DEUS *est*, & *providentia* DEI *est*. 1. Quia DEUS *est* necessitate absolutâ, & DEUM *non esse* contradictionem implicat. At DEI providentia in res ad extra, non est necessitate absolutâ, sicut nec creatio est ullâ naturæ necessitate: quia si DEUS non esset, esset DEUS non DEUS: at si nulla providentia exercita fuisset ad extra in res creatas, dubium mihi est an DEUS esset DEUS simul & non-DEUS. Saltem ab æterno non fuit DEUS non DEUS. At ab æterno beatus fuisset, si nec creatio nec providentia actualis fuisset. *Providentia in res ad extra, est ex hypothesi* (inquies) *quod creatio omnium rerum sit, necessitate naturæ DEUS providentiam in supposita res creatas exerat.* Certè DEUS peccaret in naturam suam, si decrevisset creare, & vel non curaret vel nesciret creata: cognitio autem DEI circa res creatas est actus providentiæ, & sic (inquam ego) necessitate naturæ mundum crearet, & DEUS non esset, nisi mundum creasset, quia ex hypothesi quod decreverit creare mundum, non potest non creare mundum, nisi mutabilis esset, & certè mutabilis DEUS non est DEUS. Potest ne ergo hypothetica necessitas in DEO fieri necessitas absoluta, & necessitas (ut vocant) naturæ? Videtur ergo DEUM πῶς & aliquo sensu necessitate naturæ agere in res ad extra, eo quod natura DEI ipsum obliget

Lactantius de irâ DEI cap 9.

Hypothetica in DEO necessitas absoluta fieri potest.

get & obstringat ad operandum ad extra immutabiliter, omniscienter, & naturæ suæ congruenter, ex hypothesi quod ageret ad extra. At simplicitet non agit ad extra necessitate naturæ, sed secundum quid; necessitas ergo naturæ alio modo longè eminentiore DEO quam creaturis convenit. Nam necessitas naturæ duplex DEO convenit, alia quoad naturam rei prædicatæ & substantiam actus, sic necessitate naturæ DEUS est justus, bonus, misericors, immensus, Omniporens, & necessitate naturæ seipsum amat, sic DEUS necessitate naturæ neque mundum creat, neque mundum gubernat suâ providentiâ, quia tales actus non insunt DEO essentialiter, sed liberè. Alia verò est naturæ necessitas in DEO non quoad naturam rei, neque quoad modum agendi, ut ex hypothesi quod DEUS mundum decrevit, & quod mundus sit creatus, DEUS necessitate naturæ suæ immutabilis, & sapientiæ infinitæ mundum creat, & creato providet. Peccaret enim in suam naturam immutabilem & sapientiam; ac proinde DEUS non esset, si non crearet & gubernaret, quæ creare & gubernare simul decreverit. Sed hæc posterior necessitas cum libertate DEI optimè convenit, quia ex hypothesi, quod DEUS agat, necesse est agat convenienter suæ naturæ immutabili, sapienti, justæ, bonæ, omnisciæ. Id *Lactantius* voluit, idem & *Nyssenus*. *Quia sapiens & bonus sapienter & optimè eorum quæ sunt, providentiam gerit. Nam si quidem non providet non est bonus: si verò non benè, minimè sapiens est.* Longè ergo falluntur, qui docent DEUM non posse punire peccatum, non posse non, suâ lege, omne bonum jubere, omne malum vetare. Inde infert *Camero* & alii, necessitate ergo naturæ, priore sensu, & *consimili prorsus affectu quo DEVS seipsum amat*, ipsum punire peccatum, & omne bonum lege suâ jubere, & malum vetare, quum, reverâ, in rigore loquendi, DEUS non desineret esse DEUS si non puniret, aut nihil ad extra operaretur, sed tantum non esset DEUS, necessitate hypothetica, si non hoc modo operaretur, cum possit simpliciter non operari, & omnino libere operatur sic.

Necessitas naturæ in Deo duplex.

Quæstio

Quæstio IX. *An DEI liberum beneplacitum sit causa essentiarum, graduum essentiæ, & formarum specificatarum, in naturalibus, moralibus, supernaturalibus, & artefactis.*

QUoniam notum est me in affirmativam partem quæstionis, multis retro annis, ab Adolescentiâ propensum fuisse, disquirendum hic an sententiam piorum & eruditorum (non intelligo *Jesuitas*) meam facere potero, pios enim ægerrimè errare ex charitate judico, hæc præmitto.

1. *Aristoteles Metap. li. 8. c. 6.* ἢ τὸ δυνάμει ἢ τὸ ἐνεργείᾳ ἐν πᾶσι. *Averroi* tribuitur *actum & potentiam non facere multitudinem.* Et philosophia Regii Prophetæ est eadem *Psalmo 139.* לֹא נִבְחַר עַצְמִי מִמֶּךָּ אֲשֶׁר עָשִׂיתִי בַסֵּתֶר רֻקַּמְתִּי בְּתַחְתִּיּוֹת אָרֶץ

Quod est in potentia, & quod est in actu aliquo modo idem, secundum Scripturas.

LXX. οὐκ ἐκρύβη τὸ ὀστοῦν, &c.
Chald. Paraphras. לָא אִתְכְּמִי גַרְמִי מִנָּךְ דְּאִתְעֲבַדְתָּ בְּסִתְרָא אִשְׁתַּזְרַת בְּבֵרְיְסָא דְּאִמִּי:

Non est abscondita substantia mea à te, quia factus sum in abscondito, formatus sum in utero matris meæ. 16. *Corpus meum viderunt oculi tui, & in libro memoriæ tuæ omnes dies scripti sunt,* &c. *Syriaca* versio. *Neque te latent ossa mea & discendi in imas partes terræ. Arabica* versio. *Non est abstrusum tibi os meum, quod creasti occultum, & persona mea in locis profunditatis terræ fuit.* Hinc ex omnibus hisce versionibus, fuit, *vox*, aliquo modo, idem os, idem corpus *Davidis* potentiâ, & idem actu: idem *David* numero quem DEUS nondum natum, nondum esse habentem vidit, & *David* natus. Eadem persona *Davidis* potentiâ creanda, & actu creata, ut *Arabes* rectè innuunt.

1. Omnis ergo creata obedientia, non furari, bonum facere, credere, orare, ita Cœlum, Sol, homo, arbor, prius sunt in activâ potentiâ DEI, quam sunt actu creata extra nihil.

2. Primum efficiens est id omne actu quod potentiâ est. Omne enim possibile prius est eo quod est in actu, quia potest existere per alienam potentiam; DEUS autem non mendicat alienam potentiam, ideoque DEUS non est prius potens existere, quam actu exi-

Actus est potentia prior.

ſtat. Omne genitum, omne creatum, prius eſt in potentiâ, quam actu generetur aut creetur: at nihil eſt gignens, nihil creans, niſi ſit actu ſimpliciter, Ergo prior eſt actus quam potentia. At in creatis priora ſunt poſſibilia & non entia actu, quam entia actu creata. Non entia verò non creata ab æterno fuerunt, & quaſi DEO coæterna, ſed DEUS qui eſt ens ſimpliciter, & in cujus potentiâ entia omnia ſunt poſſibilia, id eſt, actu non entia, ſimpliciter prior eſt non entibus illis, quia non entia ſunt poſſibilia nihila in primo ente, à cujus Omnipotentiâ ſoboleſcunt, quaſi, poſſibilia omnia, quæ ut non entium tenebris per poſitivum decretum de ipſis nondum creandis concludebantur; ita DEO poſteriora in actus entitativos tales & tales in exordio temporis germinabant, *Gen.* 1. 2. Poſitiva ergo DEI voluntas prior eſt omnibus entibus & non entibus creatis uti figulus qui hæc vaſa fingere hâc horâ, & ante illam horam poſitivè non fingere decrevit, prior eſt, quam omnia illa lutea opera.

Res materialiter creabilis & res creata diſtinguuntur.

3. Rectè *Ariſtoteles* ait, quod eſt in potentia eſſe unum, non ſimpliciter, ſed πῶς, ſecundum quid, cum eo quod eſt in actu; quia fingere numericam entitatem in ente quod eſt in potentia, cum ente in actu, eſt non enti tribuere, unum, diverſum, quod abſurdum. Hinc alia eſt conſideratio *hominis* qui materialiter & in potentia eſt *homo*, ſeu hominis incomplexè ſumpti & qui identificandus eſt cum omnibus gradibus eſſentiæ, cum animali, vivente, corpore, ſubſtantia ente & alia longe conſideratio eſt *hominis* formaliter conſtituti in eſſe formali *hominis*, prout *homo* logicè reſolvitur in ſubjectum & attributa dicendo (*homo eſt animal*) (*homo eſt vivens, ſubſtantia, corpus*) vel conſideratur *homo*, *David* ut libere per liberam DEI efficientiam fingendus & coagmentandus eſt in utero matris, antequam eſſet, vel corpus haberet, ut cito ex *Pſalmo* 139 15, 16. vel ut *David* eſt jam vivens & animal rationale, Pſalmum illum divinum componens. Vel ſic *homo David* refertur vel ad cauſam efficientem, DEUM, antequam fiat, vel ad ſuas partes phyſicas aut metaphyſicas, ſeu ad cauſas internas, ut Cathedra nondum formata ad artificem libere efficientem refertur antequam fabrefiat, vel refertur ad partes lapideas, ligneas ex quibus conſtat: & eſt eadem diſtinctio in ente naturali, morali, & artefacto: Nam amor creaturæ rationalis erga primum amabile eſt ens creatum, refertur ergo ad *Deum* qui hunc actum tam laudabilis obedientiæ effinxit, & ad cauſas

tas internè & formaliter constitutivas illius obedientiæ: hanc distinctionem si ens in potentia & ens in actu dari fateantur, fautores contrariæ opinionis agnoscant, necesse est, unde vera sunt hæc duo effata.

DEVS libere condidit creaturam illam materialiter sumptam, animal rationale.

1. *DEVS per liberam efficientiam creativam condidit creaturam illam hominem, qui futurus est animal rationale.*

2. Et ex hypothesi, *quod DEVS jam decreverit creare hominem, qui est actu & formaliter homo, non potuit non creare animal rationale.* Unde & hæc sunt vera. 1. *Homo relatus ad DEVM efficientem & libereimè creantem fit liberrimè homo, & libero eodem actu fit & creatur liberrimè animal vivens, corpus, at homo relatus ad partes internas metaphysicas, genus nempe & differentiam non fit, neq; est liberè animal rationale, sed necessitate naturæ & essentialiter est animal rationale, quia repugnat esse hominem & non esse animal rationale: nec potest DEVS creare hominem & non creare animal rationale; quia creando idem non potest non creare idem. Animal autem rationale est idem cum homine. At ens non hæc distinctio obtineat in omni ente creato, ac proinde in rectitudine morali creatâ, nulla ratio mihi apparet.*

2. *Vel sic creatura illa quæ est in potentiâ tantum, vel potius materialiter erit homo, in relatione ad primum efficientem, non necessitate naturæ est animal rationale, sed liberè.* Idem dico de omni creatâ rectitudine morali, est enim vel creata vel increata rectitudo, vel fortè mixta, ut dictum. Idem dicendum de artefactis.

3. Vel sic. *Creatura quæ actu & formaliter est homo necessitate naturæ, nempe, partium internarum physicè vel metaphysicè consideratarum, non liberè, est animal rationale. Sic actus mactandi gnatum in Abrahamo, qui est materialiter tantum naticidium, in relatione ad DEVM jubentem, non est necessariò, sed liberè naticidium vetitum.* Vide *Gen. 22. 1. Et actus mactandi gnatos qui vetatur à DEO, Jer. 7, 30, 31. Psal. 106. 37, 38. Ratione internarum causarum est nefarium & horrendum naticidium, idque naturæ necessitate.*

Necesse est demonstremus veritatem primi effati.

I.

Liberum est Deo creare hominem, nam ex liberâ affluentiâ bonitatis suæ, omnia condidit. Ergo poterat non creasse. Et si negari non debet liberum exercitium Dei in creatione entis,

neque in creatione entis tali & tanto gradu essentialis perfectionis, si enim loquendum de homine materialiter & in potentiâ ut est ens physicum, non necessitate naturæ DEUS aptavit ei corpus elementare, & animam rationalem, nempe, ut humilitatem doceret, tale corpus concinnavit? At & humilitatem & gratitudinem spirituale æquè docuisset, si corpus supraelementare & quintæ, (ut vocant) essentiæ, una cum spiritu excellentiore quam est in *Angelo Gabriele*, largitus fuisset. Nam 1 *Cor.* 15. 38. *DEVS dedit corpus, ut voluit* (quæ hic naturæ necessitas?) *& singulis seminibus suum corpus.* Item. *alia caro hominum, alia pecorum, —— alia gloria cœlestium, alia terrestrium, alia solis, alia lunæ gloria.* v. 39. 4. Nulla necessitas sed effusa bonitas & libertas, ad hanc varietatem impellit *Creatorem.* Cum verò genus & differentia specifica hominis metaphysicis partibus constantis eidem DEI libertati, non naturæ necessitati, non minus quam partes essentiales physicæ tribuantur, hoc obtineat in omnibus creatis & in actibus liberæ obedientiæ necesse est, fateor hominem constantem aliâ supraelementari materiâ & formâ physicâ differre specie ab homine in hoc rerum ordine creato, sed hoc nobis favet, quia loquimur jam de homine qui materialiter & in potentiâ, non actu habet talem essentiam.

DEVS partes physicas, cuilibet seminicorpus ut libitum est ei, dat ergo etiam homini & omnibus rebus in potentia, talem naturam & essentiam indulget, pro sua libera voluntate.

2. Argumentor à modo creationis, Creatio *Adami* est essentialiter actio DEI libera & qui ex profusa sua bonitate erga creaturas donum gratuitum, quod negare potuit dedit & DEUS uno actu libero totum ens, & totum entis creavit, imo eodem libero actu hominem, animal, viventem, corpus, substantiam, ens, creavit; non enim aliâ actione liberâ creandi, hominem, aliâ animal, aliâ corpus, aliâ viventem condidit, ita ut ad multiplicationem attributorum essentialium multiplicandi sint actus creandi, at vero DEUS libero actu hominem, non necessitate naturæ, animal, viventem corpus creavit, ac proinde creaturam, quæ potentiâ & materialiter est homo, & omnes illos gradus essentiales liberâ efficientiâ concatenavit.

Eadem actione DEI libera creandi DEVS creavit Adamum, hominem animal, &c.

3. Arguo à libertate figuli terreni. Quæcunque libertas opifici terreno datur, summo opifici rerum in æternum celebrando Creatori tribuenda est & *δοτεζεσία* longè major *Jer.* 18. 6. *Rom.* 9. 20, 21. atqui intervenit liberum exercitium terreni opificis, regnatque libertas in rerum artefactarum essentiis formandis, in materia, forma,

ma, addo, in ſtatura, figurâ, decore, dedecore, ut loquitur Spiritus Sanctus *Rom.* 9. Ergo DEUS gaudebit majore libertate in conditura & opificio rei quæ erit homo, uti animal rationale ſit ipſius eſſentia, & proceritas & ſtatura (ut ſic loquar) metaphyſica & eſſentiali. Si decrevit opifex ſtatuam marmoream fingere non poteſt ligneam, ſine retractione conſilii ſui, formare, nam marmorea ſtatua eſſe formale ſeu naturam juxta ſuam idæam habet in mente artificis, at potuit ſtatuam potentialem (date veniam) quæ eſt materialiter ſtatua, ſimpliciter finxiſſe marmoream, lignea-am, ferream, argenteam. Sic DEUS ex hypotheſi quod *Solomonem* tot ornamentis & virtutibus decoratum, & præclaris dotibus animi eminentem creare ſtatuit, non poteſt fortitudo *Iſraelis*, in quam pœnitentia non cadit, non ſic creare *Solomonem*, at creaturam quæ futura eſſet *Solomon*, DEUS libere ſic creavit, non lapidem, non aſinum, non infimum de plebe hominem. Hoc forte vidit *Oviedo quia homo* (inquit) *ex ſe & per ſua prædicata eſſentialia eſt rationalis, DEVS eſt cauſa efficiens hominis exiſtentis qui ſit animal rationale: at non poteſt eſſe cauſa hominis exiſtentis, qui ſit equus.*

Supremi Opificis libertas ſupremæ probat eum rem ex quavis eſſentia conſtantem libere creare.

Oviedo in curſ. Metaphyſ. contrav. 10. punc. 5. ſec. 1. num. 11.

4. Arguo à liberali DEI bonitate, gratiæ DEI ejuſque liberæ bonitati & indulgentiæ acceptum ferendum, non materiæ, non naturæ neceſſitati, quod DEUS homines creaturas rationales ad DEUM longè eminentiore modo glorificandum, condiderit, quam vermes, & inſtinctu naturæ homines agnoſcunt DEUM liberè ſeſe rationales, non fungos, non lapides, non ſtolida animalia creaſſe, cum tamen propter DEUM ut finem ultimum, ab eo ut à libero efficiente, omnia ſint creata. *Apoc.* 4. 11. *Rom.* 1. 36, 37. *Prov.* 16. 14. Neceſſe eſt ergo, uti DEUS liberè ſtatuit de ſine ejuſque menſurâ, & perfectione, ita liberè ſtatuat de mediis eorumque menſurâ & perfectione.

Gratiæ liberæ Dei, non naturæ aut materiæ neceſſitati acceptum ferendum quod DEVS creaturas ad ipſum tali & non alio modo, glorificandum condiderit.

5. Videamus modum quo entia extra DEUM, in ipſum gloriosiſſimum agentem agant. Nihil poſſibile, nihil impoſſibile ipſum neceſſitat, aut ad tale opus formandum concludit, imò nihil extra DEUM, ipſius ſapientiam aut infinitam libertatem, reſtringit, ponamus hominem creari ab eo qui omnia bona condidit (והנה טוב מאד *Gen.* 1. 31.) Gradibus eſſentialis perfectionis ut (4) vel potuit DEUS cum variatione ſpeciei condidiſſe ut (5) vel (3) vel aliquid impediit, ſi potuit, habetur inſtitutum, ſi aliquid impediit, tum hominis natura extra DEUM impediit, at ſic impoſſibile

Res talis eſſentiæ Deum adorandum non neceſſitat.

fuisset DEUM alium mundum, vel perfectiorem, vel imperfectiorem, quam qui nunc est, creasse, quia mundus ad extra atque adeo numerus graduum perfectionis essentialis, ac proinde numerus determinatus specierum, qui nunc, in hoc rerum ordine, obtinet, non major, non minor, necessitassent DEUM ad ea sola, non plura, non præstantiora, non pauciora, non minus præstantia creanda, quam quæ actu creata sunt. At vero bonitas, ordo, multitudo, essentialis perfectio rerum sic essent antecedenter ad DEI liberam voluntatem, quod absurdum, nam hæc entia, quæ supponuntur DEUM ad creandum necessitare & concludere ut priora ipso sunt increata vel creata, si increata: sunt DEUS, quod blasphemum, si creata; Ergo sunt entia per participationem, ergo liberrimè creata, ergo non poterant tales effectus, cum sint entia creata, esse causa cur DEUS ipsos libere condiderit, quia sic ut causæ agerent, & causandi actus in liberam voluntatem primæ causæ exercerent. Deinde res non necessitate naturæ, e statu possibilitatis ad statum futuritionis transeunt, ergo DEI voluntate transeunt ad statum futuritionis tantæ perfectionis, ut hæc possibilis creatura sit *Sol*, illa *vermis*, hæc *homo*, illa *Angelus*, hæc *asinus*, illa piscis; item cur hæ creaturæ his dotibus, illæ aliis virtutibus emineant, non potest creatis rebus imputari, aut necessitati materiæ, impiè enim *Pontificii* & *Arminiani* concupiscentiam *Adami* imputant necessitati naturæ, quo DEUS author peccati statuitur, si enim opificium naturæ necessitate malum est, vitio datur opifici summo qui è nihilo naturam condidit, & obedientia opposita concupiscentiæ naturæ necessitati, non dono gratuito *Creatoris* imputanda foret, & hoc etiam absurdum.

Transitum voco improprie, quia non est motus rerum realium aut transmigratio realis sed hoc dico, quoniam aliud est rem esse possibilem ab æterno, nempe, ab omnipotentia, aliud esse futuram, nempe, a libera voluntate Dei.

6. Ab idæis arguo, DEUS idæas omnium rerum conditarum quia ita voluit, intra se in essentiâ suâ, in creaturis infinities possibilibus, repræsentabili, efformavit nec à rebus idæas & practicas rerum imagines & formas mendicat, sed res creatæ sunt, quia tales prius erant ideæ in DEO, & ideæ non tales sunt, quia prius ita erant res ad extra, sic res prius essent possibiles & futuræ; extra DEUM, & antecedenter ad DEUM, sed tales sunt res ad extra quoad gradus essentialis bonitatis, naturas, perfectiones, virtutes, dotes, ornamenta, quales DEUS earum idæas libere formavit quia fatetur *Fonseca* Adversarius, *omnia* fieri juxta idæas in mente DEI, *& esse in virtute*

Idæ rerum efformatæ sunt in mente Dei juxta liberum ipsius beneplacitum, ergo & essentiæ rerum etiam

tute primi efficientis (inquit) *exemplantis seu præscribentis cuiq; rei propriam naturam & rationem.* Quod autem ideæ sint formatæ ad præscriptum liberi beneplaciti, Patet, 1. Quia non à rebus ad extra formatæ sunt ideæ, ut dictum, quia ideæ sunt æternæ & priores rebus vel potentiâ vel actu existentibus. Nec à DEI natura, aut juxta naturam DEI formatæ sunt ideæ antecedenter ad liberum DEI beneplacitum, quia cum necesse sit res conditæ sint conformes suis ideis, si ideæ sint conformes naturæ DEI, omnia sic conderentur, necessitate naturæ DEI, & non juxta liberum DEI præscriptum, sed ad similitudinem naturæ divinæ naturaliter effundentis rerum æternas ideas, & antecedenter ad liberum DEI præscriptum, quo pacto omnes rerum essentiæ omnesque gradus perfectionum essentialium fecutiissent emanatione naturali, non liberâ efficientiâ creativâ, ex essentiâ DEI: at non poterant tunc rerum essentiæ non fuisse DEO coæternæ, nam nulla est ratio cur in hoc rerum exordii signo cœperint esse, potius quam in alio, ut si Sol fuisset æternus, coæterna fuisset illuminatio, at necesse est sic astruatur mundi æternitas.

Quæ sunt necessariæ et connexionis essentialis, ut hominem esse animal, sub decreto Dei non cadunt.

NEque necesse est demonstremus veritatem alterius effati, quo enim decreto DEUS statuit creare hominem formaliter constitutum, eodem etiam & animal rationale, neque DEUS propriè decrevit hominem esse animal, quia objectum decreti divini est quod ex se futurum vel non futurum est, vel quod non tam necessariò futurum, quin non repugnet non fieri, ut decrevit illuminationem Solis crastinam, combustionem ab igne factam, Æstatis, autumni successiones decreto sancivit, ea autem non sunt tam necessaria, quin DEO quasi contingentia sunt, & possunt non esse, at DEUS non potest decernere ut homo sit animal, quia contradictionem involvit hominem non esse animal.

Deus non potest mandare ut Homines & Angeli crederent Deum non esse, aut contradictoria esse simul vera.

Imò non potest DEUS mandare ut homines & Angeli credant *DEVM non esse, DEVM non esse unum, non esse infinitum, non misericordem*, &c. 1. Quia contradictoria esse simul vera non potest DEUS jubere ut nos credamus, quia (*idem non esse idem*) resolvitur in hoc (*primum & infinitum idem est idem*) sicut negativum principium in creatis, resolvitur in affirmativum in primo ente. Quale est hoc (*DEVS est*) (*primus idem est idem*) propter illam suavis-

simam unitatem & harmoniam in DEO, indecens est DEUM posse velle adeoque posse imperare ut homines credant verum esse, quod infinitæ primæ veritati (*DEVS est*) (*DEVS est unus*) (*DEVS est infinitus*) repugnat: at repugnat DEUM posse jubere aut approbare ut nos tale quid credamus, quia objectum voluntatis approbativæ DEI est bonum morale, quod DEUS approbat ut bonum, & quod DEUS mandat id bonum, est & verum, at nos credere (*DEVM non esse*) (*non esse infinitum*) (*Diabolum esse DEUM*) est intrinsecè & ex necessitate naturæ impium, falsum, & contumeliosum in primam veritatem & intrinsece ei oppositum. (2) DEUS creando naturam Angelicam, humanam, eodem actu concreavit lationem intellectus in primum & amœnissimum fontale verum, & in voluntatis & affectuum purissimum oceanum primi amabilis, & hoc modo credo liberum DEI beneplacitum esse primam regulam & causam creatæ rectitudinis moralis, non itaque lynceo & subtili *Gul. Occami* quæstionem movemus. An DEUS *possit sui amorem vetare, suiq; odium imperare*, quia hoc est quærere, an ex hypothesi, quod DEUS *sui amorem imperarit*, odiumque sui vetuerit, in eo casu posset vetare sui amorem & odium sui imperare, quia DEUS creando intellectum Angelicum & voluntates creaturæ rationalis, eodem actu creativo concreavit habituale & intrinsecum principium & mandatum non credendi contradictoria esse simul vera, & mandatum de non odio habendo suavissimo & purissimo primi amabilis fonte. Et licet manducationem arboris Scientiæ vetare, non sit coinsculptum mandatum animæ rationali, quale est illud de diligendo DEO & fide habendâ primę veritati, utrumque tamen hoc commune habet, quod ex hypothesi quod DEUS imperarit sui amorem, vetuerit odium non potest non imperare, aut contrariù vetare; nisi insuam immutabilem naturam delinquerit, quod est impossibile. Neque sequitur, si DEUS semel condat creaturam rationalem, liberum proprie DEO esse, aut *DEVM velle posse præcipere aut non præcipere ut homo DEVM non cognoscat, aut nullam habeat aut retineat Theologiam, Syntereſin, & conscientiam naturalem, aut DEI veritatem & causam in injustitia detineat, aut condemnet.* Quia creatio essentialiter includit coinsculptionem legis naturalis, eodem actu quo creatur homo, creatur & creatura *habens*, hoc ipso quod sit rationale oppositum,

Syntereſin

synteresin & conscientiam naturalem, & sic ex suppositâ existentiâ hominis, sequeretur DEUM posse velle præcipere *ut homo non retineat conscientiam naturalem*, postquam actu creandi præceperit ut *retineret synteresin & conscientiam naturalem*, quod non est dicendum. Imo ex naturali dominio DEI quod obtineat in creaturas rationales existentes, resultat naturalis subjectio creaturæ ad *Creatorem* propter relationem servorum ad dominum, creaturarum ad *Creatorem*.

Si quis respondeat, *Deum igitur ex meâ sententiâ potuisse condidisse creaturam rationalem aliam specie & naturâ distinctam à creaturâ rationali, quæ, in hoc rerum ordine, est, & eodem actu potuisse concreasse aliud contrarium principium & mandatum de prohibendo sui amore, & mandando sui odio, & de credendo se non esse DEVM verum, sed Diabolum esse verum DEVM.* Respondeo 1. Nę ille nimis angustis miseliæ rationculæ suæ cancellis non circumscribendum Sanctum Israelis coarctat, qui neget DEUM posse creare creaturas rationales in infinitum specie distinctas, ab iis, quæ nunc, in hoc rerum ordine, obtinent; aut qui inficietur eum posse infinitas creaturas rationales, excellentiâ essentiali hominibus & Angelis anteponendas, vel etiam postponendas condere. Sed neque sequitur ex meâ sententiâ posse DEUM eodem actu creativo concreasse creaturæ rationali principium credendi contradictoria, nempe, verum DEUM esse, & non esse verum DEUM. Credo DEUM hoc non posse imperare neque mandatum tale posse DEUM concreare, quia mihi videtur iste intellectus, si à DEO crearetur cum tali innato mandato & principio, & rationalis & non rationalis esse, ac proinde objectum simpliciter increabile, & sic non contentum in latitudine divinæ potentiæ ad intra. 2. Si talis creatura rationalis specie & naturâ ab hominibus & Angelis distincta crearetur cum tali principio concreato de odio habendo DEO, illud odium DEI, non esset odium DEI quod nunc vetatur tanquam malum intrinsecum creaturæ rationali quæ nunc est, neque fortasse peccatum, sed pura aversio vel innocens non-latio talis appetitus rationalis in DEUM, qualis est non-latio Solis ab ortu ad occasum seu motus, per decem gradus, retrogradus, qui motus licet contrarius motui decreto à DEO Soli, & in suis progressibus localibus naturalibus posito, non est tamen in Sole culpabilis motus; si DEUS concrearet principium

Si Deus crearet creaturam rationalem cum principio concreato odii de odio habendo primo amabili ea creatura specie distincta esset ab hac quæ nunc est & illud odium Dei non esset odium DEI quod nunc vetatur creaturæ rationali, sed simplex non-latio appetitus in primum amabile.

pium aut habituale mandatum, cujus motus per se esset peccatum in hoc rerum ordine, esset author peccati, quod est blasphemum, sed si possibilis esset concreatio talis principii, tale esset principium bonum & sanctum, ejusque naturalis motus bonus juxta, & sanctus, & non odium DEI neque peccatum. Potest etiam DEUS & facere vel liberè non facere quod creatura rationalis quæ nunc est, non potest citra reatum peccati, facere vel non facere, eò quod DEUS sit supra legem, nos legi subjiciamur: nam DEUS contribuendo influxum ad actum entitativum peccati, non est concausa peccati: peccaret autem *Homo*, si hoc faceret. DEUS non tenetur opponere physicum impedimentum, *Ahitophelî*, & proditori *Judæ* sibi laqueo vitam finientibus: at fratres & proximi scientes ipsos tale crimen nefandæ cædis moliri, non morale tantum, sed & physicum & violentum opponere tenentur, impedimentum. At verò quod ullus intellectus sit creabilis qui jubeatur à DEO credere DEUM non esse DEUM, mihi est imperceptibile, quia nec DEUS ipse velle nec credere, nec alios potest jubere ut credant, quod contrarium est principio primo increato. Nempe (*Deus est Deus*) (*idem increatum est idem.*)

Subjectio ad legem est non subjectio rationem peccati necessæ.

Instare *quis potest.* Licet (*Deum non esse*) (*Deum non esse infinitum*) (*Deum non esse Omnipotentem*) *contradictoria sint, & Deus neq; velle talia, neq; precipere potest, attamen potest Deus creaturæ præcipere, ut credat se non esse, quia Dei naturæ nihil repugnans est credere Deum non esse, possibile est à Deo credere Deum non esse, non esse infinitum, at si naturæ Dei repugnaret, neq; Deus permitteret, ut existeret talis actus negans Deum. Nam nihil Dei libero decreto contrarium existere potest, multo magis impossibile est actum aliquem existere Dei naturæ repugnantem. Non ergo contradictionem ex parte naturæ divinæ involvit Deum imperare sui negationem, vel ut creatura credat Deum non esse.* Respo. Me meam tenuitatem & ignorantiam fateri necesse, post collationem verò cum viris fœcundissimi ingenii in Academiâ hâc inclyta, dicendum puto quòd sit quædam concentia consequens DEI naturam & naturalem agendi modum, & sic quanquam actus credendi *DEVM non esse DEVM, non esse infinitum*, aut fortè, odio habendi primum amabile, non repugnant DEI naturæ, tales enim actus naturæ DEI repugnantes existere, arbitror prorsus incompossibile esse cum natura DEI ejusque existentiâ

Quædam sunt bona antecedenter ad liberum beneplacitum DEI, propter concentum DEI.

stentiâ beatissimâ, sed neque posse DEUM spectando moralem condecentiam agendi, præcipere, vel non præcipere tales horridos actus, sed propter infinitam condecentiam & congruitatem, & excellentissimum agendi, imperandi, vetandique in *Deo* modum, non posse *Deum* imperare ut credat creatura, (*Deum non esse*) (*Diabolum esse Deum*) (*Deum non esse Omnipotentem*) eo quod quicquid DEUS imperet, hoc ipso quod imperet vel est bonum morale ab actu imperandi, vel antecedenter ad eum actum est bonum ex condecentia, ut patrem mactare gnatum, bonum est ab actu imperandi in DEO qui jussit *Abrahamum* mactare *Isaacum*, vel bonum antecedenter ad actum imperandi ex modo congruitatis & condecentiæ divinæ agendi ratione in omnibus actionibus suis, adeo ut non posset convenienter tali condecentiæ DEUS imperare creaturæ, ut credat *Creatorem non esse DEVM, Diabolum esse DEO parem vel superiorem*, tales enim actus, licet non repugnent naturæ DEI, ut calidum frigido, essent enim sic destructivi ipsius naturæ, quod existere est prorsus & absolutè impossibile, attamen sunt respectu modi agendi in DEO, dedecorosi & incongrui divinæ naturæ: neque decens est ut DEUS imperet aliquid fieri, quod evertit primum principium illud (*Deus est*) & (*impossibile est primum ens non esse, & non esse*) imo mutabilis esset si imperaret credere contradictoria: quia simul vellet esse quod imperat, & nollet esse (de apptobativâ loquor voluntate) quod falsum & contradictorium est.

Si verò aliquis objiciat ad hunc modum, *Cum actus credendi Deum esse Deum, infinitum, primum amabile, creaturam non esse Deum, sit actus creatus, licet objectum illius actus sit increatum, Ergo potest Deus cum actum creaturæ vetare, & vel necessitate naturæ Deus imperat creaturæ ut credat se esse Deum, se esse primum amabile, & sic tales actus sunt antecedenter ad omne liberum Dei beneplacitum boni: & talè beneplacitum sic non erit causa talis actus, quia Deus necessitate naturæ eum actum creaturæ imperat: si verò liberè & nullâ necessitate naturæ Deus imperat creaturæ ut credat Deum esse Deum, potest vetare & non imperare ut id credat, & sicut liberè prohibet manducare de arbore scientiæ, potest etiam mandare ut Adamus de solâ illâ arbore manducet, non de aliis: Sic Deus liberè imperat creaturæ ut credat Deum esse Deum, potest etiam liberè imperare contradictorium, nempe, ut credat Deum non esse Deum, non esse infinitum, non esse verace, nam quicquid Deus creaturæ liberè vult & jubet, ejus etiam contradictorium*

ctorium liberè velle & jubere potest, ut inductione patet, Deus liberè creat mundum & mundum existere vult, Ergo potest velle mundum non existere, nam volitionis libera Dei, & decreti objectum, est vel hoc vel non hoc, & quod sub disjunctione verum est.

DEUS non potest imperare nisi quod bonum est & creaturæ officium

Resp. Est falsissimum, DEUM posse jubere creaturam credere DEUM non esse, vel liberè vel necessitate naturæ, quia quod repugnat DEUM velle voluntate approbante, repugnat DEUM id jubere. Quicquid enim Deus jubet, id vult, ut bonum morale & debitum creaturæ officium; at verò repugnat DEUM posse velle ut creatura credat se infinitum bonum non esse, nam quia DEUS necessitate naturæ & est & vult sese esse, non potest DEUS non esse, sine impiâ & execrandâ contradictione, si posset velle ut creatura crederet se non esse, posset velle ut creatura abhominandum Atheismi & Gygantææ infidelitatis crimen committeret. Hoc autem DEUM velle ipsius naturæ repugnat. 2. Non potest actus ille creatus, nempe actus ille credendi *DEVM esse DEVM*, esse antecedenter ad liberum DEI beneplacitum, quia omne ens creatum supponit liberam efficientiam *Creatoris*, uti effectus causam primam supponit. At non sequitur DEUM posse velle & jubere, ut creatura credat ejus contradictorium, nempe, *DEVM non esse DEVM*, quia objectum liberi DEI decreti non est universaliter & semper ens sub disjunctione contradictorium, est quidem in multis, sed non in omnibus objectum tale. Nam quando condecentia, sive condecens agendi volendique modus impedit, in tali casu non potest DEUS illius contradictorium imperare. Ubi autem *objectum actus specificat actum*, uti hic est, quando credimus DEUM esse id quod essentialiter est, nempe, JEHOVAM, infinitè bonum, gratiosum, justum, &c. non potest Deus decenter & convenienter, suo sapienti, optimo, justissimo, agendi volendique modo imperare, ut creatura credat *DEVM non esse DEVM*. Neque absurdum hoc, imò necessarium est ut condecentia DEI comitetur DEI volitiones, actus & mandata, adeo ut si Deus aliquid mandet & velit in creaturis ad extra, non posset non velle vel mandare, nisi condecenter, sapienter, modo immutabili, optimo, æquo, sic decrevit creare mundum, liberè tamen creat, non tamen nisi condecenter, sapienter, & modo immutabili creat, & si non crearet, stante decreto, peccaret in suam sapientiam, condecentiam, im-

Deus quædam imperat quorum contradictoria ex condecentia sua non potest imperare.

mutabili-

mutabilitatem. Sic si DEUS juberet creaturam, credere contradictoria esse simul vera, jussio illa esset indecens DEO, ex parte modi agendi; At contra principium primum (*DEVS est*) nam illud quod DEUS vult, etiam liberè, idem & liberè mandat, & non necesse est ut possit id nolle & vetare, siquidem cum decentiâ illius qui prima est veritas & primum amabile, non consistit. Licet enim actus credendi DEUM non esse, & non esse bonum, non esse misericordem, *&c.* non pugnet cum naturâ DEI, neque DEUS simul esset DEUS & non DEUS, si omnes homines, omnesque Angeli ad tantam impietatem & ἀφροσύνην deficerent, ut crederent non esse DEUM, uti *stultus in corde dicit*, Psal. 14. 1. Attamen ab objecto actus credendi esse DEUM, tantum honestatis actui accedit propter intrinsecam DEI dignitatem ut indecens ex se foret DEUM imperare ut crederent Angeli & homines se non esse DEUM: decentia autem omnia DEI attributa, omnes actiones DEI intelligendi, volendi, agendi, præcipiendi, prohibendi, promittendi, comminandi comitatur. Decentia autem, uti & sapientia ipsum includit & determinat ad nihil agendum, nihil imperandum creaturis, quod si fieret vel mandaretur, foret indecens & imprudenter factum aut mandatum. Nec sic limitatur DEI libertas ab objecto externo creato, sed à suâ decentiâ, imò non potest indecenter aut mutabiliter, creare mundum aut ullas extra se creaturas.

Si quis asserat, *nobis fatendum veritatem aliquam esse antecedenter ad DEI beneplacitum, & talem quidem, quam ne quidem DEVS infringere potest, nam non potest DEVS efficere ut contradictoria sint simul vera, & hoc (impossibile est idem esse) verum est antecedenter ad DEI decretum.* Respondeo. Hoc (*impossibile est idem simul esse & non esse*) in ente increato est verum ante omne DEI decretum, sed veritate planè increatâ; & sic non tangitur status quæstionis; at vero in entibus creatis, non est in sensu præsenti verum antecedenter ad omne DEI beneplacitum, quia DEUS creando ens, creavit unum, & simul creavit idem, & creando hominem consequenter sequitur *Deum* non creasse non hominem; Ideoque liberum actum creandi, sequitur veritas creata hujus (*Impossibile est idem ens creatum esse ens & non ens simul*) & hæc impossibilitas planè sequitur liberam entis creationem.

Si quis verò regerat, *impossibile esse DEO creare creaturam rationalem talem, cui non coinsculpta & concreata essent principia logica & rationalia de exemplando primo vero in intellectu, & de diligendo summo & primo amabili in voluntate & affectibus, ac proinde non potuisse DEVM tali novæ creaturæ rationali imperare ut crederet Deum non esse DEVM, aut ut odio haberet primum amabile.*

An si Deus crearet creaturam rationalem specie ab hac distinctam, an ea propenderet in dilectionem vel non dilectionem primi amabilis quæstio curiosa.

Respondeo. Me largiter totum concedere, quod sequitur ex hoc antecedente, nam credo nullum intellectum creatum vel creabilem posse ferri ex Dei mandato, in illud abhominandum objectum, nempe, (*DEVM non esse, vel non existere*) quia increata & infinita est repugnantia & impossibilitas in objecto ipso, neque potest terminare intellectum creabilem tam execrabile mendacium & blasphemia. 2. Non ausim penetrare in arcana Dei non revelata, neque determinare quæ creaturæ rationales specie ab his distinctæ sunt in infinitis Thesauris Omnipotentiæ creabiles, quæ non; cujus rei mihi ignaro homuncioni nulla est comprehensio, mihi autem videtur nulla repugnantia, Deum posse creare appetitum rationalem, specie distinctum ab eo qui in hominibus est & Angelis, qui suâpte inclinatione non magis propenderet, in dilectionem Dei quam in non-dilectionem Dei. Si verò repugnet Deum Omnipotentem creare creaturam rationalem novæ speciei, nisi concrearet talia principia, dico tum non potuisse Deum isti novæ creaturæ rationali imperasse, ut odio haberet primum amabile, & stabunt inconcussa mea principia. Si quis vero invictis argumentis probarit, Deum ex absolutâ suâ Omnipotentiâ non posse creare creaturam rationalem specie distinctam ab eâ, quam in hoc rerum ordine, creavit, quæ suâpte naturâ non propenderet in dilectionem Dei, docilem me futurum spondeo. Sed longe aliud hoc est, quam Deum posse creare alterius speciei creaturam rationalem, cum concreato & coinsculpto principio, odio Deum habendi, id ego arbitrarer, majore forte cum probabilitate, pugnare cum Dei decentiâ, & congruitate agendi ad extra in creaturis.

Quæstio

QUÆSTIO. X. *An Creator creaturæ injuriam irrogare queat, & quale jus habeat DEUS in creaturas suas?*

RESPONDEO 1. Jus sumitur 1. pro quâdam agendi constantiâ & immutabilite, & sic ex hypothesi, quod DEUS creaturam producat ad tempus duraturam, non potest non eam jure creandi conservare, & si aliquod creaturæ promittit, facit se potius debitorem constanti & immutabili suæ naturæ, ut agat immutabiliter, quod se acturum liberè decrevit & promisit, quam creaturæ in se jus faciat, non enim propriè non enti ab æterno DEUS fecit per decretum creandi, jus quo omnes creaturas ex non ente nihiloque creare, teneatur, sed potius voluntariæ ababatur (si ἀνοήτως liceret) id est, ad liberam creationem per immutabilitatem libertimè necessitabatur. 2. *Jus* sumitur pro debito justitiæ, & sic in rem simpliciter suam nemo facere vel jus vel injuriam potest, quia sic 1. creaturæ condendæ jus fuisset in DEUM ne ipsam fingeret in æternum dedecus, & possit regerere figulo vas, *quare me sic formasti?* contra id *Rom. 9.* (2.) Quia jus & dominium *Creatoris* in creaturam est infinitum, est enim tota creatura, & totum creaturæ omni modo DEI, si servus omni modo esset Domini, *Paulus* non diceret, *heri, reddite servis, quod justum & æquale est*, Col. 5? Habet ergo servus jus aliquod, ne affligatur à Domino pro ipsius absoluto & independenti arbitrio, Creatus ergo Dominus debet servis aliquod jus (fateor) Dominus propter dominium quod habet in servum vel jure belli, vel emptionis, minus juris debet servo, quam æqualis æquali, aut servus Domino debet, quia vero infinitum est DEI in homines & creaturas dominium, nec jus nec injuriam propriè potest DEUS facere creaturæ ipsam æternis cruciatibus affligendo. 3. Si DEUS non potest æternos cruciatus immerenti creaturæ infligere, ergo habet creatura jus in DEUM ne DEUS infligat ei cruciatus æternos & per eandem rationem cruciatus ne quidem ad horam. *Scitissimus Joan. Voikelius, Sic rei suæ nemo potest facere injuriam, quatenus eâ ipsius est, sed fieri potest ut persona quæ est alieni juris, certæ rei, aut usus respectu sua sit, non aliena, libera non serva, eatenus ergo juris & injuriæ capax est, nititur quidem libertas ac jus nostrum beneficio divino, sed*

Jus sumitur tribus modis & quale jus Deus habeat in creaturas.

Joan. Volkelius de vera Religione li. 1. ca. 25. pa. 739.

postquam

postquam semel datum est, non nisi voluntariâ nostrâ culpâ eo privari possumus.

Respondeo 1. At si Deus creando res, faceret injuriam, si auferret quod dederat, nec posset res creatas annihilare nisi culpâ ipsarum, quod absurdum est. 2. Omnes res creatæ, & creaturæ liberrimæ, homines dico, tam Dei sunt & magis (imo infinities) Dei sunt, quam lutum creati figuli est, libertas nobis non confert jus in Deum, nam de liberis creaturis, ait *Paulus Rom. 9. Tu quis es, qui DEO respondes, num vas figulo dicaret, quare me sic finxisti?* Et vas liberum illud est. 3. Supponit *Volkelius* per libertatem nos magis nostros esse, minusque Dei, cum tamen libertas qua libertas absolute sit creatura Dei, & per libertatem minime nos esse creaturæ Dei desinamus, sed quo liberiores per naturam eo magis Dei servi jure creationis sumus; quasi vero creaturæ expertes libertatis quia servę & non liberæ magis essent Dei servæ quam homines rationales, & nos homines quia libertate gaudemus, minus Dei essemus, at vero libertas creata actuique liberi æque Dei dominio subjiciuntur, ac quælibet Rana aut Musca, omne jus reliquarum creaturarum nititur Dei beneficio, non minus, quam jus creaturæ liberæ, & beneficium Dei gratis collatum facit Deo fundamentum juris in creaturam omnem. 3. Jus sumitur pro morali condecentia & æquitate ortâ ex relatione Domini & servi, Patris & Filii, *Creatoris* & creaturæ, causæ primæ & effectus, hoc modo, propterea quod Deus res extra se producit, condecens est ut servus Domino, filius patri, creatura *Creatori* subjiciatur, subjectione physicâ propter primitatem Dei & vilitatem & inferioritatem creaturæ respectu *Creatoris*, condecens & justum est ut moraliter etiam creatura subjiciatur *Creatori*, hoc modo Creator quia Creator & etiamsi ponemus nulla in Deo esse decreta, jus habet in creaturas rationales, creaturæ vero rationales nullum in Deum jus habent. Neque nos, cum *Socinianis*, in hâc opinione syncretismum colimus. 1. Negant *Sociniani* Dei dominium extendi posse ad creationem creaturæ ad æternos cruciatus, Nos dominium Dei ad formationem vasis in æternum dedecus, ex absoluto Dei beneplacito citra peccati prævisionem, cum *Paulo* Rom. 9. asserimus, vide *Volkelium*. 2. *Sociniani* volunt dominium Dei æternum esse à parte post tantum, *quamdiu res ei subjecta durat*, ita *Volkelius*, at nos tuemur dominium

Dei

Libertas arbitriinos domino Dei magis subdit jure obligationis propter opificium tam nobile, nullo vero modo nos liberat dominio Dei ut omniat Volkelius *cum Socinianis.*

Non colimus syncretismum cum Socinianis.

Volkelius de vera Religione l. 1. c. 23. col. 165. Volkel. 16. col. 169.

DEI ab æterno à parte ante, nam in non entia ante creationem dominatus est DEUS, ut supra dictum. 2. Esse dominium habendi & possidendi creatas res, quæ tam diu actu est, quamdiu res subjecta durat, docemus, licet propriè loquendo nihil dominii DEI, DEO decedat, nihil accedat. 3. Docemus etiam dominium DEI esse in rerum annihilatione, earumque quasi intra latera non entium detentione. 3. *Sociniani* jus & dominium DEI ad DEI ipsius utilitatem extendi autumant. Ita *Volkelius*. Nos hominem *Creatori* suo utilem esse posse negamus. 4. *Sociniani* dominium DEI in creaturas rationales per libertatem creaturarum limitari & minui, aiunt, ita *Volkel.* Nos dominium DEI in liberas voluntates creatas plenum & independens asserimus. Hinc 5. blasphemum est quod aiunt *Sociniani*, homines in corda sua dominium independens habere, vide *Volkel.* 2. DEUM ab æterno omnes actus liberos & rerum circumstantias decreto suo non definiisse. Ita *Volkel.* 3. *Ex mutatione rerum vasis sequi mutationem quandam specialis Dei decreti*, sunt *Volkelii* verba. 6. *Sociniani* docent multa esse illicita antecedenter ad liberum DEI beneplacitum, ut homines reprobari à DEO, quia DEUS vult reprobare, Tyrannicum esse docent. Non negem, quin si DEUS alias creaturas rationales ab hisce, quæ nunc sunt, specie distinctas crearet, necessitate naturæ *Creatoris*, creaturæ & creationis resultaret essentialiter relatio effectuum & causæ servorum & supremi Domini, patris & filiorum, & cum *Creator* sit causa & author rei creatæ, causæ primæ & effectus, dependentia tum physica tum moralis creaturæ à *Creatore* pro naturâ creaturæ capacis vel non capacis obedientiæ moralis hoc ipso oriatur necesse est: quia contradictio est ens creatum esse & non subjici *Creatori*, nescio an possit creari ens creatum quod decreto *Creatoris* repugnaret, quia propter primitatem & iudependentiam DEI, & inferioritatem & dependentiam creaturæ, esset ens creatum & non creatum, dependens & independens, imo propter absolutum DEI dominium esset subjectum & non subjectum naturali DEI dominio, si repugnaret infinito dominio & decreto absoluto, sed tamen maneret quæstio de re quæ materialiter est subjectio moralis, an τὸ amare primum amabile (nam τὸ credere DEUM non esse DEUM longe alia est ratio, ut dictum) sit subjectio moralis ex necessitate naturæ essentialiter debita omni creaturæ rationali creabili? an sit

Volkel. 16. col. 107. Volkelius de vera Religi. c. 13. col. 176. &c. 25. col. 238. 239. 240. Volkelius de vera Religi. cap. 22 col. 172. Volkel. de vera Relig. cap. 23. col 174. Volkel. de vera Religi cap. 23. col. 176. Volkel. de vera Religi. cap. 25. col 175. 179.

Hoc ipso quod aliquid est creatum fundæ relationem inter Creatorem & creaturam, dominum & servum & dependentiam aliquam cum debitâ obedientia.

sit essentialis connexio inter rem materialiter creabilem (sive sit res moralis sive physica) & *Creatorem*, mihi τὸ ἐπίσχες & dubitandi locus concedatur, oro. An non res moralis creabilis, vel secundum esse morale spectata, non minus quam res physica eâdem consideratione spectata, sit talis & talis essentiæ, & graduum perfectionis, quia ita visum est DEO efformare gradus rerum tales, tantos, ut (4.) ut (5.) ut (6.) ut (100.) ut (1000.) pro ipsius libero beneplacito. Neque Nostri absolutam necessitatem ponunt in modo satisfactionis præstitæ à CHRISTO. *Parens* comment. ad Heb. cap. 2. num. 10. *Si spectemus* (inquit) *absolutam DEI sapientiam & potentiam, aliâ fortè viâ DEVS incedere potuisset; si vero peccatum hominis cum justitiâ & commination DEI conferamus, nulla haud dubiè convenientior ratio, quam hæc ipsa excogitari potuit.* At verò *Sociniani*, ut *Volkelius*, negant decerni à DEO aut determinatè sciri futura contingentia, & DEUM nullâ necessitate vel absolutâ vel decreti, filium suum morti addixisse. *Volkelius. Eâ hominum, ad quos decreta illa pertinebant, mutatâ, ipsa quoque decreta fuerunt mutata, seu mavis, decretorum illorum effectus non fuit secutus.* Ib. DEUM hodiè eligere hominem & ordinare ad vitam æternam, si crediderit, cras reprobare & non decernere, si non crediderit, & col. 349. *DEVM quædam decernere, quæ antea non decreverat, imo quorum contraria antea decreverat.* At verò *Socinus* ipse, viâ planè blasphemiâ omni majore incedit, ait enim stante hoc rerum ordine, *DEVM nobis ignoscere jure potuisse, nullâ pro peccatis nostris, verâ satisfactione acceptâ.* ——— Item. *DEVS in hominibus vel puniendis vel absolvendis, non tanquam judex aliquis statuendus est, qui de alieno jure agat, cuiq; non liceat à legum præscripto recedere, sed tanquam Dominus & Princeps cujus sola voluntas* (in horis mutata prout mutatur creaturæ voluntas) *cum de ipsius jure tantum agatur, omnium rerum lex & perfectissima norma.*

Nostri non ponunt absolutam necessitatem in satisfactione à CHRISTO præstita.

De verâ Religi. cap. 32. col. 331

Sociniani negant decretorum Dei immutabilitatem.

Socin. dis. de JESU CHRISTO Servatore p. 3. c. 1.

Respondeo. Nunquam est judex mundi, si non in puniendis vel absolvendis hominibus judex est; nam *justus mundi judex* iniqui nihil potest facere, neque sontem absolvere, neque innocentem condemnare, *Rom.* 1. 18. *Hebr.* 9. 22. *Deute.* 27. 26. *Exod.* 34. 3. Nec sola voluntas hic absoluta ex mero absoluto dominio agens est norma judicii, sed voluntas justa & determinata, nos autem DEUM, si spectemus absolutum ejus dominium, posse absolvere

vel

vel non, punire vel non punire peccatorem, & necessitate naturæ adactum non facere quæ facit ut est absolutus Dominus, docemus. *Socinus* ib. *Potuit igitur DEVS peccata nobis jure ignoscere nullâ à quoquam pro ipsis acceptâ satisfactione, imo id adeo jure facere potuit, ut quodam modo debuerit, id est, aliter facere non potuerit.* Socin. lib. par. 3. c. 2.

Quis non (inquit blasphemus homo) *Regem istum tenacem & avarum esse dicat, qui, cum subditis debitoribus suis debitas sibi pecunias condonare liberaliter posset, eas, ab eo qui nihil ipsi debebat, repetierit? præsertim vero si ita dives sit, ut eâ pecuniarum summâ nihil indigeat, & interim, si DEVS debitoribus universum debitum remisisse jactitet.*

Respondeo. Blasphemus itaque ille tenacitatis & avaritiæ justissimum DEUM arguet, qui cum nihilo indigeret, diris simis & atrocissimis suppliciis, quæ innocentissimus perpessus est CHRISTUS, solius Martyrii nomine, uti ipsi visum est *Socino*, tamen *nostræ pacis castigationem* ipsi imponere, eum pro nobis peccatum & sacrificium exemplare statuere voluerit, ipse *Socinus* juxta ipsius sententiam pro DEO respondeat. 2. At dicimus nos dominium DEI supremum in hoc fuisse, quod pœnas nobis debitas in innocentem Filium suum, cui nulla debebatur pœna, transtulerit. Et quamvis pro jure absoluto credamus, DEUM simpliciter potuisse gratis, & nullo interveniente lytro peccata hominibus condonasse; neque enim necessitate naturæ, sed ex libero & gratuito decreto (prout clamat totum Euangelium) DEUS dedit Filium suum pro nobis crucifigendum, attamen impius *Socinus* est, qui ne quidem sine necessitatis & avaritiæ notâ in DEO dari potuisse Filium in lytron statuat, cum majoris *tenacitatis* sit & *crudelitatis* (absit blasphemia) in merum exemplar & præconium ipsum innocentem DEI Filium expertem omnis peccati vel imputati vel sui proprii dari, (ut autumat *Socinus*.) 3. *Jus* hoc DEI non absolutè exigit pœnas à Filio DEI, neque est DEUS agens naturale in puniendo Filio, quia stante DEI decreto Euangelico, cujus sapientiam inperveſtigabilem, relucentem misericordiam, exactam justitiam admiramus, necessitatem penes DEUM esse volumus, nam posito decreto, DEUS necessitate immutabilis justitiæ non potuit non pœnas exigere à fidei-Jussore facto jam sub Lege, & execrationi hostiâ obnoxiâ ad aras stante, at fidei-Jussorem DEUS pro absoluto dominio suo ipsum constituere, vel non constituere potuit.

Socinus *blasphemiam tenacitatis et avaritiæ Deo invrit per suam doctrinam, quam nobis falso imputat.*

An,

Quatenus Deus sui odium imperare queat.

An, & quatenus Deus sui odium imperare queat, alia est quæstio. Non facile, nec nisi coactus moverem quæstionem quæ tam malè sonet piis auribus, sed resolvetur in hoc, an implicet contradictionem Deum creasse creaturam rationalem quæ nunc est, & Deum imperare, ut creatura sic creata Deum odio habeat. Certum est Deum esse Deum, & non esse optimum & primum amabile implicare contradictionem. Non potest ergo Deus imperare, ut creatura rationalis credat se non esse primum amabile. Nam Deum posse imperare, id est, approbare & velle ut contradictoria sint simul vera est impossibile. Inde sequi videtur Deum non posse jubere ut appetitus rationalis respuat primum amabile tanquam quid sibi adversum & nocivum. Quia hoc ipso juberet Deus intellectum judicare primum amabile non esse primum amabile. Quid Deus per absolutam potentiam jubere queat, si Deus creaturas rationales non gradu, sed naturâ & specie diversas ab *Hominibus & Angelis* crearet, (uti certè per Omnipotentiam nihil non creare potest, nisi quod contradictionem involvit) nec disputo, nec an disquiri fas sit, facile credo.

Ita Vokeli. de vera Religione li. 1. cap. 23. pag. 177. Socinus de Serva. li. 1. cap. 1. Crellius cont. Grotium li. 1. ep. 78.

Improbamus sententiam *Socinianorum, qui contendunt, justitiam quatenus misericordiæ opponitur, in DEO verè non residere, nec esse DEI qualitatem aut proprietatem: sed tantummodo effectum voluntatis ejus, sed iram aut misericordiam, esse veluti affectus quidam, & liberæ voluntatis effectus, unde DEVS ad punienda peccata simpliciter moveatur.* At verò justitia Deo inest, non ad modum actus tranieuntis, sed ad modum attributi & proprietatis permanentis, ut docet Scriptura Exod. 34. 7. 3. 5. 5. 6. Hab. 1. 13. Nahum. 1. 2. Rom. 1. 19. Num. 14. 18. Exod. 20. 5. Thren. 1. 18. & idem de misericordia dicendum Exod. 34. 6. 1. par. 16. 34. Psal. 103. 8. Exod. 22. 27. Lucæ 6. 36. 2 Cor. 1. 3. Psal. 86, 5. 15. neque fingere debemus iram, severitatem, aut aliud quidpiam in Deo existens quod simpliciter, ipsum ad punienda peccata moveat, quod tamen in ipso non perpetuo resideat. Quando Deus nunc punit, nunc non punit, mutatio est in objecto ad extra, non in ipso Deo Non satisfaciunt qui dicunt, *justitiam punientem non ideo non esse naturalem, etiamsi eam non semper actu exercuerit, quia DEVS fuit naturaliter Omnipotens, Sapiens, & ab æterno Rectus, ante mundum conditum, priusquam illas proprietates exerceret.* Non est enim par ratio,

Evisio quorundam dicentium justitiam relativamese in Deo naturalem, etsi eam non semper exerat,

quia

quia omnipotentia, aut sapientia non est adæquatum principium rerum ad extra creatarum, nisi accederet determinatio liberæ voluntatis DEI, ut hic & nunc eas proprietates exerat; At verò puniens justitia relativa quæ est in habitudine ad creaturas, nihil est aliud quam voluntas DEI quasi actu secundo efficax hic & nunc secundum condignitatem peccati puniens, seu voluntas (ut sic loquar) actu retribuens, si verò DEUS necessitate naturalis justitiæ puniret, posito objecto punibili semper sine ullâ longanimitate aut ad irascendum tarditate puniret.

Neque *Socini* illud recipimus, *quemadmodum potuisset DEVS & jure quidem, morti æternæ non mancipare peccantes, sic postquam eos illi morti edicto suo mancipavit, ex illius imperio iterum eximere, & quidem jure, sua sola voluntate, potest.* 1. Quoniam stante decreto de punitione peccatorum pœnis infernalibus, non potuit DEUS vel peccatorem, in se vel in vade suo, ut optime dicit *Sibrandus* non punire pœnâ quoad substantiam vel essentiam infernali propter justitiam veracitatis & immutabilitatis, & licet absolutâ potentiâ spectatâ posset *suâ solâ voluntate* non restrictâ per justitiæ decretum, *morti æternæ iterum eximere*; Neque tamen rectè occuri videtur ab eo qui diceret, non *æqui* judicis, *sed Tyranni vocem esse, sic volo sic jubeo, stat pro ratione voluntas, cum de judicio pœnali agitur, non absoluti dominii, sed judicii quod dignitatem consideravit spectandum esse.* Nam absolutum DEI dominium non est mera dominandi voluntas citra rationem æternam aut sapientiam infinitam, uti fit in terrenis hujus mundi Tyrannis, quorum sola libido vel voluntas libidinosa citra omnem rationem est lex & ratio imperandi formalis; At in absoluto DEI dominio regnat infinita ratio & sapientia, ut patet ex collatione Rom. 9. 20 cum c. 11. v. 33. 34. Deinde nec dignitas nec condignitas rei ad extra, ita determinat DEI voluntatem ut eam eximat omni dominio absoluto, neque DEUS ita determinatur ad puniendum, per intrinsecam peccati indignitatem, quin simpliciter DEUS sit major, ratione supremi sui dominii, omni intrinseca ratione in objecto. Id quod *Sibrandus* affirmat. *Inquirendum est* (inquit) *sit ne jus aliquod ad quod, tanquam ad regulam, æquitas illa, quam DEVS in corrigendo observat, exigatur? Si enim jus civile est regula, ad quam æqualitas, quæ in correctionibus civilibus usurpatur, refertur; Ita jus aliquod est, quo æqualitas, quæ in divinis correctionibus adhibetur, definiatur; Nemo habebit*

Sibrandus Lubert. de Servat. adv. Faustum Socinum l. 1. cap. 1.

Absoluto Dei dominio alia subest ratio quam solæ voluntatis puræ Dei, non autem quam justitiæ Dei sanctæ. Vide And. Essenium de satisfac. Je. Ch. lib. 1. sec. 2. c. 2 pag. 9. 17 Sibrandus de Servat. li. 1. cap. 1. pa. 9. adve. Socinum. Sibrandus

habebit ullam tergiversandi materiam. Hoc jus est voluntas DEI, quæ ut est omnis justitiæ regula, ita etiam hanc æqualitatem definit & determinat. —— verbum igitur DEI esse jus scriptum, quo hæc justitia sive æqualitas, quæ in hujus justitiæ observatione usurpatur, definiatur. Hoc testimonium una cum *Calvini*, *Parei*, testimoniis supra citatis (cui *Bezæ* rever. & ductis. viri addo id. *Si decretum DEI spectes ipsum malum habere rationem boni, etiamsi in se malum est*) aliisque qui nihil impuro *Socino* favisse putantur, omnis justitiæ relativæ originem esse liberrimam DEI voluntatem probant. Hinc quæstio est, vel de regulâ illâ illius justi. quo DEus creaturis imperat, & dicendum liberâm DEI voluntatem, non esse adæquatam regulam omnis justitiæ, quam DEus velle & imperare ad extra potest, sed naturam DEI, ejusque naturalem condecentiam agendi, (ut supra monui) concurrere interdum ad hanc regulam. 2. Planius *Sibrandus* ibid. *utraque hæc tabula, legis scilicet & evangelii, hoc est, voluntas DEI in lege & Evangelio revelata, est jus illud, ad quam tanquam exactam normam atq; regulam, DEVS æqualitatem quam in corrigendo genere humano usurpabit, exiget, utrumq; hoc jus est immutabile, est enim ipsa DEI voluntas, quam ullâ re mutari, est impossibile.* 3. Hinc justitiæ (excipio naturalem & intrinsecam quâ intrinsecè æquum est, Creatorem sese amare, DEum esse, justum esse, creaturam communiter subjici, Creatori) relatæ ad creaturas, origo est libera DEI voluntas.

& Nostri Dei voluntatem primam justitia sive ad extra, regulam statuunt

Beza in quæstio. & respons.

Sibrandus ibid.

Jam de hac re quæstiones nonnullas, quæ fortè ad totam etiam doctrinam de providentiâ spectant. breviusculas movere liceat.

Quatenus justitia Dei in liberam voluntatem referatur.

Quæstio 1. An si contraria fuisset justitia DEI ei quæ lege & Evangelio est revelata, hoc est contrarium DEus imperasset, id æque justum fuisset atqui est id quod lege & Evangelio revelatum?

Respondeo, si excipiamus id justum quod necessario ortum est ex intrinseca & naturali DEI justitia, si Deus contrarium imperasset, id æque justum fuisset.

Qu. 2. An non in constantiam, & immutabilitatem (DEI ultimate, ut in originem & fontem reduci potest omne hoc justum, quod DEus imperat creaturis, potius quam in connaturalem dignitatem & proportionem inter res, & res, inter panem & nutritionem, potius quam inter lapidem & nutritionem? Natus est enim in Anglia quidam qui, lapidem manui involutum habens e ventre in

lucem

lucem enixus, lapidibus solis victitavit, nec non inter bona opera & vitam æternam. Respondeo, salvo eruditorum judicio affirmativè si loquamur de ultimatâ resolutione.

Qu. 3. An ergo, quanquam Deo liberum est punire peccata, justitia correctiva sit in Deo accidens, uti *cras pluere vel non pluere* ut ait *Socinus*. Respondeo, optime *Sibrandus* & *And. Essenius* viri doctissimi negative determinant quæstionem, addo, quanquam ex hypothesi decreti de futurâ pluviâ crastinâ, adversatur Dei immutabili naturæ, nolle futuram pluviam: non tamen Deus odisse futuram pluviam dicendus ex principio internæ justitiæ naturalis, eo modo, quo est *DEVS non volens iniquitatem*, Psal. 5. ac proinde licet justitia correctiva quæ relativa dicitur, potuerit non esse in Deo, non est tamen accidens ullum in Deo. Est vero in Deo naturalis æquitas & condecentia quædam quæ essentialiter ei inest, & est fundamentum justitiæ correctivæ. At vero justitia correctiva aliquid superaddit decreto Dei libero de pluviis futuris & ejusmodi nempe complacentiam moralem in officio & supplicio peccantis creaturæ.

Quæstio quo modo justitia correctiva quæ refertur ad creaturas, non sit essentialiter in Deo. Sibrandus ib. p. 11. And. Essenius li. 1. §. 2. cap. 2.

Qu. 4. An proprie & in rigore justitia est Deum substituere filium suum sponsorem pro peccatoribus, innocentem pro nocentibus? Respondeo esse gratiæ omni modo gratuitæ Joh. 3. 16. Tit. 2. 11. non justitiæ proprie dictæ; amor filium ad vadimonium traxit, sed tractum ad lytri persolutionem quasi necessitas justitiæ cogit, vide Joh. 10. 18. 1 Tim. 1. 15. Luk. 19 10, & confer cum luce 22. 42. Rom. 3. 15. Mat. 26. 42.

Deus ex gratia, non justitia dedit sponsorem.

Qu. 5. An non omnia media ex Deut. 8. 3. ideo sunt media ad finem à Deo intentum, quia Deus iis utitur, non autem, quia sunt in se media & quidem antecedenter ad decretum Dei? Resp. quædam sunt media intrinseca, respectu finis intrinseci, ut anima rationalis ad discurrendum ut ad finem intrinsecum est: media talia antecedenter ad decretum sunt media: At vero alia media talia sunt quia Deus iis utitur, si sit quidem intrinseca convenientia inter panem & nutritionem, ea tota est originaliter à libero Dei decreto. Ideo Deut. 8. 3. *Homo vivet super omni egressione ex ore DEI*, id est, super omni verbo, non est in textu *Hieronymus* tamen recte & Chaldæ Paraphra. *Sed in omni verbo quod egreditur ex ore Domini* LXX. ἀλλ' ἐπὶ παντὶ ῥήματι ἐκπορευομένῳ διὰ στόματος θεοῦ ζή-

Mediaquæ tenus antecedenter ad Dei decreta sint media.

σεται

ουτως ὁ ἀνθρωπος. Syriaca interpretatio, *sed in omnibus quam præstitit ei Domini, vivit homo*: Arabica interpretatio, *sed ad omne dictum Dei vivit.* Notat voluntarium DEI decretum. Gen. 24. 50. *à domino exiit verbum*, id est, *decretum, non possumus loqui tibi bonum vel malum* הַדָּבָר LXX. τὸ πραγμα. Genes. 19. 21. ὁ χαριζομαι σοι πραγμα. *Jos.* 9. 24. *Judic.* 6. 29. *Deut.* 17. 5. 1 *Paral.* 2. 7, 8.

Verbum Dei notat decretum Dei.

Numer. 31. 16. *Ecce istæ* (fœminæ) *fuerunt filiis Israel* בִּדְבַר בִּלְעָם In verbo seu *Decreto Balaam committeretur transgressio contra Jehovam. Targum* (ut ait *Shimlerus*) בְּעֵצָת *in consilio, in decreto.* Esther. 1. 12. *Renuit Regina Vasthi venire.* בִּדְבַר הַמֶּלֶךְ *Targum. Ex decreto Regis.* Inde adytum דְּבִיר 1 Reg. 6. 19. 21. Oraculum ex quo DEUS decreta & mandata pandit. *Gen.* 18. 14. LXX. μὴ ἀδυνατεῖ παρὰ τῷ θεῷ ῥῆμα *Gen.* 30. 34, & *Gen.* 44. 2.

Lex ante decretum qualis.

Qu. 6. An antecedenter ad DEI decretum, æquum est creaturam obedientiam præstare Creatori? Respondeo, lege gratitudinis inter dominum & servum est, sed lege ad pœnam obligante non est æquum, nisi antecedat lex pœnalis de mandandâ obedientiâ sub tali pœnâ. Quia DEUS necessitate naturæ non punit, nec enim agit secundum demeritum creaturæ, cum creatura peccante, nisi quia ita libere decrevit agere uti ex gratia seu libere non ex justitiæ naturalis necessitate remuneratur obedientiam etiam perfectissimam in Adamo aut electis Angelis; meritum creaturæ non sine blasphemia fundatur in essentiali DEI justitia. Cum nulla condigna proportio ex natura rei, inter opus aut præmium, quæ necessitate naturæ determinet DEUM ad muneraudum, imo ne quidem ad conferenda temporalia necessitatur. Si det esse, non tenetur conservare esse, nisi necessitate secundum quid & hypotheticâ.

Decretum Dei tollit potentiam modalem non physicam.

Qu. 7. An decretum DEI positum tollat aliquam potentiam à creatis agentibus? Respondeo non tollit potentiam aliquam creatam vel physicam, neque partem ejus ullam. 1. Quia decreta DEI quâ decreta non influunt realiter in causas secundas. 2. Quia prima causa neque concurrendo, neque constituendo concurrere, minuit rerum entitates, sed conservat potius, ideoque puram potentiam non tollit decretum Dei, at verò potentiam modalem quæ eventum & efficaciam rei respicit, tollit. 1. Quia ipse Deus Angelus increatus, Gen. 19. 22. Ait se non posse *destruere Sodomam & Gomorram*, nisi *Lothus* illinc emigraret, potentia illa negata est potentia

modalis

modalis, ratione decreti quo DEUS gratioſè conſtituit *Lothum* ereptum conſervare: At ſi loquamur de purâ potentiâ DEUS in omni differentiâ temporis *Sodomam* evertere potuit. Sic *Gen.* 24. 50. Tunc *reſponderunt Laban & Bethuel & dixerunt à Domino eſt verbum hoc, decretum hoc* ——— הַדָּבָר *Non poterimus* (לֹא נוּכַל) *loqui ad te bonum vel malum*, quia hoc matrimonium eſt decretum, vel negotium DEI decreto ſancitum, non poſſumus loqui in contrarium, hoc eſt deeſt potentia modalis reſiſtendi. Ejuſdem rationis ducò id. *Num.* 22. 18. *Si Balak dederit mihi domum plenam argento & auro, non potero* לֹא אוּכַל *os Domini Dei tranſgredi, ad faciendum magnum vel parvum.* Negatur illic potentia modalis, tum à DEI decreto, ratione cujus non potuit non benedici DEI populo, tum ratione DEI manus Pſeudoprophetam voluntarium trahentis ad benedicendum. *Act.* 27. 31. *Niſi iſti maneant in navi, non poteſtis ſalvari*, ratione potentiæ modalis, quâ DEUS decreverat, concatenare ſalutem eorum qui erant in navi cum *Paulo*, & nautarum permanſionem in navi, non poterant ſalvari, alioqui ſimpliciter ſalvari poterant, imò perire non poterant ratione potentiæ modalis. 2. Id probant omnia Scripturæ loca & argumenta à nobis adducta ad probandum DEUM omnes actus contingentes & liberos immutabiliter decernere. Nam ſi DEUS decrevit ut *Medi* & *Perſæ* vaſtarent *Chaldæos*, aut alias nationes, non poſſunt non vaſtare, ratione potentiæ modalis, quoniam decreta & conſilia DEI infringi non poſſunt. *Iſa.* 14. 24, 25, 26, 27. *c.* 46. 10, 11.

Qu. 8. An abſolutè poſſe agere vel non agere poſitis omnibus ad agendum requiſitis, non poteſt commodè ſtatui eſſentia libertatis creatæ? Reſpondeo. Non poſſe, quia talis abſoluta & independens potentia, eſt abſolutum cauſæ ſecundæ in ſuos actus dominium, nam nihil plus habet abſoluta DEI libertas. *Eſſentia libertatis creatæ poſſime à Jeſuitis et Arminianis deſinitur.* *Jeſuitæ* & *Arminiani* itaque nobiſcum contendunt utrum penes JEHOVAM, an verò penes lyteos *homunciones*, & *Angelos* inſtabiles ſit abſolutum, in actus liberos, dominium. Illi pro creaturarum. Nos pro *Creatoris* dominio contendimus. Nos ad Scripturas, ad JEHOVAM, illi ad Aſylum inſanientis rationis confugiunt.

Qu. 9. An decretum DEI conspiret in eundem numero actum quem voluntas ipsa eliceret, si poneremus per impossibile nullum esse in DEO decretum? Respondeo affirmativè, quia necessitas decreti, & necessitas actualis exercitii libertatis, eadem removent libertatis indifferentias. Neque DEI decretum aliò torquet voluntatem invitam, quam in illud punctum, in quod de facto est inclinatura. Ut hoc diagrammate, vitio *Typographi* & incuriâ non excusandâ depravato in superiorib. exercit. meis, liquet.

Exerc. 1. c. 4 p. 91.

Decretum DEI	Potens eligere	A. non futurum, sed possibile.
	Actu eligens	B. futurum.
	Potens eligere	C. non futurum, sed possibile.
Libertas Humana	Potens eligere	A. non futurum, sed possibile.
	Actu eligens	B. futurum.
	Potens eligere	C. non futurum, sed possibile.

Quod decretum & voluntas creata in idem punctum conspirent.

Qu. 10. An non *Esau* odio habiturus esset *Jacobum*, neque vultu placido esset fratrem, quem jam olim interimere in animo constituerat, acceptaturus, nisi DEUS decrevisset animum *Esaui* flectere ab odio in gratiam? Respondeo. Si seponatur decretum DEI de concursu præstando libertati *Esaui*, neque ad actum odii neque ad actum gratiæ, prorupisset voluntas libera *Esaui*: at fateor flexionem animi ab odio in gratiam, DEO ejusque decreto & motioni imputandum, sed tum flexio illa ex parte voluntatis liberæ fuisset æquè libera (si loquamur de libertate creatâ) etiam prout est subdita decreto, ac si non esset subdita decreto, quia decretum non vi torquet voluntatem liberam ab eo quod de facto esset volitura, neque violenter constringit ad aliud volendum contra suam internam electionis inclinationem. Sed decretum conspirat in id quod creata voluntas de facto amplexabitur, idque motu suo interno, & sic actus liber subditus decreto est liberior quod subdita sit decreto, quia decretum

statuit

statuit de concursu DEI qui connaturaliter & suavissimè obtetricatur voluntati liberæ creaturæ, quæ quasi gravida est & nata apta parere non geminos, nempe & nolle & velle copulativè, sed vel nolle tantum vel velle determinatè. Neque causa libera producit duos effectus simul, neque nata apta est producere duos simul, *nam membra disjunctivæ potentiæ non multiplicantur, neque numerum faciunt* in actuali existentiâ. Sed si ponitur unum, alterum necessariò non ponitur.

Qu. 11. An ullus actus liber sit simpliciter contingens ad utrumlibet, & quidem essentialiter? Respondeo negativè, quia licet causa libera sit activa & libera in origine ad omnes causas inferiores, quia positis omnibus, ex parte causarum secundarum, tam nolle quam velle potest, attamen non sua est libertatis creatæ formalis indifferentia, vel in ordine ad decretum, vel in ordine ad receptionem prædeterminationis divinæ, quia ratione utriusque non est simpliciter sed dependenter libera, & ab utroque & à decreto, & à determinatione recipit determinationem indeclinabilem ex parte DEI, sed est ea indeclinabilitas libera, necessitas contingens, & contingentia necessaria. *Quo pacto actus liber sit contingens.*

Qu. 12. An libertas stare queat cum necessitate antecedente? Respondeo affirmativè, alioqui providentiam dominatricem, & principatum, *Dominus Dominorum* in omnes actiones creaturarum haud exercebit.

Qu. 13. Cum prima causa invictâ, infrustrabili, & absolutâ necessitate agat in omnes causas secundas, ideoque in voluntatem liberam, & ex antecedente absolutè necessario, in consequentiâ absolutè necessariâ, procul dubio, nihil nisi absolutè necessarium consequi possit. An non sequitur actus liberos esse absolutè necessarios ex antecedente hâc necessitate? Respondeo negativè, quia voluntas DEI cum suâ invictâ & infrustrabili necessitate non agit influxu absolutè necessario, sed ad modum, geninm, & indolem causæ liberæ citra omnem vim. Et qualis est influxus primæ causæ in secundam, talis est consequentia Nam collectio logicalis sequitur modum essendi & operandi: at influxus non est absolutè necessarius. Ergo neque consequentia est absolutè necessaria. *Quomodo ex antecedente absolute necessario sit consequentia non absolute necessaria.*

Quali potentiâ bonum gloriæ Dei ex peccato resultet.

Qu. 14. Quali potentiâ resultat bonum gloriæ Dei illustratæ, ex peccato? Respondeo ex parte creaturæ peccantis, potentiâ merè obedientiali, & per accidens resultat, nam creatura nihil agit in formali actu puniendi aut condonandi peccata, sed patitur. At ex parte Dei non potest nomine potentiæ obedientialis insigniri, quia Deus per se ex intentione tam primariâ punit & condonat, atqui salvat, miseretur aut convertit peccatores.

Quali scientiâ Deus futura conditionata intueatur.

Qu. 15. Quali scientiâ scit Deus contingentia conditionatè futura, nempe *Davidem* traditum iri in *Shiulæ* potestatem, si apud *Keilitas* permanserit? Respondeo hic considerandâ concatenatio seu connexio inter permansionem & traditionem. 2. Spectanda est ipsa traditio non simpliciter, sed conditionatè futura: concatenatio rursus spectatur ut est semota ab omni Dei decreto antecedenter ad illud & citra illud Dei decretum, vel cum eo conjuncta: priore modo, quia nulla est necessaria connexio, ideo Deus scientiâ naturali & simplicis intelligentiæ concatenationem hanc agnoscit, ut reliqua possibilia. At verò mihi omnes hæ concatenationes sunt à Deo absolutè decretæ, & sic Deus scientiâ liberâ seu visionis ea cognoscit. Et frustrà multi se torquent de speculo, in quo Deus hæc intuetur. At verò ipsa traditio actualis in se erat tantum possibilis, si nempe poneretur conditio, permansio *Davidis*, quam conditionem nunquam ponendam Deus decrevit, positivo decreto, ut *Davidis* incolumitati & saluti sic consuleretur. Et ea traditio à Deo scitur scientiâ simplicis intelligentiæ. At eadem traditio ut concatenata cum permansione *Davidis* apud *Keilitas* de quâ *David* tam anxiè consuluit oraculum & ut concatenata & conditione illâ permansionis vestita, erat actualis, certa, determinata & scita Deo scientiâ liberâ, seu scientiâ visionis, itaque tam stultum est *Davidem* anxium consuluisse Deum de traditione merè possibili (quæ *Davidem* minimè latuit, alioquin nunquam consuluisset Deum) quam blasphemum est Deum respondisse de traditione possibili & conjecturali: quia 1. *David* non de tali traditione consulit. 2. Nec responsio de tali conditionali, possibili & incertâ traditione, servi Dei animo satisfeciset, nec saluti consultum fuisset per eam, nam tam possibilis fuit traditio, quam non-traditio, incolu-

incolumitas, quam interitus, nec *David* ex certâ fide sese ad fugam convertisset, si de merâ traditione possibili, vel consultum à *Davide* vel à Deo fuisset responsum.

Qu. 16. Estne frustraneum decretum quo Deus de connexione hypothetică statuit, cum extrema connexa nunquam futura sint. Respo. Minimè propterea irritum est decretum, quia omnia possibilia nunquam futura, cadunt sub actualissimum & positivum Dei decretum, ut antea sæpè dictum. Et cum omnia entia vel cohæreant vel non cohæreant, & citra tale decretum de talibus cohærentiis, providentia non esset infinita; quum enim quædam futura contingentia cohærere dicat Scriptura, & determinatè à Deo fore prædicantur, ac proinde præsciantur ita fore, ut non possint non fore, necesse est habeant determinatam veritatem: at non habent ex se & citra Dei decretum talem veritatem. Ergo à solo Dei decreto. 2. Nihil fortuito esse, evenire aut alteri cohærere potest bruto fato, aut cæcâ fortunâ, aut vano casu, Ergo per providentiam Dei. 3. Necessariò fatendum, connexiones ejusmodi à Deo decerni, quia alioquin Deus ne quidem dicendus esset velle concatenationem, vel cohærentiam salutis æternæ & fidei & obedientiæ reproborum, attamen extrema connexa, nempe obedientia & salus æterna reproborum nunquam sint à Deo decreto. Quod verò Deus approbante voluntate talem concatenationem voluerit, ac proinde decreverit, patet ex verbis Dei *Gaino* Gen 4. 7. *Nonne si bene feceris, susceptus eris.* Et Prov. 1. 24. *Quandoquidem invito & renuistis, extendo manum meam & nemo advertit.* 26. *Ego quoque in calamitate vestrâ ridebo*, Act. 13. 46. *Postquam autem illum* (sermonem vitæ) *repellitis, & indignos vosmet vitâ æternâ judicatis, ecce convertimus nos ad Gentes*, Mat. 23. 27. Joh. 8. 21, 22, 23. Joh. 5. 39, 40. Act. 18 4, 5, 6. Act. 28. 23, 24, 25, 26. 1 Thes. 2. 13, 14, 15, 16. Neque irritum est decretum Dei, etsi Deus extrema connexa nunquam decreverit, quia Deus intendit in hisce gloriam justitiæ, & nunquam intendit obedientiam finalem & salutem reproborum.

Decreta concatenatio extremorum quæ nunquam in rerum naturâ futura sunt futura, arguit perfectissimam in Deo providentiam, neque irrita sunt talia decreta.

Qu. 17. An in Deo glorioso necessitas naturæ in agendo ad extra, & necessitas hypothetica sese compatiantur, & eædem

esse queant necessitates? Respo. affirmativè: nam ratione modi agendi & divinæ constantiæ & immutabilitatis, Deus necessariò creat mundum, si creare decrevit, & tamen liberè creat, ratione rei ad extra productæ. Quo modo libertas & immutabilitas in Deo consistant, est mysterium quod credo, non comprehendere me vel jactito vel glorior.

Impossibilis est actio causæ secundæ absque actione primæ.

Qu. 18. An creatura posset operari sine prima causa concurrente? Respondeo negativè, quia actio illa facta à creatura citra Deum, esset actio conservata sine Deo. Quia producta sine eo Et sic si una creatura conservaretur ad horam sine Deo, & non relaberetur in primum purum non ens, etiam & omnia, & si omnia entia starent sine Deo, sine eo creari potuerant. 2. Hæc actio quæ fit sine Deo, fit contra ejus voluntatem & casu, & esset hæc actio præsens attamen ab æterno non erat futura, quia per nullum decretum Dei erat futura, & alia causa futuri non est possibilis, & sic præsens esset & nunquam tamen futura. Item suboriretur præsens actio, vel Deo sciente vel nesciente, non Deo sciente, quia inciperet Deus scire actionem quam antea nesciverat, vel non sciverat, quod idem est: si fieret ea Deo nesciente, Deus esset non Deus quia creatura est actura id quod Deus neque vult neque scivit. Et sic nihil absurdi, si plures alii mundi, Deo invito & nesciente, crearentur, si vero una actio potest fieri, Deo non concurrente, nec providente etiam & omnes: & potuisset crucifigi filius Dei, subsistere mundus, omniaque in cœlo & in terris fieri, quæ fiunt, absque Dei providentiâ & scientiâ. At vero posito, quod res ad extra sint à Deo creatæ, Deus necessitate naturæ circa eas, actus scientiæ, voluntatis & actuosæ providentiæ, exerceat necesse est, quia Dei manutenentiâ cessante, omnia in nihilum revocaretur. Deinde necesse est esse effectivum quod à solo Deo manat, effectivè sit in omni actione creaturæ, hoc autem à causâ secundâ fluere non potest, nisi causa secunda suppleret vicem primæ, quod est impossibile.

Necesse est Deum præmovere causam secundam ad agendum, & impium est hic commisci duos simultaneos collaterales & independentes influxus Dei & creaturarum.

Qu. 19. An rectè *Jesuitæ* Deum movere causam secundum ad agendum, concursu non prævio, sed simultaneo docent. Respondeo *Jesuitæ*, uti *nequam Davus*, omnia turbant, quia

Deus

Deus est causa actionis ignis, habitus fidei, tum prout illa actio est à Deo, tum prout est à causâ secundâ, quia Deus facit nos facere, Ezek. 36. 27. at vero causa secunda est causa actionis, prout est à seipsâ, at non est causa actionis causæ secundæ, prout ea actio est à Deo. Tum 1. Quia nos non facimus, ut Deus concurrat, sicut ille facit ut nos. 2. Quia est in Deo & ejus concursu aliquod infinitæ, principalis & absolutæ primæ causationis quæ solius Creatoris est propria: at impossibile est ut pars tantilla causationis Dei, ipsi detrahatur & creaturæ adscribatur, nisi creatura realiter ageret in Deum concurrentem adillius concursus productionem quod monstrosum est. 3. Quia duorum simultaneis operationibus eundem lapidem portantium, alter alterum ad agendum & portandi actum minimè præmovet, at Deus efficit ut Sol oriatur, mare reciprocetur, aquila volet, *sanctè ambulent in DEI mandatis*, ut Scriptura testatur. Deut. 30. 6. Ezech. 36. 26 Jer. 31. 31, 32, 33, 34. c. 32. 39, 40. Job c. 37. c. 38.

Qu. 20. Dicunt *Jesuitæ* Deum dare ut secunda causa operetur non præmovendo, nihilve reale in causâ secundâ ponendo nonne hoc sufficit? Respondeo, *Jesuitæ*, Juventutem improbâ Philosophiâ, in toto orbe Christiano, corrumpunt. Nec hoc sufficit, 1. Deus non potest esse causæ secundæ efficax ratio agendi, nisi actu præmoveat causam secundam ad agendum, quippe esse operativum habitualiter & in potentiâ est aliquid reale inditum causæ secundæ à primâ, vel creante vel de novo concreante, ergo etiam multo magis esse actuale principium operandi, erit à primâ causâ & positum quid reale à primâ. 2. Quia actio causæ secundæ sic erit à Deo remotè, ex vi simultaneæ cooperationis, eo quod Deus vim habitualem causæ secundæ indiderit, & causa secunda sese collateraliter & simultaneâ motione actuet, & in actum secundum prorumpit, uti duo simul ad cursum in eodem momento properant, nec hic illum, nec ille hunc ad currendum determinat, neque hic sessor illius equum, neque ille sessor hujus equum calcaribus adigit, quantulum hoc à Durandi sententiâ abest, quod hic suggerunt *Jesuitæ*?

Qu. 21.

Simultaneus Dei & creaturæ influxus evertit dependentiam creaturæ Creatore in agendo.

Qu. 21. An non dependet causa secunda à primâ, quoniam actio causæ secundæ non potest esse sine actione primæ eâque simultaneâ, quia etsi una actio possit esse ab utrâque, prout tamen est ab unâ, non potest esse ab aliâ? Respondeo, at causa prima æque dependeret à causâ secundâ, hoc modo, atqui secunda dependet à primâ, quia Deus non potest actus vitales credendi sperandi, diligendi in homine producere, absque actione vitali hominis. 2. Cum actio causæ secundæ, etiam prout est in actuali tendentiâ ad actum & actionis efficaciam, sit ens per participationem, non autem ens per essentiam, neque ab ipsâ actione actuali creatâ, potest esse actio actualis creata (est enim hoc impossibile) necesse est ab ente primo per se, nempe à Deo fit. 3. Ut actio est ab unâ causâ optimè potest esse ab aliâ, quando illæ causæ sunt subordinatæ, licet non sub eâdem reduplicatione. At secus se res habet, cum causa prima & secunda, finguntur causæ coordinatæ & parallelæ, *Jesuitæ* principium petunt, nec potest una actio esse à duabus causis collateralibus hoc sensu.

Simultaneus Dei & creaturæ influxus infert duo prima principia.

Qu. 22. Sequiturne secundam causam esse collateralem primum simpliciter operans cum Deo primo operante, & statui, cum *Manichæis*, duo prima principia, si Deus & creaturæ sint duæ causæ simultaneæ? Respondeo optimè sequitur. Nam ignem esse principium actu applicatum, in actus exercitio ad comburendum, voluntatem ad diligendum actu, vel est a se, vel à Deo, vel à tertiâ causâ communi utrasque causas collaterales determinante, non est hoc à se, quia quod non est ens à se primum, non est primum operans à se, *Jesuitæ* docent ad rationem primi moventis sufficere quod habeat esse à se, at cum omnis causa secunda habeat esse à Deo, non erit primum movens, at hoc est quod Durandistæ docuerunt, Deum esse primam causam calefactionis, quia virtutem calefaciendi dedit igni, hoc est quod *Ludovicus a Dola* & alii docent. At vero quoniam nullum ens habet esse à se, neque actu operari & se ad operandum primo determinare erit à causâ secundâ. Respondent Jesuitæ *causam secundam non esse primum movens eo quod nequeat operari sine concursu simultaneo D. E. I.* At verò sic, neque Deus erit prima causa in actionibus vitalibus, quia Deus nequit actiones vitales absque

simultaneo

simultaneo concursu principii vitalis producere: si verrò actu operari sit à Deo, habemus quod volumus. Si tertium dicatur, nempe, quod detur tertia communis causa determinans & primam & secundam causam ad agendum (quod necessario hoc casu dicendum) dabitur 1. causa prior primâ causâ. 2. Hæc erit, Deus quidam supra *Creatorem Cæli & terræ.* 3. Causa hæc actuabit habitum, vel potentialem vim causæ secundæ ad agendum. At verò cum sint duæ causæ simultaneæ in agendo, erunt coordinatæ, & sic non subordinatæ in agendo, nam non potest prima causa applicare secundam ad agendum, secundum *Jesuitas*, neque potest secunda applicare primam ad agendum, secundum *Theologiam* sanam, aut rectam rationem, neque scire potest Deus, sine causa secunda influentiam suam contributura, nam scientia media vacillat, si non exulat: & cum absoluta & æquè independens sit causa secunda in ratione imperandi, & quidem primo operandi influxu æquè primo, & dominio tam supremo, quam est ipse Deus, quomodo Deo constabit de volitione potius quam de nolitione, de exercitio illuminationis in Sole Metaphysicè infallibili & indeclinabili? quia penes creaturam æquè primo operantem cum Deo, non penes *Creatorem* est causatio actualis, secundum *Jesuitas*, nam Dei influentia est prius terminata in effectum causæ secundæ, quam in causam secundam prioritate virtutis seu potentiæ, non prioritate actus seu exercitii, si illis ducibus adhærendum sit.

Qu. 24. Estne satis ad hoc ut Deus dicatur non cæco & casuali modo concurrere cum causâ secundâ, quod sciat per scientiam simplicis intelligentiæ, causam secundam suam influentiam contributuram, si nulla adsint impedimenta? nam causæ secundæ ex se sunt determinatæ ad agendum, cum sunt naturales, & causæ liberæ operabuntur, nisi Deus impedierit, at satis scit Deus, an ipse sit impediturus. Respo. 1. Non est satis ad exercitium actus, metaphysice, indeclinabile, & inevitabile, quod Deus sciat causam secundam acturam, si non adsint impedimenta. Hæc cognitio est *Angelis* communis cum Deo, at eminentior scientia Deo, quam *Angelis* tribuenda. 2. Causæ naturales sunt ad agendum determinatæ, quoad specificationem,

Simultaneæ influentiæ eventum Dei scientiam certam.

non quoad exercitium, de quo queritur, ut fatentur *Jesuitæ Conimbricenses*, nam potest Sol non oriri cras, si intervenerint aliæ causæ naturales efficaciores ad impediendum, has autem alias causas, Deus non potest præmovere, sed simultaneæ creatæ providentiæ & determinationi primæ creaturæ rem committit, ut placet Jesuitis. Non ergo scit Deus an sint determinatè acturæ. 3. Causæ liberæ non sunt tamen ad agendum determinatæ, sed quoad exercitium actus absolutè & independenter indifferentes, & quomodo Deus hanc indifferentiam tollat, stante libera applicatione voluntatis ad agendum vel non agendum, cum his conditionibus quas ponunt *Jesuitæ*. 1. Quod influxus voluntatis creatæ sit simultaneus. 2. Quod sit naturâ prior influxu primæ causæ, 3. quod in actuali exercitio sit independens à Deo, in ratione actualis causationis, licet non virtutis, absolutione quidem Deo superabili, nisi per Omnipotentiam annihilaret voluntatem, ne concipi potest.

DEUS non efficit ut causa secunda agat, stantibus influxibus simultaneis.

Qu. 25. An Deus esset dicendus movere *Solem* ad illuminandum, si non esset Author illius illuminationis, prout est à *Sole*? Respo. Non esset Author illius illuminationis, prout est à *Sole*, licet esset concausa illius illuminationis quæ est à *Sole*. Neque haberet Deus dominium ullum in usu vel non usu operationum creaturarum, quia in applicatione ad actuale exercitium vel in non applicatione omnis causa secunda haberet omne & solum hoc dominium, & nullam haberet Deus providentiam. Tolle dominium providentiæ & tolles providentiam ipsam.

Influxus Dei in causam secundam non est qualitas permanens inhærens causæ secundæ.

Qu. 26. An ergo causæ secundæ, quoties actu agit, impressa est aliqua qualitas realis & permanens, & in quânam categoriâ est hæc qualitas? Respo. Licet multi *Thomistæ* gravissimi, qui strenuè sese *Jesuitis* opponunt, dicant esse qualitatem permanentem, uti sunt colores in collo columbæ. Ego tamen admodum dubito, puto esse aliquid reale, imò esse efficaciam impetii divini concursus, per quam causa secunda aliquid est ultra quam quod sit operativa, nempe, quod actu operetur, sed impulsum efficacem esse crederem, qui non est propriè extra Deum, uti motio serræ ab artifice, pennæ à scriptore, gladii à milite, non est qualitas realis permanens, quæ subjectivè inhæreat serræ, pennæ,

pennæ, gladio, est in serrâ, pennâ, gladio, aut potius effectus ejus ad modum qualitatis transeuntis recipitur in serrâ, pennâ, gladio, & talis effectus aliud nihil est, quam actu & efficaciter operari, eo quod prima causa impellat secundam.

Qu. An Adamus libere peccaverit, si subtracta fuerat aliqua influentia DEI, qua fieri non potuit, quin necessario laberetur? Respondeo affirmativè. Quia actus liber non est liber in relatione ad prædeterminantem DEI influctiam, sed in hoc quod ex præeunte judicio, ex vi electivâ potuit in eum actum prorumpere qui, subtracta tali influentiâ, est necessario malus & lege DEI vetitus, & quidem interpretative etiam Adamus voluit absentiam illius influxus prædeterminantis, qui necessarius fuit ad esse simpliciter obedientiæ Adami; qui contrarium tuentur sententiam, negant DEUM ab æterno decrevisse omnes actus liberos, negant providentiam DEI, cum *Sozinianis* & *Arminianis* adversus causam DEI conspirant.

Adamus libere peccavit, etsi subtractus fuerit influxus DEI, sine quo non potuit non labi.

Qu. 27, An non eâ subtractio fuit pœna peccati præcedens peccatum? Respondeo negativè. Neque fuit malum culpæ, neque pœnæ, sed negatio libera indebitæ influentiæ? *Quia prior dedit DEO, & ei compensabitur?*

Qu. 28. Quomodo ergo habuit Adamus posse velle, si voluisset stare? Respondeo optimè, quia retinuit posse suum in relatione ad actum suum liberum & non dicendus est retinuisse posse DEI, ut *Arminiani* ludunt, quia id nunquam habuit. Fuisset enim sic Adamus absolutus & independens Dominus divinorum concursuum, decretorum & dispensationum, in quam sententiam superbam, spero me, per DEI gratiam, nunquam iturum. Omnia etiam Adversariorum argumenta probant DEUM non habuisse libertatem præstandi vel non præstandi concursum suum, ego mallem stare à DEO quam ab hominibus.

Qu. 29. An si futurum contingens necessario evenit, sive ex naturâ suâ, sive ex decreto DEI aut quacunque causâ, sequitur semper futurum esse & nunquam fore præsens, quia quod necessario convenit, id convenit rei inseparabiliter & immutabiliter. Respondeo hoc est sophisticari non argumentari. Quia sophista sic arguens somniat futurum contingens nullam suæ futuritionis

Necessitas ex decreto non convenit rei decretæ per se & semper.

necessitatem habere à decreto quia sic semper esset futurum, si necessario esset futurum, cum tamen necessitas ex decreto rei decretæ extrinsecus adveniat, neque est necessitas per se, simpliciter & inseparabilis, quali necessitate necesse est hominem esse animal. 2. Quia sic arguens credit futurum contingens esse mere possibile, & tamen fatetur actus supernaturales electorum ab æterno decerni. Ergo sunt necessario futuri ab æterno, sed juxta hoc disputatoris cujusdam in manuscripto argumentum, ejusmodi actus necessario essent futuri, ergo immutabiliter & semper futuri & sic nunquam præsentes erunt. 3, Futurum contingens erit ab æterno indifferens ad esse & non esse, ut volunt *Sociniani*; & sic futurum & non futurum, imo sic nihil est futurum antequam sit præsens, nam cum hic *disputator* dicat *eosdem esse causas rei præteritæ & præsentis & futuræ*; & negat Deum esse causam rei futuræ, quia *sic esset causa peccati futuri*, necesse est. 1. Neget futura habere ullam causam, quia causæ sese determinanti in præsenti, & quæ sese in præterito determinaverunt, non possunt ab æterno futuras determinationes facere, quia nihil temporale potest id causari quod est ab æterno. 2. Inde necessario sequitur nihil est futurum, vel necessariò, vel contingenter. Nam est eadem ratio necessariorum & contingentium futurorum, quia causa necessaria in tempore agens non magis potest esse causa futuri necessarii, quam futuri contingentis: At sic *Esaiæ* Tempore & Prophetarum falsæ erant hæ, neque ullam veritatem aut fundamentum in re, vel in Dei decreto habuerunt (*virgo est paritura Immanuelem*) (*filius DEI crucifigendus est*) (*CHRISTVS redimet Genus humanum*) (*CHRISTVS Asino inequitans, Hierosolymam cum triumpho ingredietur*) *Apostoli prædicabunt Evangelium*) nam causæ actu operantes harum rerum in præsenti, Prophetarum Tempore, non omninò fuerunt neque hæc vera fuit hesterno die (*cras sol orietur*) quia causa in præsenti operans non fuit heri, (3) sequitur omnia futura esse præter & citra Dei voluntatem & providentiam & respectu Dei voluntatis & intentionis casu, & fortunâ cœcâ in præsenti evenire, quia neque futura erant, neque prædici à Deo poterant, neque futuritionis causam habebant, (4) Impossibile est eandem esse

Adversarii negant omne futurum, dum negant futuri causam esse Dei decretum, aliamve habere causam quam præsentis actionis causam.

rei

rei futuræ & rei præsentis & præteritæ causam. Ideæ practica in mente & intentione fabri intendentis cathedram sequenti anno fabrefacere, & faber actu de præsenti fabrefaciens, non sunt plane eædem causæ, neque idæalis Cathedra in artificis animo & decreto, & materialis Cathedra actu fabrefacta, sunt plane eædem Cathedræ, & per eandem rationem res à DEO decretæ & futuræ, & res à DEO creatæ non habent easdem omnino causas, neque res omnino eædem sunt, ut somniat *Disputator.*

Objicit *disputator. Si res sit ab æterno, nullam habet causam, nulla enim res est ab æterno præter* D E V M, *& si res erant futuræ ab æterno, tum non erant ab æterno, nimis aperta fallacia est, Homerus est poeta, ergo Homerus est. Nèg futuritio facta est ab æterno, quia nihil factum est ab æterno. Vbi enim existebat futuritio, Quicquid enim existit, aut est Creator aut Creatura. At certi futuri nulla est causa.*

Respondeo, disputator supponit nos opinari futuritionem rerum ab æterno esse ens reale, & quid ab æterno creatum aut DEO coæternum, quod minimè docemus, at quamvis quid sit futurum haud quaquam definire valeremus, non sequitur nihil aliud futurum aut futuritionem esse quam quod nobis definit *Disputator.* Nam quicquid sit, futurum, non est mere nihil, est enim res in DEI decreto quæ esse non dum habet, sed habitura est. 2. Est quid à DEO decretum. 3. Est objectum scientiæ DEI, Esai 41.23. *annunciate nobis quæ in posterum futura sunt, ut cognoscamus vos esse Deos.* (4) Est quid prædictum à DEO & à Prophetis DEI. Esai. 41. 22. Esai. 7. 7, 14, 15, 16, 17. Apoc. 1. 1. (5) Futurum aliquid amplius est quam purum possibile. Quia DEUS præsciens & prædicens aliquid certò futurum, præscit & prædicit longe aliud quam mere possibile, quod potest evenire & potest non evenire, alioqui nulla esset certitudo scientiæ DEI & prædictionum Prophetarum; quod absurdum. 2. Non est similis hæc consequentia. *Homerus est poeta, ergo Homerus est.* Talis, *Futurum est ab æterno, ergo futurum existit, vel factum est, vel creatum est ab æterno.* Quia futurum non est simpliciter, neque existit, neque est creatura actu, sed est creatum quid in potentiâ & virtute, in consilio & decreto DEI. Ideoque falsissimè dicit *Disputator.*

Futurum non est mere nihil.

Disputator negat futura, quia nescit quid sit futurum.

Ego verò dico omne futurum fore in tempore, ac proinde futuritionem ejus esse in tempore. Nam contradictionem implicat *futuritionem rei esse in tempore* cum re quæ est futura, erit enim sic simul futurum & præsens, & hoc est, simul esse futurum & non futurum, nam futurum coexistens in tempore cum præsente, est non futurum. Quid an mundi futuritio æterna non est nisi in tempore cum mundo existente & creato? At, quæro à te, Disputator, num DEUS ab æterno præsciverit & decreverit futuritionem mundi, antequam creatur: certe hoc Scriptura ait. Prov. 8, 24 25, 26, 27, 28, 29, 30, 31. At vel prescivit & decrevit DEUS ab æterno, *quid ab æterno factum, vel nihil ab æterno factum?* Deinde ubinam, quæso, *existebat futuritio mundi*, antequam creretur mundus, ubi existebant, ab æterno, futura filii DEI incarnatio, mors, sepultura ascensio in cœlos, futura prædicatio *Evangelii*, quæ facta est Gentibus? nonne hæc omnia terminative existebant (si liceret uti tale voce) in DEI scientiâ, Omnipotentiâ & decreto? Dicetne Disputator futuritionem æternam extremi judicii, esse in tempore cum extremo judicio? At futuritio judicii illius fuit, mille ab hinc retro annis, at vero sic judicium extremum fuit etiam elapsum, mille ab hinc retro annis, non est ergo hodiè futurum extremum judicium. 3. Hinc liquet Disputatorem non credere DEUM decrevisse futura, antequam actu sint, at fides hæc est *Sociniani Volkelii*. Omnia ergo magna, parva, necessaria, contingentia, quæ consilio, quæ casu eveniunt in tempore, nullo DEI æterno consilio, nullo decreto, nullâ sapienti prouidentiâ DEI facta sunt in tempore, sed temerariâ volutatione cæcoque fortunæ impetu. Objicit Disputator.

Disputator ait futurum esse præsens & non futurum.

Volkelius de Religi. vetâ c. 23. col. 147. 176. c. 25. 176.

Si DEVS decrevit cras fore pluviam, cras pluet consequens pendet ex decreto DEI, at necessitas consequentiæ nunquam pendet ex decreto DEI, tum quia DEVS non potuit aliter decernere, non enim potuit decernere, ut quod decrevit, non fieret; tum quia progressus esset in infinitum: Si dicretur DEVM decrevisse, ut id quod decrevit, necessariò futurum sit, quæri enim posset num necessitas illius decreti sit aliud decretum DEI, & sic in infinitum, siquidem necessitas & veritas omnis veræ enunciationis pendet ex decreto DEI.

Respondeo

Respondeo. Mirum est quænam hæ sint argutiæ. Nempe necessitas consequentis pendet ex DEI decreto, non consequentiæ, at si crastina pluvia est necessaria ex DEI decreto, cur consequentiæ hujus necessitas offenderet *Disputatorem* non video. *DEVS decrevit eas fore pluviam, Ergo necessitate decreti DEI eas pluet.* Sed exosa est *Disputatori* omnis rerum & consequentiarum Logicarum necessitas manans ex decreto DEI: quia posito decreto DEI, futura contingentia eveniunt nullâ necessitate, sed decreto DEI posito, possunt contingentia futura tandem actu evenire, vel nunquam evenire, ut placet *Socinianis*. At non respuit Scriptura necessitatem rerum vel consequentiarum ex decreto DEI, quoties dicitur, *necesse est eveniant scandala, oportet Scripturas impleri. Nonne oportuit hæc fieri?* Imo, quæro, an non arguit Scriptura à promissis Euangelii, à fœdere gratiæ, consequentiâ necessariâ & insuperabili, à juramento DEI, non minus quam à decreto ad inferendum necessario fore beneficia & consolationes, quas homines fidei actione planè contingenti recipiunt, uti videre est, *Psal.* 89. 24, 25, 26, 27, 28, 29, 34, 35, 36, 37. *Heb.* 6. *v.* 16, 17, 18, 19. *Jer.* 31 35, 36. *c.* 32. 39, 40. Jam & quod DEUS promittit, & se facturum, interposito sacramento juramenti, dicit, id necessariò est futurum, at nemo dicit necessitatem hanc ex aliâ promissione & juramento in infinitum pendere. Neque opus est ut ab alio decreto in infinitum fluat necessitas consequentiæ, nam & rerum & consequentiæ necessitas ab eodem DEI decreto manat. Neque omne futurum est ens complexum & *ennnciatio*, multa enim futura decreti & scientiæ divinæ objecta incomplexa sunt. quæ dum præsentia evadunt, terminant creationem, ut mundus, homo, Angelus. 2. Deniq; *Disputator* reddit nobis quærentibus causam actionis liberæ futuræ causam liberam de præsenti agentem, & pervertit statum quæstionis, & principium petit. Quæstio enim est de causâ actionis liberæ non simpliciter, sed quatenus ab æterno futura sit. *Disputator* verò reddit causam liberè in tempore agentem, cum quæstio sit quænam sit causa, an non solum DEI liberum decretum causa fuerit, cur ab æterno futurum fuerit, ut libera voluntas *Petri, Pauli*, &c. suo demum tempore agat & credat.

Disputator egre ferat ullam rerum necessitatem quæ orta sit à Dei decreto.

Disputator causam actionis præsentis reddit pro futuri causa. Quid sit futurum.

Disputator

Disputator metuens suæ causæ ruinam non audet assignare DEI decretum cur ab Æterno futura fuerit hæc actio libera: respondet enim voluntatem *Petri*, *Pauli* hâc horâ liberè credentem, causam unicam & solam esse cur ab Æterno futurum fuerit, ut *Petrus* jam credat. Quod certe est negare decretum gratuitæ electionis Æternum esse causam cur *credant omnes qui ad æternam vitam ordinati sunt*, contra Scripturas. *Act.* 13. 38. *Rom.* 8. 29. *Rom.* 11. 1, 2, 7. 1 *Pet.* 1. 2. 3. 4.

Qu. 30. Quid vero est futurum? Respondeo est res idæalis & objectiva in DEI voluntate & decreto quæ suo demum tempore actu præsens erit. Vel est habitudo seu respectus rei nondum actu extra nihil existentis, quæ cum sit in intentione DEI, ipsi DEUS suo tempore essentiam & existentiam realem daturus est.

Qu. 31. Est ne absurdum dicere futuritionem peccati fuisse in DEO ab æterno, aut futuritionem peccati in Spiritum Sanctum esse in DEO? Ita Disputator. Respondeo, at ego futuritionem omnium peccatorum esse ab æterno in DEI decreto permissivo crediderim. Unde lectoris judicio hæc disputatoris verba committo. *Hinc patet*, (inquit) *causam cur verum sit ab æterno non semper assignari posse DEI decretum, & proculdubio etiamsi verum sit, aut supponatur esse verum, DEVM quædam futura non decreviſſe ut lapsum Adami & alicujus peccatum in Spiritum Sanctum, nihilominus illæ propositiones sunt ab æterno veræ, quia scilicet sunt necessariæ ex hypothesi, cum supponantur & fuisse futura, aut jam accidisse.*

Argumentum Disputatoris adversus futuritionem peccatorum æternam, æquali robore militat adversus futuritionem æternam rerum omnium.

Respondeo 1. *Disputator* nondum probavit *causam cur verum sit ab æterno assignari non posse DEI decretum, & verum esse proculdubio DEVM quædam futura non decreviſſe ut lapsum Adami* & tamen proculcubio DEUM alia omnia futura, ut incarnationem *Filii* DEI, liberam obedientiam omnium Electorum eorumque finalem perseverantiam & omnia bona, quæ in tempore eveniunt, decreviſſe. Quia argumentum Disputatoris concludit *verum ab æterno proculdubio esse DEVM* nulla omnino futura vel bona vel mala decreviſſe, sed respondeat suo argumento Disputatur *ubi existebat ab æterno futuritio bonorum* potius *quam malorum*? 2. An ea futuritio bonorum sit facta ab æterno an *in tempore* an sit *Creator an Creatura*, *an erat in* DEO *an extra*

DEVM,

DEVM, si in DEO, vel est in scientiâ DEI vel in voluntate seu decreto DEI. Omnia autem absurda quæ in nos accumulat Disputator, eo quod statuamus futuritionem peccati esse in decreto permissivo, sequentur ex ipsorum sententiâ qui volunt futuritionem bonorum esse in decreto effectivo, nam quid est, aut ubi existebat, ab æterno, futuritio mundi, hominum, Angelorum, animalium, ovium, piscium, reptilium, incarnationis Filii DEI, vocationis Judæorum, Gentium, fidei & obedientiæ Sanctorum, quia omnia futura erant ab æterno, dicas, Disputator, oramus & obtestamur per tuum candorem, *quicquid enim existit, te Judice, est vel Creator vel Creatura.* At futuritio mundi, hominum Angelorum &c, non potest esse ipse mundus, homines, Angeli, &c. Quia. 1. Sic futuritio creaturæ esset creatura, quod absurdum. 2. Sic quod est ab Æterno, non esset in tempore; Nec est futuritio harum rerum, Creator ipse, blasphemia major est hæc, quam ut refutatione egeat, sed revera, argumenta Disputatoris concludunt, nihil sive bonum, sive malum ab Æterno futurum, at ego concludo, nihil ergo in tempore præsens esse, nihil præteritum. Nec dici potest, *aliam longè rationem esse futuritionis peccatorum, de qua Disputator, & futuritionis bonorum quæ in tempore fiunt,* nec ego hoc inficiabor. Sed non magis futuritio bonorum quam peccatorum ab Æterno est vel *Creator, vel creatura,* & argumentum hoc Disputatoris est contra futuritionem omnium rerum sive bonarum sive malarum 2. Concedit Disputator, *istas enunciationes ab æterno veras & ex hypothesi necessarias esse (futurum est primum peccatum Adami) (futurum est peccatum in Spiritum Sanctum)* quanquam nulla est ratio cur non diceret Disputator omnia peccata æque ac illa duo ab Æterno esse futura, nam est par necessitas ratione decreti permissivi in omnibus, nec DEUS magis author esse potest levissimi peccati, quam peccati in *Spiritum Sanctum,* sed invidiæ conflandæ nobis gratiâ placet Disputatori instantiam adferre in illis duobus. Est quidem benigna hæc Disputatoris concessio, verum enim vero, si futurum est ab Æterno primum Adami peccatum nec non peccatum in Spiritum Sanctum, & quidem necessario necessitate ex hypothesi, tum vicissim quærimus à Disputatore, *Vbi existebat futuritio horum peccatorum.* Num *talis futuritio facta est ab æterno an in tempore facta,* an *Creator an Creatura.*

Solve tuum argumentum, Disputator. Deinde unde necessitas ex hypothesi, an à primo necessario?

Ordinabile ad bonum per se convenit peccato.

Qu. 32. An ordinabilitas ad bonum conveniat peccato per se an vero per accidens. Disputator opinatur, absurdum esse bonum per se convenire peccato aut malo, ideoque & ordinabilitatem & actu ordinari convenire peccato per accidens. Si enim risibilitis per se homini conveniat, etiam & ridere.

Resp. Non possum huic sententiæ *Arminianæ* accedere. 1. Quia nihil impedit bonum utile quod suo modo est bonum per se, convenire per se sectioni venæ aut medicinæ admodum molestæ, & nihil impedit ordinabilitatem & actu ordinari ad illustrandam gloriam justitiæ punientis & misericordiæ parcentis per se convenire peccato. Nam nihil est per se ordinabile in gloriam justitiæ ultricis, nisi peccatum, sicut omne, solum & semper peccatum est punibile per justitiam vel condonabile per misericordiam, fateor peccatum neque per se neque per accidens esse bonum honestum, sed ei planè oppositum. 2. Quid impedit peccatum esse per se bonum appetitui sensitivo & affectibus & voluntati corruptæ jucundum? 3. Ordinabilitas dicitur sic ab actu ordinandi in DEO, jam DEUS dicitur duobus modis ordinare peccatum, vel ab Æterno, vel in tempore. Ab Æterno autem DEUS ordinat peccatum bifariam rursus, vel ut sit peccatum, vel ut peccatum jam ordinationi Æternæ & decreto præsuppositum puniatur aut condonetur. Priore modo non admittunt *Arminiani* DEUM ordinare aut decernere ut sit peccatum, quanquam negare non debent DEUM permissivè ordinare ut sit peccatum. Neque mihi aliquid potest esse per se objectum decreti permissivi nisi solum peccatum, nihil enim DEUS vel permissivè vel effectivè decernit aut vult per accidens, nam necesse sic daretur alius DEUS prior qui decernat per se; at quisnam ille sit, edoceant Adversarii: At si ordinare sumatur pro Æterno decreto quo statuit DEUS punire peccatum, aut condonare peccatori, sic DEUS neutiquam dicendus est decernere per accidens punire peccatum, sive τὸ per accidens referatur ad actum decernendi vel ad actum puniendi aut condonandi propter rationes supra dictas. At si τὸ ordinare notet actum temporaneum & actualem DEI directionem peccati ad bonum gloriæ divinæ tum justitiæ, tum misericordiæ, hæc ordinatio non est actio distincta

DEUS quomodo in tempore & ab æterno ordinet peccatum

ſtincta ab actu puniendi & condonandi peccata. Quia ordinatio hæc eſt actualis Dei deductio gloriæ ſuæ è peccato; at hæc ipſiſſima eſt puniendi, & condonandi actio. Et ſic peccatum eſt per ſe, & quia peccatum, punibile, vel condonabile: at vero peccatum non punitur aut condonatur per accidens (hoc enim dici non debet, cum ſolum peccatum puniatur aut condonetur) neceſſariò ſequitur Deum per ſe punire & condonare peccatum, non autem per accidens.

Qu. 33. An voluntas ſigni ſit impropriè & metonymicè voluntas Dei? Reſp. Voluntas ſigni, prout notat gratam & acceptam Dei voluntatem revelantem nobis quid ſit noſtri officii, dicitur voluntas approbans, contradiſtincta à voluntate beneplaciti, & refertur ad duo. 1. Ad id quod nos credere aut facere tenemur, tanquam quid obligativum conſcientiarum, ſiquidem Deo placere & præmium obedientiæ conſequi velimus. 2. Refertur ad obedientiam hanc quatenus Deus eam actu in nobis præſtat vel per gratiam ſpecialem vel per communiorem concurſum. Prior voluntas eſt complacentiæ, & propriè dicta voluntas, cujus objectum eſt officium creaturæ rationalis. Hoc modo ſeriò Deus approbat & vult obedientiam, & complacet in hoc bono morali ut in regulâ & normâ, & eſt non minus voluntas quam illa quæ beneplaciti dicitur. At poſteriore modo non eſt voluntas exequutiva uti voluntas beneplaciti, nec Deus vult, intendit aut decrevit per gratiam aut concurſum operari in creaturis quod mandat, aut vetat, quia mandat aut vetat. Et hoc modo *voluntas ſigni* tam impropriè dicitur ſigni voluntas quam punitio dicitur ira Dei, quia nempe Deus puniens id facit, quod facere ſolent homines irati, & paſſione iræ excitati & commoti, cum tamen non cadant in Deum paſſiones.

Quatenus voluntas ſigni ſit voluntas.

Qu. Quale eſt illud eſſe quod res futura ab æterno habet? Reſ. Non eſt eſſe rei, non eſſe reale, non eſſe actuale, quia cum futuritio ſit quidam modus entis, modus entis non poteſt eſſe realis, aut actualis, & quidem ab æterno, uti mundi futuritio, vel mundus futurus erat ab æterno; cum ipſa res quæ eſt futura minimè ſit ab æterno, mundus enim ipſe ab æterno minimè fuit, ſed in tempore creatus eſt. Vel ſic, Futuritio rei non eſt ipſa res futura, quia futuritio

Cujuſmodi eſſe habeant futura ab æterno, nempe objectivum, non reale.

Futuritio & res futuræ differunt.

est ab Æterno, quodcunque demum sit, sive ens reale, sive modus entis, seu ens objectivum: at ipsa res futura est ens creatum & in tempore ortum. Non est itaque absurdum, modum entis objectivum & potentialem esse ab Æterno in intellectu & voluntate Dei, & tamen ipsum ens reale non esse ab Æterno sed in tempore ortum creatumque à Deo. Imo futuritio cathedræ nondum fabrefactæ multos annos potest esse in mente & intentione seu voluntate artificis antequam ipsa cathedra vel lignum ex quo fit cathedra existat, fiat, vel enatum sit è semine arboris: nihilque decantatius quam rei desiderium, rei volitionem, intentionem rei, ejusque in mente idealem & intellectualem efformationem in intellectu & voluntate antecedere in mente & voluntate agentis intellectualis vel per annos multos, vel ab Æterno, rem ipsam realem quæ in tempore orta est. Illud itaque *esse* quod res futura ab Æterno habuit, non est ens reale, sed esse ideale, objectivum, representativum, intellectuale in intellectu & voluntate agentis intellectualis. Possunt ergo rerum creatarum possibilitates & futuritiones ab Æterno modificari ab Æternitate, & ab eâ ambiri, & tamen ipsæ res secundum suum esse reale minimè ambiuntur ab Æternitate. Nihil enim ambitur aut modificatur ab Æternitate nisi quod est actu & quod existit; atqui ab Æterno nihil tale erat, nisi beatissimum illud ens increatum. Neque tamen dicendum putem, ipsas rerum creatarum ab æterno futuritiones esse entia rationis, aut mera figmenta & entia imaginaria.

Futuritio rei est æterna & res futura in tempore orta

Qu. Dicitne ergo futuritio nihil omninò reale? Resp. Futuritio passivè sumpta seu res quæ est futura, nihil est reale. Nam de quo prædicatur formaliter τὸ *erit*, vel τὸ *futurum est*, illud nondum est extra causam suam: At de re futurâ, de mundo creando & nondum creato prædicari potest, & prædicatur τὸ *erit*, & τὸ *futurum est*, nempe, mundus nondum creatus, sed creandus, *erit* mundus, sed nondum est mundus. Ratio Majoris quia de creatis entibus impossibile est simul prædicari τὸ *est* & τὸ *erit*, est præsens & est futurum: nam præsens & futurum coexistere implicat contradictionem. At verò futuritio activè sumpta non est planè nihil reale: quia dicit actionem Dei, vel agentis intellectualis creati actionem intellectualem efformantis ideam rei futuræ eamque intendentis & fieri statuentis. Et hæc est ratio cur nos contra *Jesuitas*, *Arminianos* & *Socinianos*

Futuritio activè & passivè sumpta differunt

Scinianos asseramus solam Dei liberam voluntatem fuisse causam cur omnes res ab æterno essent futuræ.

Qu. An futurum ab Æterno erat futurum à causâ secundâ, an verò à causâ primâ? seu an res ideo est futura, quia causa secunda dat ei quod tandem aliquando sit præsens: hoc est, an ideo Sol sit oriturus, quia Sol naturæ impetu nunc oritur? Resp. *Jesuitæ* & *Sociniani*, & progenies eorum *Arminianorum* gens, docent causam secundam esse causam & rei præsentis & rei futuræ. Sed procul dubio non potest causa secunda esse causa adæquata rei futuræ: nam hoc est impossibile in omnibus rebus quæ per creationem & miraculosam *Dei* operationem fiunt: Quia sic causa cur mundus ab Æterno futurus esset per creationem, erit ipse mundus in tempore creatus. Hoc autem est impossibile; nam mundus non est causa in præsente conferens sibi esse per creationem: sic enim mundus sese creasset, aut præbuisset aliquam influentiam causativam ad sese creandum: quod est monstrosum. Ergo mundus non potest esse causa cur ipse esset futurus per creationem. Nec potest aqua aut aliqua creatura causa esse cur futura esset conversio aquæ in vinum: quia de præsenti nulla est causa in aquâ, nulla in vino, nulla in ullâ re creatâ, cur de præsenti aqua transsubstantietur in vinum, nisi aqua sese naturæ vi in vinum transmutasset. Nulla ergo erat causa in aquâ aut vino illius futuræ transmutationis aquæ in vinum. Nec possunt hoc *Jesuitæ* de suâ transubstantiatione somniare. Velim conentur hoc solvere argumentum, qui somniant causam secundam esse causam rerum ab Æterno futurarum. 2. Futurum dicit essentialiter determinationem rei: nam quod est futurum est determinatè futurum: alioqui si futurum esset possibiliter tantum & non determinatè & indefectibiliter futurum, de futuro posset prædicari non futurum: quod enim est possibiliter futurum & futurum per laxam Adversariorum contingentiam, illud est æquè non futurum atque est futurum: & sic futurum esset non futurum, & everteretur discrimen illud inter futurum & possibile, nec non inter futurum & contingens: nam procul dubio futurum superaddit possibili determinationem ad *erit*, at possibile vel contingens (hæc enim mihi parvo discrimine distant) est quod potest esse vel non esse, & neque est propriè futurum, neque non futurum, sed formaliter indifferens ad utrumq;

Quæ creat. sunt in tem. pore non possunt esse causa cur creatura ab æterno futura erant.

Quod est futurum est determinate & necessario futurum.

Jam autem nulla actio est futura determinatè in habitudine ad causam secundam, quia creaturæ proprium est defectibiliter agere, uti Creator solus suos effectus indefectibiliter producit: is enim causa est efficax & insuperabilis & irresistibilis, & quidem causa rerum & essendi & operandi: nam non obstante hoc quod causa secunda sit & ad effectum producendum in procinctu, potest actio esse nunquam futura. Non est enim creatura absoluta & efficax & insuperabilis Domina rerum aut actionum. Ergo non potest esse causa rerum futurarum, præsertim ab æterno. Deus autem est absolutus Dominus, volitionum, & desideriorum & intentionum creaturarum: promittit enim se cohibiturum interna desideria & intentiones Gentium, ut ne concupiscant, neque velint, neque intendant invadere terram Populi Dei quando intentus est Populus cultui Hierosolymitano à Deo instituto; similiter est omnium rerum & actionum invicta & insuperabilis causa, ergo etiam omnium futurorum: cathedra quam anno sequente fabrefacturus est artifex non est simpliciter & determinatè futura, nam posito hoc, quod sit artifex qui eam fabrefacere intendat, fieri tamen potest, ut nunquam fiat, si verò Deus aliquid facere intendit, illud est insuperabiliter futurum. 3. A causâ secundâ non habet ens simpliciter quod sit ens præsens, quia causa secunda non est causa per se seu ens per se, ergo non habet ens quod sit ens futurum ab eâ, at cum Deus sit causa per se & ens per se, ab eo habet ens simpliciter & quod sit ens præsens & ens futurum.

Qu. An aliquid fuerit ab æterno futurum, ex placitis *Jesuitarum*? Respond. Nihil omninò. Cum enim negent Dei liberam voluntatem esse futuri causam, Omnipotentia causa est possibilium, minimè verò futurorum. Et quod causam non habet, non habet esse vel reale vel objectivum. Est ergo futurum ab æterno purè nihil, si credendum Adversariis.

Actus humani non malitia non ἀνομία actuum formaliter imperantur et vetantur.

Qu. Utrum actus, an vero anomia seu malitia actus formaliter prohibeatur? Id enim imperari videtur, quod si facimus sumus formaliter boni, laudandi, præmio afficiendi, beati: at præstando actus entitativos & physicos non sumus boni, non laudandi, non præmio afficiendi; sed præstando actus Legi Dei conformes. Et similiter non simpliciter omittendo actus entitativos physicos,

sumus

sumus formaliter mali, scelerati, vituperandi, puniendi, sed quoniam omittimus actus Lege DEI mandatos: uti *Psal.* 119. 1. *Beati sunt qui ambulant in Lege DEI.* Non qui simpliciter agunt sunt beati, sed qui congruenter Legi & Regulæ à DEO præscriptæ agunt.

Resp. Non mandatur actus formaliter, quia est Legi DEI congruus sed quia mandatur actus ipso, ideo actus fit congruus Legi, si præstetur: ergo non ideo vel propterea mandatur actus, quia est congruus Legi, vel quatenus est congruus Legi, nam sic mandaretur actus, quia mandaretur actus, nam ex mandato formaliter resultat obedientia, quoties præstatur actus, & ex interdicto & prohibitione, quoties actus omittitur, vel vetitus committitur, oritur inobedientia: ex hisce fontibus scaturiunt bonitas & malitia moralis, laus & vituperium, præmium vel pœna, beatitudo vel miseria. Congruitas autem cum mandato aut lege non potest esse: prior naturâ mandato, quia est effectus formalis mandati, & mandatum ratio formalis congruitatis cum actu. Neque actus quâ entitativus & physicus mandatur, quoniam sic omnes actus physici & entitativi vel mandarentur vel vetarentur. Quod patet esse falsum in actibus ab animâ vegetativâ profluentibus; uti sunt, crescere, decrescere, adolescere, senescere, esurire, sitire; qui tamen actus non sunt capaces mandati, aut interdicti, neque tales actus cadunt sub lege ullâ vel divinâ vel humanâ. At in actibus aut etiam inclinationibus duo sunt, quæ fundant rationem mandati & interdicti. 1. Quod sint humani actus aut rationales inclinationes, non purè naturales aut animales ab animâ vegetativâ aut sensitivâ manantes. Non enim propriè datur lex homini quatenus est corpus vivens, aut quatenus est animal, aut ut naturâ genericâ cum bruto convenit. Fateor actus edendi, bibendi, dormiendi, esse actus animales, sed non sunt purè animales, sed in homine fiunt humani eo quod modificentur & limitentur à lege, à ratione: nam tali modo, nempe parcè & sobrie, & propter talem finem, nempe DEI gloriam, imperamur à DEO, & à ratione, manducare, bibere, dormire: & quoniam motiones primo primæ non sunt purè vel naturales vel animales, & actus hi animales, quoad modificationem à ratione & à libero arbitrio, humani actus sunt, ideo sunt legis capaces. 2. Alterum quod fandat rationem mandati & interdicti, est liberum

Duo sunt quæ fundant rationem mandati & interdicti quod actus & inclinationes sint humanæ, & quod ita Deo visum sit iis legem imponere.

DEI

Dei beneplacitum. Nam ideo Deus interdicit *Adamo* esu arboris scientiæ, quia vult: poterat mandasse esum illius arboris si voluisset: ratio mandati & interdicti seu divinæ legis est beneplacitum Dei, licet sit fundamentum in naturâ rationali. At verò quoniam congruitas cum lege est posterior mandato & ex eo resultans, non potest esse prior mandato, ideoque non mandatur actus humanus quia est congruus legi, sed contra, ideo actus humanus est legi congruus, quia mandatur. Idem dicendum de interdicto.

Deus nunquam cum sua lege dispensat.

Qu. An Deus propriè dispensat cum lege, quando jubet *Abrahamum* immolare unigenitum suum filium? Resp. Minimè verò. Nam dispensatio cum lege est, quando superior jubet ut subditus impunè faciat contrarium illius quod lex jubet, lege etiam in vigore manente: At verò Deus mandans *Abrahamo* ut filium mactaret, hoc ipso quod mandaret, tollit vigorem & obligationem sexti mandati decalogi hic & nunc, ut mandatum decalogi minimè in eo actu obligaret *Abrahamum*. *Papa* verò dispensat cum lege Dei in vigore suo stante: neque ea pollet authoritate ut posset vel ad horulam abrogare legem Dei: Attamen porcus ille arrogat sibi potestatem tollendi à Lege Dei & reatum culpæ & pœnæ. Quod ipse Deus, nisi suæ voluntati contradicat, nequit facere.

Dominium Dei in omnia non entia ea quæ nunquam sunt futura.

Qu. An certum sit Deum habere dominium positivum & principatum in non entia nunquam creata? Respond. Certissimum. Quia si novit figulus quot vasa lutea quolibet die, aut spatio quatuor aut quinque annorum, si abfuerint impedimenta, ipse formare queat pro suo libero arbitrio, & ipse interim apud se constituat nulla omninò fingere, sed massam luti prorsus intactam & inconditam præterire, dominatum quendam habet Opifex in illa vasa nunquam condita, & nunquam condenda. Eodem modo summus rerum conditor, *cum quo est dominium & terror, & qui limites statuit tenebris* & non entibus, multò magis probè exploratum habet, determinatum, & exactum numerum non entium & omnium nunquam creandorum nunquamque futurorum; cum tamen ei obversaretur quasi vastissima argilla massaque *pari nihili* ex quo omnia illa non entia illicò exilire in classem societatemque creaturarum ad nutum liberæ Dei voluntatis quasi in procinctu erant: unde quod illi subditi, & qui sunt & quot sunt numero, æterno carcere & sepulchro

chro non entium & in tenebrosâ voragine *meri nihili* (ex quo omnia quæ creata sunt, DEO liberrimè mandante exierunt) est in solo libero DEI beneplacito constitutum. Unde sicut multa vasa manent luti pars, nusquamque educta è potentiâ luti, & sunt non vasa, quia ita visum est figulo terreno, positivo decreto ita statuente, ita infinitus numerus non entium & nunquam futurorum manent quasi partes vastissimi illius *nihili* & damnatoriâ quasi DEI sententiâ illa non entia inclusa gremio *puri nihili* in æternum manebunt, quia ita visum est summo rerum omnium Opifici & conditori.

Induratio activa in Deo quatenus est actus positivus.

Qu. An DEI induratio activa sit formaliter actus positivus, an actus immanens an transiens? Resp. Voluntas seu decretum indurandi in DEO est actus immanens & æternus, sed induratio DEI activa, cum sit executio illius decreti, est quid temporaneum & transiens: At induratio hæc negatur esse actio negativa vel otiosa non-emollitio relinquens hominem in suâ potestate liberâ & indifferente ut obduretur vel non obduretur, sed ἀνομία seu malitia in culpabili obdurationè creaturæ non postulat positivum DEI concursum. 1. Ut sit in rerum naturâ, quia non est ens positivum. 2. Ut sit disconveniens & nociva creaturæ peccanti. 3. Ut adhæreat peccato ut quid pœnale. At hoc modo dicitur actus DEI positivus & judicialis. 1. Ut contradistinguitur ab actione DEI otiosè permissivâ. 2. Quoniam judicialis hæc actio sit secundum decretum DEI actuosum & non nudè permissivum.

Quid voluntas signi in hac disputatione.

Qu. An voluntas signi & voluntas permittens coincidant? nam quod DEUS fieri permittit, id fit & permissio signum est rem voluntam & decretam fuisse à DEO saltem voluntate permittente. Resp. vulgo. Eventus sive moraliter bonus sive malus dicitur *voluntas signi* eo quod signum sit DEUM hoc voluisse, & hæc statuuntur signa,

Præcipit, & prohibet, promittit, consulit, implet.

Sed propriè loquendo DEUS non vult voluntate signi crucifixionem innocentis Filii sui, sed eam vetat & detestatur: sed in hâc disputatione sumo voluntatem signi pro voluntate *Dei* approbante seu præcipiente: sed hæc approbatio includit præcepta, hortationes, invitationes, comminationes, reprehensiones, promissiones. Quanquam largiore sensu, quicquid DEUS decernit, id aliquo modo approbat, & DEO in eâ re est complacitum, licet non in re moraliter

nos

nos ad officium nostrum obligante. Sed *Arminiani & Jesuitæ* una cum *Socinianis* statuunt voluntatem signi planè coincidere cum voluntate decernente, vel voluntate beneplaciti, sed conditionatâ & suspensâ à liberâ conditione à nobis præstandâ, & DEUM decernere sed conditionatè ut existat & fiat quicquid præcipit voluntate signi & revelatâ, quo nihil falsius & in se, & secundum *Arminianos*, qui docent DEUM non velle, id est, non decernere ut judicialiter obdurati DEO mandanti obediant. Unde coguntur admittere in DEO duas voluntates patefactas obduratis talibus, sed apertè contradictorias & hypocrisin (horresco referens) Candidissimo, Æquissimo Veracissimoque nostro JEHOVÆ blasphemè inurunt.

FINIS.

Additiones.

Q. An ullus talis conflictus sit in voluntate DEI, quo DEUS aliquid velle dicendus sit, quod minimè approbet; aut aliquid approbare, quod minimè velit; aut aliquid velle *volantate signi*, quod non vult *volantate beneplaciti*; aut aliquid velle *voluntate beneplaciti* quod minimè vult *voluntate signi?* Res. Quid *Disputatori* aut *Arminianis* in mentem venerit nobis conflictum aut contradictionem inter voluntatem beneplaciti, decernentem sive effectivè sive permissivè, & voluntatem, quam nos *signi & approbantem vocamus*, imputare, plane nescio. Nam credo DEUM velle permissivè & decreto permissivo decernere multa, nempe, crucifixionem Filii DEI, venditionem *Josephi*, quæ tamen non approbat, neque vult approbando talia quasi essent legi DEI consona, quin imo ea improbet, vetet, detestetur, puniat, & tamen talium existentium vel talia fieri permissivè decernit. Si Disputator talia fieri à DEO permissivâ DEI voluntate approbante, id est, mandante dixerit, suis musis canat, *Protestantes Theologos* suffragantes (opinor) minimè habebit, sic enim conflictus erit inter DEI voluntates. Neque verum est quod *Disputator* addit. *Deum probare aliquid fieri se permittente, nihil aliud esse quam Deum eam permissionem probare.* 1. Quia uti nos sumimus vocem *voluntatis approbantis*, *Deum probare aliquid fieri se permittente* est insignis contradictio, est enim DEUM approbare aliquid tanquam peccarum, quod est DEUM mandare peccarum, quo nihil contradicentius. Nam approbans voluntas est nobis mandans voluntas, & promittens, uti improbans voluntas est voluntas prohibens & comminans. Sic nos vocem sumimus, ex *Rom.* 12. 2. *Psal.* 5. *v.* 4. (2.) Falsum etiam est DEUM *probare aliquid fieri se permittente, nihil aliud esse, quam Deum eam permissionem approbare*: Quia si approbare sumatur pro actu volendi seu decernendi voluntate beneplaciti, Tum approbatio DEI fertur non tantum in permissionem, sed etiam in rem permissam, nempe, in peccatum: quia voluntas DEI, quocunque modo sumatur, prout fluit à voluntate beneplaciti, non habet se negative in rem permissam, & approbativè seu positivè *in ipsam* permissionem: Nam voluntas *hominum* & *Angelorum* sic fertur in peccatum permissum, attamen nec *homines* nec *Angeli* ullos actus providentiæ exercent

Nullus est inter DEI volumates conflictus.

Male disputator *dicit* Deum aliquid *approbare sese permittente.*

circa peccatum permissum. Si vero *το approbare* sumatur pro volitione rei tanquam legi Dei moraliter conformæ, vel pro volitione & approbatione moralitatis ipsius rei, sic absurdè Deus dicitur velle vel approbare permissionem peccati, quasi vero Deus aliquis nostro infinito Deo ferret legem quæ ipsum in permittendis vel non permittendis peccatis Regularet aut moraliter circumscriberet.

Qu. An Recte *Disputator dicit. Ubi DEO tribuitur scientia quam vocant simplicis intelligentiæ, qua novit omnia possibilia, eâdem ratione voluntas DEO tribuenda sit qua vult omnia bona possibilia? quippe DEVS omne bonum approbat & vult, & nihil est in DEO potentiâ, quod non est in DEO actu: proinde nihil potest velle DEVS, quod non actu vult.* Resp. Me non satis assequi *Disputatoris* Metaphysicam, nam prodit *Disputator* se *Arminii* discipulum ni fallor, vult enim Deum velle omne bonum possibile. Ergo ne vult Deus obedientiam & salutem omnium reproborum *hominum* & malorum *Angelorum*, & resipiscentiam *Judæ* proditoris, & millenorum hominum creabilium, sed nunquam Creandorum? hæc enim bona sunt possibilia, & sunt in virtute Omnipotentiæ Dei. At quî factum ut omnes reprobi & dæmones non obediant? nempe Deus quantum ex se, voluit omnium damnatorum obedientiam? an decrevit quæso voluntate beneplaciti? an approbavit, quia voluit? at Deus voluntate suâ, decreto & intentione, id est, re volitâ & decretâ & à Deo intentâ excidit creaturarum perversitate? ita *Arminius & Disputator* hac in re adversus *Calvinum* & nostros concordes sunt. 2. Sed quid impedit quo minus Deus, quod vult, assequeretur in millenis aliis mundis, *Angelis*, hominibus; sunt enim hæc in creativâ Dei Omnipotentiâ possibilia? nempe impediit nihil nisi libera Dei voluntas quæ omnia hæc possibilia voluit creari, sed noluit creari, quia liberè noluit: en quinam hic *conflictus* voluntatum? nam *Quicquid DEUS actu fieri velle potest, id actu vult.* Si *Disputatoris* Metaphysicæ fidendum. *Atqui DEUS fieri vult omnia possibilia*, nempe millenos plures mundos. Sed fortè intelligendus est *Disputator* de voluntate Dei naturali. Certe non reluctarer Deum habere quandam complacentiam speculativam circa Omnipotentiam & omnia possibilia quæ continentur in productivâ hâc Omnipotentiâ. Sed non est hæc talis

Quomodo Deus actu velit quod velle potest.

voluntas

voluntas libera, quali somniant *Arminiani* DEUM velle omnes dæmones & reprobos homines DEO obedire & salvari: evanuit enim hæc voluntas, quod attinet ad dæmones & plerosque damnatos, quos DEUS non potest non jam velle damnatos esse & periisse. Sic nullâ Metaphysicæ consequentiâ stat hæc. *Omnia possibilia sunt bona, ergo DEVS vult omnia possibilia.* Bonum enim, ut & unum, verum, sunt affectiones entis creati, at nemo diceret omnia possibilia esse entia creata; sunt creabilia & possibilia, at nec sunt entia realia nec bona, nec una nec vera, nec actu entia.

At vero quæritur ex *Disputatore*, quomodo DEUS velit futura, quomodo possibilia? an eadem voluntate? futurum aliquid superaddit possibili; At *Disputator* credit *futurum* plane nihil esse, quia neque est *DEVS Creator neque Creatura*, uti supra docuit. At quid tum quæso erit possibile? nam *possibile neque est Creator, neque est creatura.* Attamen est *Disputatori* bonum, est ergo à DEO volitum, quia DEUS velle potest, & *quod DEVS velle potest, id DEVS actu vult.* At certe DEUS velle potest quam plurima futura. Nempe velle potest omnia futura quæ à prophetis prædicta fuerunt, cujusmodi olim erant futura incarnatio, nativitas, miracula, crucifixio, sepultura, resurrectio CHRISTI, in Cælos Ascensus, & quæ nunc sunt futura, ut extremum judicium, resurrectio mortuorum, glorificatio Sanctorum, ruina Antichristi, *&c.* an DEUS eadem voluntate tantum hæc voluit, & decrevit, quâ millenos alios mundos, obedientiam & salutem omnium reproborum. *Si vero quæcunque DEVS potest facere, ea potest velle & actu vult*, ut ait *Disputator*: potest liberare CHRISTUM à morte per plusquam duodecim legiones *Angelorum*: potest ex lapidibus *Abrahamo* filios excitare, ergo actu vult liberationem CHRISTI à morte, & creationem filiorum *Abrahami* ex lapidibus. At non vult liberationem CHRISTI à morte, non vult excitationem seu creationem talium filiorum: potest facere omnia possibilia, Ergo actu vult effectionem omnium possibilium, nempe aliorum mundorum myriadum. At non vult creationem omnium possibilium sunt ne ergo in DEO contradictoriæ voluntates? hoc *Disputator* videt: ideoque diluere conatur sic. *Loquor* (inquit) *de actu intrinseco, alioqui si denominatio voluntatis fiat ab extrinsecâ DEI operatione, dici posset DEUM potuisse aliquid velle voluntate effectivâ,* *An Deus possibilia velit.*

quod non (actu) vult voluntate effectivâ, eo quod plura posset effuere, quam vult efficere: at velle aliquid & approbare est simpliciter plane intrinsecum DEO. Resp. At ne sic *Disputator* evadit, quia veritatem obtinet illud in DEO, *nihil potest* DEVS *velle quod non est in* DEO *actu*, ac proinde. *Nihil potest* DEVS *velle quod non actu vult.* Quia expers est DEus beatus ille & infinitus actus purissimus omnis potentiæ, potentialitatisve, quæ semper sapit & redolet imperfectionem & cum non ente commixtionem tam in operationibus extrinsecis quam in intrinsecis. Nam *quicquid* DEVS *potest esse, id actu est*, omni modo, & *quicquid velle potest*, in extrinsecis operationibus, *id actu vult.* Quia voluntas DEI, ut supra demonstratum, est perfectissima, & actualissima & perfectissimè ab infinitâ sapientiâ DEI ad intra determinata, uti & ad omnia quæ efficere aut velle potest ad extra, & tamen multa ejusmodi nunquam efficit & nunquam actu vult nam DEus actu perfecto determinatè & positivè decrevit & ab æterno statuit illa omnia non efficere, quæ nunquam efficit, nihil enim ad extra determinat, circumscribit, aut *effective* aut *objectivè* actuat potentiam volendi aut efficiendi in DEO: Quod tamen usu venit nobis miselli creaturis tum in operationibus intrinsecis, tum extrinsecis. Ideoque DEI voluntas actualissimè determinata fuit ad intra, ab infinitâ ipsius sapientiâ ad omnia creanda, quæ actu ex infinitâ sapientiâ non creat & non vult creare, seu quorum non-creationem positivè & actualissimè decrevit, & tamen potest creare vel potuit creare & velle, si quidem infinitæ sapientiæ ab æterno ita visum fuisset, neque aliqua nova determinatio, novave rationis scintillula DEO affulgere potest quâ determinari posset hodie ad id volendum aut extra se creandum, ad quod volendum vel positivè nolendum vel creandum vel non creandum ab infinitâ tuâ sapientiâ æternâ non actualissimè & perfectissimè determinatus fuerit: id nisi admittatur à *Disputatore*, necesse est asseramus. 1. DEI voluntatem in operationibus extrinsecis non esse ab æterno determinatam, sed novam in DEO determinationem, novumque quasi ultimum intellectus practici dictamen in DEO indies suboriri. 2. Novam rationem rerum DEO quotidie objici, eumque propriè in rerum externarum cognitione crescere, at ego credo *ejus intelligentiam esse infinitam*, neque *investigationem ullam esse sapientiæ ipsius.* Hæc mea fides est. 3. Ne-

Quod Dei voluntas ab æterno sit determinata tum in actibus intrinsecis, tum in extrinsecis.

esse

cesse est *Disputator* admittat consultationem proprie dictam in Deum cadere, eumque posse novum capere consilium, de infinitis aliis mundis creandis, redimendis, glorificandis, perdendis, quod Deo ab æterno non inesset, Deumque hodie dubitabundum & consilii inopem esse. Ita forte *Alcorano*, impuro *Vorstio*, & *Socino* succenturiari liceret. At dices *eratne Deus in potentiâ ad creandum mundum, antequam actu creasset? estne hodie in potentiâ ad volenda plura extra se, quam actu vult?* Resp. Hoc *Disputatori*, mihi vero minime concedendum putem. Deus nunquam fuit in potentiâ vel creandi vel sciendi vel volendi quæ sit actuabilis, aut determinabilis aut aliquo modo perfectibilis, potentia objectiva potest esse in re creandâ aut volendâ actuabilis, sed omnis in Deo potentia vel ad operationes intrinsecas vel extrinsecas est actuata, determinataque ab æterno. Non itaque sequitur Deus est in potentiâ ad creandum & volendum. Ergo est *in potentiâ actuabili, & perfectibili.* *Disputator* pergit. *Ceterum voluntas approbativa strictè sumpta, nempe pro eâ quæ est tantum approbativa communiter contradistinguitur à solâ voluntate effectivâ & se exsecutivâ, nempe cum* DEVS *dicitur aliquid velle quod tamen non instituit efficere aut exequi, & in hoc sensu non ægrè ferimus distinctionem.* Resp. Fatetur ergo *Disputator* sese liberatum, ea quâ laborabat, logomachiâ, & quæsivisse nodum in scirpo. At nostrum sensum minimè ignoravit. Cur ergo nostris conflictum inter Dei voluntates cum Calumniatore *Jac. Arminio* & *Jesuitis* tacitè ascribit? 2. Sed nec ad nos redit. Nam non sumit *Disputator* vocem *approbativæ voluntatis* prout communiter usurpatur, in hac distinctione, quam *sese non ægre ferre* dicit. Quia approbativa Dei voluntas communiter non fertur in rerum aut eventuum existentiam vel non existentiam, sed in rerum legalitatem seu cum Dei, in verbo, revelatâ voluntate consonantiam, vel illegalitatem vel dissonantiam, etiamsi illæ res aut eventus nunquam sint in rerum naturâ. At verò donec *Disputator* clarius sese explicet, ipsius mens aperta est Deum velle approbante voluntate, desiderare, cupere, exoptare ut existat in rerum naturâ finalis omnium reproborum obedientia, sed tamen per gratiam efficacem Deum eam non efficere, & sic non velle eam obedientiam voluntate effectivâ, sed Deum excidere voluntate hac inefficace, approbativa, & frustrari suo desiderio quo in omnium & singulorum obedientiam & salu-

Voluntas approbativa omnino rejicitur à disputatore, eo sensu quo a nostris usurpatus.

tem feratur ipsius voluntas. Hoc *Arminii* palato, nobis verò minimè sapiunt: ideoque ludit *Disputator* & egerrimè fert distinctionem communiter à nostris *Theologis* receptam. Ita enim fatur. *Vix potest intelligi quomodo homo posset resistere Deo, Aut etiam homini ne velit: deinde resistere sumitur pro repugnare, reniti, obniti; vel pro impedire vel contrafacere. Certe homo potest repugnare & sæpe numero repugnat non minus voluntati Dei beneplaciti quam voluntati signi, & aliud vult quam Deus vult utrovis modo, item contra facere quam Deus mandat, seu facere contra voluntatem mandati, sednon potest impedire aut facere contra voluntatem signi.* Resp. Certe ex nostris nemo unquam docuit hominem posse resistere & impedire DEUM in actibus suis immanentibus, aut ei obstaculum ponere quo minus velit, aut decernat, aut approbet bonum: sed cum *Disputatori* visum sit hominem posse contra facere quam DEUS ab illo fieri velit & approbet, planum est hominem velle & facere posse contrariùm ejus quod DEUS approbat id est (intérprete *Disputatore*) velit, & intendit ut actu faciat, & hoc est DEUM voluntate suâ & intentione, id est, re volitâ & intentâ excidere, falli, & voto cadere. At cur non *Disputator Arminium* citaret, quem contra nostros defendit, non video; ideoque procul dubio, non candidè agit. 2. Hominem *posse facere contra quam Deus voluntate beneplaciti* & effectivâ seu permissivâ, voluit, DEUM re decretâ ab æterno frustrari, est ἀδύνατον. *Quis enim voluntati Dei resistit? voluntatem meam omnem faciam*, Inquit *Jehovah*. At *Disputatoris* mens non est hominem posse impedire actus Dei æternos & immanentes, aut obicem DEO ponere quo minus ab æterno decreverit, statuerit, aut ab æterno apud se consilium iniverit, hoc est somnium febricitantium hominum. Ergo possunt homines infringere DEI decreta, & *Paulo* dicenti, *Quisnam restitit voluntati Dei beneplaciti*! id est, nemo potest ei resistere aut contra facere. Regerit *Disputator certe sæpe numero homo repugnat* DEI voluntati *beneplaciti*. At ne id quidem impurus *Socinus* decoqueret, fateor hominem posse contraniti & conari impedire rem quam DEUS fieri decreverit, ut fratres *Josephi* conati sunt resistere exaltationi *Josephi*, quam DEUS fieri decrevit, sed DEUS decreto suo irresistibili sed permissivo eam reluctantiam & renitentiam decrevit, Adeo ut impossibile sit rei decretæ obniti. *Disputator* etiam animosè

Disputator vult homines posse infringere Dei voluntatem & beneplaciti & signi.

contendit

contendit cum *Arminio* voluntatem Dei ferri in permissionem peccati, nullo vero modo aut sensu in peccatum permissum. Eo quod voluntas permittens ratione peccati sit pure negativa.

Sed contra voluntas permittens ratione peccati vel est positiva, vel negativa, vel quasi media. *Arminio* arridet vox *remissæ voluntatis*. Certe voluntas Dei permittens non est positiva, non effectiva, non approbativa, hoc non eget probatione. Non est purè negativa. Quia lapis habet se purè negativè ad ingressum peccati, & sic omnes actus voluntatis Dei circa peccatum de Deo negarentur, nempe Deus purè non vult peccatum, purè non intendit peccatum fieri, purè non curat utrum sit peccatum necnè. At sic exularet providentia, Epicurismus inveheretur & regnaret fortuna in casu & ruinâ tot nobilissimarum creaturarum, necesse est ergo Dei voluntas permittens circa peccatum sit media inter voluntatem Dei positivam & pure negativam. At non est hæc voluntas media per negationem utriusque extremi: quia vere negatur de voluntate Dei permittente circa peccatum, negativa Dei voluntas omnesque ejus actus. Unde veræ sunt hæ enunciationes.

Voluntas Dei permittens non habet se pure negative circa peccatum.

Voluntas permittens minimè non vult peccatum fieri.

Seu *Voluntate permittente Deus minimè non intendit, vel minimè non curat utrum peccatum sit necne.*

Et quia ex duabus negationibus sequitur affirmatio. Vera est hæc (*Deus aliquo modo vult peccatum fieri,*) at Adversarii non admitterent veritatem harum enunciationum, nam fatentur agnoscere veras esse has (*voluntas permittens non vult peccatum fieri*) item (*DEVS non curat utrum peccatum sit necne*) unde restat ut voluntas permittens circa peccatum, sit media per participationem utriusque extremi. Ut non sit purè negativa, ne sopita videretur Dei providentia. Neque purè affirmativa aut positiva, quia Deus non efficit, non approbat, sed odio habet peccatum. Memini mihi excidisse in fervore disputandi istam phrasin, *DEVM esse primariam causam scelerata missionis Josephi in Ægyptum.* Sed mallem cautius essem loquutus, antecedentia tamen & consequentia verborum meorum satis me vindicant. Loquor enim de missione quæ est scelerata non quia est scelerata. Nego Deum Sanctissimum dicendum causam, authorem, effectorem

Cap. 16. pag. 139.

ctorem, approbatorem peccati: absint tales blasphemiæ. Sed *Disputator* hic ex instituto protestantes Theologos *Calvinum*, *Bezam*, accusare mihi videtur quasi *DEVM esse Autorem aut causam peccati docerent*. Præsertim magno & clarissimo *Anglo* D. *Gulielmo Twisso* non levem injuriam facit.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Errata.

Pag. 24. lin. 3. protractum lege protractam, p. 29. l. 32. & leg. est, p. 43. nota marg. overtuntur leg. evertuntur, p. 47. not. marg. liberum leg. liberam p. 58. l. ultima, hal. hâc, p. 59. not. marg. effigacis l. efficacis, p. 81. not. marg. non-coefficentia l. non-coefficientia, p. 83. not. marg. argit l. arguit, p. 131. l. 31. necessariæ l. necessarii, p. 135. l. ultima. illum l. ullum, p. 162 l. 3. perstisterit l. perstiterit. p. 167. not. marg. furitinnis l. futuritionis, p. 173 l. 25. am l. nam, pag. 18. l. 34. responsio l. responso, p. 181. not. marg. habe l. habeant, p. 196. not. marg. venditionem l. venditione, p. 204. l. 25. vitar l. vitare, p. 223. not. marg. hos l. hoc, p. 235. l. 5. defecorint l. defecerint, p. 237. l. 1. justitia l. injustitia, p. 253. l. 14. obnoxia l. obnoxius, p. 269. l. 36. principio l. principi, p. 277 not. marg. intrinsece l. extrinsece, p. 272 l. 25. quodam l. quadam, p. 291. l. 35. eodem l. cadam, p. 315. l. 29. effectu l. affectu, p. 320. l. 2. exiguum l. exiguam, p. 358. l. 7. imperatum l. temperatum, p. 390. l. 12. est l. & p. 471. l. 1. assignare l. assignari, p. 472 l. 11. ἀμαλαλσον l. ἀκαθαλτον, p. 582. not. marg. dicentiam l. dicentium.

10-3-2

Digitized by Google